by Go

EXERCITATIONES EPICÆ

[illegible]

Catal: Biblioth: domus Prof.

EXERCITATIONES EPICÆ

CAROLI KOLCZAWA Societatis JESU.

Cum Privilegio Sacræ Cæſ: Reg: Majeſt:

PRAGÆ,

Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem Anno 1706.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

POſt exercitationes Dramaticas, annis ſuperioribus in lucem datas; ſuſpendit pennam ſuam Melpomene mea tragicis addicta, valéque mihi fecit caſtior Thalia in comicis; cùm me furore Poëtico ab heroica Calliope, licèt forſan invitum, abripi aliò identidem obſervarent. Non ſemper eâdem chordâ oberrandum Poëtæ, gravior hæc Muſa dictitabat, rerúmque varietate non affici faſtidio amœniores literas aſſerebat. Morem geſſi, non tamen abſque formidine, ſvaviter importunæ Caſtalidi, neſcio quos nervos ab Apolline ſubmittendos, imbecillitati meæ pollicenti. Nè verò graviori operæ ſuccumberem; aut majora viribus meis conſectarer: obvia, cùm ex ſacris, tum profanis ſcriptoribus ſuggeſ-

ſit argumenta, haud immemor illius, quod purpuratus Dalmata ad Nepotianum per literas dedit: *grandes materias ingenia parva non ſuſtinent.* Hoc pacto animatus, epica tentavi, dedique ſæpenumerò pro declamationibus ſcholaſticis has exercitationes, non incongruâ moderatione vocis, & geſtûs à diſcipulis pronuntiatas. Quas cùm viris à literatura humaniore bene meritis, minùs diſplicere ſæpe ſæpius accepiſſem; typis eas mandare non erubui, habiturus illos ipſos fautores, ac protectores, quos nactus ſum laudatores. Priuſquàm tamen hoc opuſculum epicum ſapientiori oculo tuo ſubjicias erudite Lector; paucis mihi es conveniendus. Et comprimis quidem non veniat tibi in mentem Cornicula; quam odio plùs quàm Vatiniano me perſequi ſcias velim: cùm *furtum deprehendi, infelicis ingenii ſit*, ùt inquit Plinius ſenior in præfat. Quod ſi nihiloſeciùs verſus hic nonnulli reperti fuerint chariſſimorum mihi per complures annos diſcipulorum; quorum

me genio, pro ratione ætatis, in ſubminiſtranda exercitationum ſcholaſticarum materia, accommodari oportebat; pleno ſibi jure eos attribuant, vendicéntque; cùm nullius nomini, ac gloriæ unquam derogatum iverim: limam tamen mihi qualem qualem ambitiosè non erepturos confidere auſim; ſiquidem *faſtum abeſſe debere ab auditore* (ajo ego diſcipulo) *ac livorem* didicerint ex Plutarcho lib. de affect: aud. Alterum eſt, quod te erudite Lector præmonitum velim: non hæc Æliis, aut Perſiis, ſed Muſarum duntaxat alumnulis, quorum utilitati nunquam non ſtudui, conſcripta eſſe, ità me edocente Tullio 3. de divinat. *Nullum munus melius Reipublicæ afferre poſſumus; quàm ſi doceamus, atque erudiamus juventutem.* Et cum hac mihi præſens negotium eſt; quam (ùt non levi experientiâ compertum habeo) aut Homerica Poëſis ſublimitate ſuä, ac majeſtate terret: aut quæ in diffuſo Maronis mari vela facere reformidat: aut in altiorem Parnaſſum,

obſcuritatis nebulâ circumſeptum gradum moliri pertimeſcit. Utque Laconiſmo mentem meam palàm faciam; eorum in cenſum Poëtarum referri velim; de quibus Venuſinus vates epiſt. 2. *Scribimus indocti, doctique poëmata:* in ſyllabum, inquam, primi generis venio; cùm à gloria eruditi Poëtæ, magno me diſtare intervallo ingenuè profitear. Quamobrem ſi totâ errare viâ à veſtigiis Smyrnæ, aut Mantuæ, me quiſquam arguere velit, ac poſſit: aut ſaltèm non proximè ad claſſicorum Poëtarum imitationem accedere: liceat mihi in clypeum illud Demoſthenis 1. Olynth: obtendere: *quiſnam ſagittarius artis ſuæ tam peritus eſt; qui non aliquando aberret à ſcopo?* Cæterùm vel ex eo nomine gratum me Muſophilis futurum exiſtimem; quod ex animo promovendæ rei literariæ cupidiſſimo, labor hic profectus ſit. Ad extremum, pro ea, quâ par eſt, demiſſione, enixè flagito; ut omnia hoc opuſculo contenta, non ali-

ter à quoquam accipiantur, quàm S. D. N. Urbanus VIII. conſtitutione ſuâ, à veris Eccleſiæ filiis jure æquiſſimo exigat. Et hæc ſunt, quibus te erudite Lector convenire allubebat. Vale, & opuſculum hoc epicum bono juventutis cuſum æqui, boníque conſule, & literis manſvetioribus fave;

- - *quorum non gloria nobis*
Cauſa, ſed utilitas, officiúmque fuit.
Ovid. 3. de Ponto.

INDEX
Argumentorum.

Nabuchodonoſoris in bovem metamorphoſis.
Alphonſi Regis Hiſpaniarum arrogantia à Cœlo correcta.
Balthaſaris Regis ſacrilegè convivantis interitus.
Mileſius à conviva oſſeo raptus ad inferos.
Monomachia Davidis cum Goliatho.
Guilielmus Aquitaniæ Dux ad præſentiam SS. Euchariſtiæ ferociam ponit.
Cain truculentus parricida Abelis.
Italus Mediolanenſis odii inveterati horridum exemplar.
Davidis pœnitentia ab iniqua Uriæ internecione.
Sigiſmundus Burgundiæ Dux à parricidio filii pœnitens.
Daniel ſuperſtitioſo Dracone occiſo, ad leones damnatur.
Dracontomachia Deodati de Gozon.
Abſolonis Patri perduellis interitus.
Chramnus Clotharii Regis filius, perduellionis pœnas luit.
Sidrach, Miſach, Abdenago in flammante clibano illæſi.
Caſtitas ephebi Reginæ Iſabellæ illæſa ab ignibus.
Jonas naufragus in ventre ceti ſervatus.

Phi-

Phidus Diaconus ope Divi Evthymii Abbatis à naufragio liberatus.

Jephtes unigenam filiam ſacrificat.

Ramirez filias ad aram Marianam detruncat.

Abneris belli Ducis fidelitas.

Marcus Gutterius rarum fidei, & conſtantiæ militaris exemplar.

Septem Fratrum Machabæorum illuſtre martyrium.

Septem Fratrum dormientium prodigioſus ſomnus.

Judicium Salomonis.

Liderici rigor juſtitiæ.

Manaſſes reſipiſcens.

Evlogii de bono in malum, & viciſſim metamorphoſis.

Eliſæus thaumaturgus.

Divus Stanislaus prodigioſus veritatis teſtis.

Judas Machabæus de pluribus hoſtibus victor, ope Cælitûm, ac manibus Defunctorum.

Animæ Defunctorum opitulatori ſuo reciprocum præſtant auxilium.

Judith de Holopherne victrix.

Joanna Aurelianenſis Galliæ Amazon.

Bella Amazonum Bohemicarum.

JO-

JOANNES
MILLER
Societatis JESU
Per Provinciam Bohemiæ Præpoſitus Provincialis.

Cùm librum, cui titulus eſt: Exercitationes Epicæ, *à Carolo Kolczavva noſtræ Societatis ſacerdote conſcriptum, tres ejuſdem Societatis ſacerdotes recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint: poteſtate à Patre Noſtro Michaële Angelo Tamburino Præpoſito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillô officii mei munitas dedi Pragæ ad S. Ignatium 13. Maji. 1706.*

NA-

NABUCHODONOSORIS IN BOVEM METAMORPHOSIS.

DANIELIS IV.

OBlata per quietem Nabuchodonoſori eſt arbor mirè procera, foliorum explicatu latè terram inumbrans, magnâque fructuum ubertate turgeſcens. Sed brevis hæc amœnitas. Adeſt de Cælo genius, minacíq; voce præcipit ſuccidi arborem, ſtirpis duntaxat radice relictâ. Daniel portentum explanans, ad officium, demiſsíque animi ſtudium ſublimes ſpiritus Regis inclinat. At facilè ſupercilium reſumit Arrogantia. E regio fortè ſolario, urbis Babyloniæ ſplendorem, & amplitudinem demirabundus contemplans Monarcha, in ſuperbas erumpit voces, prodigioſi operis authorem buccis crepantibus ſe ſe venditans. Vix prætumidum ex ore fluxit verbum; cùm cæleſti quaſi fulmine divinæ ultionis ſideratus, de poteſtate mentis dejicitur, & in beſtiam transformatur. At tandem inter ſylveſtria factus mitior, ſibi, regno, DEOque redditur.

E do-

EDomitos animi faſtus, ac fracta thraſonis
Cornua, & ampullas ſolii, quas dextra Tonantis
Illiſu facili fregit, rurſúmque refecit,
Penna heroa dabit. Non hæc turgeſcet ab alto
Spiritu, & Æolios diſtendet carmine folles;
At juſta in tumidos ventoſi Principis auſus
Fulmina pœnarum ſubmiſſo proferet ore.
Magne DEUS! cujus nutum proſtrata verentur
Sidera, ſubjectóque cadit Tibi cernua tellus
Munere; qui auguſti proculcas ſyrma tumoris:
Da faciles Muſæ numeros tua juſſa trementis;
Quêis æquas Nemeſis divinæ concinat iras.
Cùm forſan mediam cæleſti tramite metam
Noctis currus habet, multúmque papaver in orbem,
Atque ſoporiferos per opaca ſilentia ſuccos
Dividit; ut dulci demittat laſſa quieti
Corpora, turbineáſque fuget de pectore curas
Humani generis: placidiſſimus ille Deorum
Noctis in obſequium Morphêus, mortalia lenè
Tecta ſubit, tacitóque gradu per tempora ſerpens,
Sopitos variâ deludit imagine ſenſus.
Dúmque per agreſtes, quas primus ſurgere Phœbus
Præcipit ad ſvetos ruris, pecudúmque labores,
Sátque ſupérque caſas luſit: turrita reviſit
Oppida, & urbanas nocturno ſchemate mentes
Inveſtit, miras pingens per corda figuras.
Huic reddit ſpecies animi, quas vota diurno
Pervolvêre ſinu, quódque exoptârat habendi
Ardenter cupidus, cêu plurima poſcimus omnes,
Ante ſoporatæ præſentat lumina mentis,
Lætitiáque implet, quem luctûs, atque doloris
Formæ, per primos triſtem duxêre penates
Morpheos, ac animo dulciſſima gaudia reddit.
Illum, quem Titan fortaſſis craſtinus, inter

Iurgia

Iurgia rauca fori, legúmque ſonantia mandat
Pulpita commiſſæ momentum dicere cauſæ;
Orcheſtrâ Themidos ſiſtit, ſacratáque juris
Lemmata, & Aſtreæ non unum dogma miniſtrat,
Ambiguíſque onerat curis. Si forſan adurget
Quemquam gnavus amor lucri: commercia rerum
Ditia proponit; vectare per æquora merces
Imperat, ac multam ſpem quæſtûs corde figurat.
Iſtum, cuî tetrâ fervent præcordia bile,
Per dubias Martis luctas, ac ſæva virorum
Prælia ludificat, depingens vulnera, clades,
Horribiléſque acies trepidis concurrere campis.
Indè aliis, quos ſanguineus circumfluit æſtus,
Remigium alarum affigit, librátque per auras
Corpoream molem. Quem verò langvor aquoſus
Degravat; in rapidas demergit phantaſus undas,
Somnifero ludente Deo. Cui triſtis inumbrat
Corda humor, mærórque premit, ſimulacra miniſtrat
Triſtia, & in ſenſus pallentes ingerit umbras.
Dúmque per urbanas præſtat ſua munera ſedes,
Ac variis variè imponit per phaſmata gyrans,
Materiem veluti naturæ ſuggerit ordo:
Præcipit Aſſyrii palatia turgida Regis
Viſere Cælicolûm Rector, veríque referre
Omina, & inſolito tumidam percellere mentem
Principis oſtento. Morphêus ſuprema capeſſit
Imperia, ac alto turgentia corda ſopore
Occupat, ideámque ſibi de ſidere miſſam,
Sopitæ in mentis tabula per clara colorat
Lumina, & haud viſas animo decircinat umbras.
Non ſemper vanis deludunt ſomnia formis.
Ac primùm tacitus piceatæ noctis Apelles
Iſta papavereo depingit thaumata ſucco.
Surgit in æthereas ramis felicibus oras
Luxurioſa comis arbos; quæ vertice ſummo
Nubibus indicit bellum, glomerata refringens

Vellera nimborum. Nec ſolùm ſidera tundit,
At foliata etiam per vaſtam brachia terram
Explicat, & latè faciem telluris inumbrat
Omnigeno gaudens fœtu; quem carpere poſſit,
In terris quicquid vitali paſcitur aurâ.
Divitias Pomona ſuas, ac mitia promit
Pignora, quæq; ſuo ſubmittit fertilis anno
Autumni ubertas, curvatâ fronde miniſtrat.
Hinc partim rubeo, partim flavente colore
Muſtea poma ſedent: quibus adde Cydonia lanis
Inveſtita ſuis, ac Punica mala roſarum
Æmula, quæ arrident oculum, invitántque palatum,
Illinc pampineas arbos exporrigit uvas
Patre Thyoneo gravidas; quas ſolvere fœtu
Aut torcular avet; quò Bacchi dona propinet
Sigmate lætitiæ, curáſque evellat edaces
Pectoris: aut veniant plenis in labra racemis,
Oráque purpureo tingant, paſcántque liquore.
Iſthinc pergratas pueris, nullóque ſcatentes
Verme nuces offert, nec non à cortice notam
Iuglandum ſeriem, Thaſiáſque putamine molli
Protrudit glandes, ac Sardis edita terris
Germina; quæ hirſuto gaudent à tegmine ſolvi,
Fronde aliâ grato promit turgentia ſucco
Pruna Damaſcenæ ſtirpis, ſeu nana requiras,
Sêu decumana petas. Nec deſunt chryſea ramis
Mala; vel Heſperium, medicúmve negârit eduli
Prodiga fruge arbor. Ceraſa Actia ab arbore pendent.
Indè pyrum donat librale, pyrúmque volemum,
Nec non Signini generis, quêis cedere primas
Vina Falerna queant. Hic mora, ac corna rubeſcunt.
Parte hac dactylides uvæ ſua munera præbent.
Indè favo parilis ficus Pompeja triumphat.
Denique quicquid aves, vel quiſquam poſſit avere,
Ac animos, oculóſque valet mulcere, virenti
Fronde ſedens, hominum, pecudúmque invitat orexim.

Sed

Sed nè quâ careant vigilantes forſitan aures
Illecebrâ, lætis ſuſpendunt tecta, larémque
In ramis volucres; demulcent cantibus auras,
Et gratis certant modulis. Has inter Aëdon
Penniger dux prima chori, diſcrimina vocum
Per varios ducit flexus, tremulóque canoros
Turbinat ore ſonos. Jam pacis dulcia fundit
Carmina: jam ſtreperis imitatur claſſica roſtris,
Ingeminátque melos ſylvarum nymphula; quale
Doctus Apollineos arguto pollice nervos
Pectere, Threiicius vix poſſet reddere vates.
At tandem querulas glomerat de gutture voces,
Et quæ, neſcio, fata canens, miſerabile carmen
Intonat, ac trepidas perſtringit chromate frondes.
Ah metuo, Cecrops nè fortè reciprocet ales
Tereos inceſti facinus: vel nuntiet iras,
Fulménque à Superis ruiturum in turgida faſtu
Pectora; quæ tumidè ſe ſe ſuper ipſa Tonantis
Cymata, veſano ſuſtollunt crebriùs auſu,
Irritántque DEUM. Sed rurſum Thracia Siren
Artifices criſpare modos, ac promere, quicquid
Gutture dulciſono reſidet, pérque arboris ædes
Decantare melos, frondoſáque tecta canore
Exhilarare novo, ac ramis diſpergere plauſus.
Hac ſub frondoſa ſedem ſibi collocat umbra
Sylvarum, rurísque genus, communia carpens
Pabula, & in viridi lætatur, & exilit herba.
At nè Calliope per vilia plura vagetur:
Hìc thalamos fixiſſe ſibi, jugéſque penates
Ipſa videbatur ſaturata Volupia, & omne
Nympharum, Dryadúmque decus, rurísque Napææ.
Hìc ſolitos agitare choros Dictynna relictis
Collibus, & trepidos jaculis configere cervos.
Hìc virides habitare domos, conſtánſque cubile
Ponere flava Ceres. Sunt denique Theſala Tempe,
Floridáque Elyſii vernant hìc jugera campi.

Hæc poſtquàm Aſſyrio ſpectacula læta tyranno
Exhibet umbrarum pictor, mentíſque tabellâ
Exprimit; in mœſtas vertit ſimulacra figuras,
Præſentátque oculis animi feralia noctis
Somnia, & in talem deducit phaſmata formam.
Advolat ætherea genius ſpectabilis orâ,
Haud formâ præſtante nitens, pulchróque paratu
Corporis eximius, pictíſque venuſtior alis;
Sed vultu horrorem ſpirante, oculóque vomente
Iratas Nemeſis flammas. Non aurea pendet
Ad talos demiſſa chlamys, variáque coruſcans
Grandine gemmarum; ſed Martis ferrea geſtat
Tegmina: non croceis aſſurgunt fulgida bullis
Cingula; ſed lateri minitantis tela Gradivi
Belliger appendit, clypeo, ac cæleſtibus armis
Horridus, & tales deducit pectore fœtos
Imperii gravitate ſonos. Cædatur honora,
At Superis invisa arbos; quæ ſidera celſis
Frondibus impellens, tumido ſe vertice jactat.
Omnia truncentur ramorum brachia: vaſta
Luxuries ſpargatur humi, viridánſque comarum
Ambitio, in putrem fluat abjicienda mephitim.
Arborei fœtus viduati frondis honore,
Non generi humano, at pronis in paſcua mandris,
Et nemorum luſtris in congrua pabula cedant.
Succumbat ferro repetitis ictibus arbor
Turgida, duntaxat radicis ſtirpe relictâ:
Donec in hornotinos redeat cum tempore ramos,
Germináque emittat. Dixit, totóque recumbit
Pondere confeſtim, tellure tremente, ſuperba
Arbos, imperio parens. Tum pluraprofatur
Cælituum præco, Regíſque hæc intonat auri.
Quem chalybi cedens infelix denotat arbor;
Talia ſe nôrit ſubiturum fata, cadente
Sorte licèt ſummâ, quam criminis allevat aura.
Auguſtis pulſum laribus, ferróque revinctum,

Omnem

Omnem intemperiem cæli, totoque ruentes
Æthere nimborum furias, auræque procellas,
Nubibus eliſos ignes, Boreæque rigentem
In corpus rabiem, tempeſtatumque rigores
Cogetur perferre ſcelus, ſceleríque minores
E merito pœnas. Noxam perteſqua ferarum
Luſtro uno, ac geminis, quod crimen flagitat, annis,
Indomitas inter fædam provivere vitam
Aſtra jubent pecudes, & prono corpore paſci
A cytiſo, atque famem viridi compeſcere hibiſco.
Hæc ubi terrificus ſimulacra horrentia Morphĉus
Obtulit: imperio Superûm, jam noctis abundè
Munere defunctus, ſubmiſſa papavera Regis
Temporibus removens, turgentem deſerit aulam,
Atque in Cimmerias rurſum ſe projicit umbras.
Interea terror ſuccedit in ampla Monarchæ
Atria, & Aſſyrios, fremitu comitante, penates
Involat, evictum detergens pectore ſomnum,
Atque vigil reddens ſolium, fugiente ſopore,
Excuſſóque oculis penitùs. Timor occupat artus,
Peſſimus in dubiis augur, gelidúſque per oſſa
Ire, meare tremor; validâ formidine pectus
Concuti, & attonitis ſudor decurrere membris;
Suffundi pallore genæ; terrore rigere
Verticis auguſti culmen, frigúſque per omnem
Corporis effundi molem. Non fraxina ſævo
Quaſſatur ſic virga Noto: non cerva cadente
Fulmine, & eliſo percellitur ætheris igne:
Aut ità fluctivagis incumbit Caurus ariſtis:
Cêu pavor, ac horror regales corripit artus.
Sed dum tantiſper formido incuſſa remittit,
Ac menti lux plena redit; verſare Dynaſtes
Objectas animo ſpecies, ac prodroma fati
Somnia, & in dubias præcordia mittere curas,
Ignarus, quò fata ferant. Nec vana recenſet
Prodigia umbratæ mentis, ludúmque jocantis

Morpheos, haud raròSuperis, Cæloque loquente
Uſus, & in veros ductus per ſomnia ſenſus.
Non ſemper vanâ deludit imagine Morphêus.
Quare certarum Princeps cognoſcere rerum
Percupiens ſeriem: Danielem Numine plenum,
Cuî Cælum indulget crebrò pernôſſe futura,
Continuò acciri mandat; quò præſcia vatis
Lumina, in objectas, non luſo phaſmate, formas
Intuitu facili veniant, rémque ordine pandant
Implicitam noctis peplo, lucíque reponant.
Nec mora: fatidicus vates, qui tecta colebat
Regia, ad auguſtum ſe ſe conferre tribunal
Obſequio jugi facilis, foliúmque vereri,
Muneris ùt ratio poſcit. Vix lumine primo
Combibit afflatum cæleſti Numine vatem:
Purpureo aſſurgit thalamo; complexibus ambit
Præſagum rerum myſten, Superúmque videntem
Arcanos ſenſus. Tum læta, ac triſtia noctis
Somnia depromit, fractóque tumore ſuperbum
Deponens cilium, votis, precibúſque fatigat
Supplicibus cæli ſervum, ſomníque referri
Omina, & objectas exponi flagitat umbras.
Poſtquàm funeſtum, verborum ſchemate, viſum
Ad vivum expoſuit Princeps, formidine penè
Obrutus: hìc Daniel perculſus imagine rerum,
Mirari fati ſeriem, ſortémque cadentem
Principis, ac preſſæ mandare ſilentia lingvæ
Harpocrates alter. Cunctantem exponere veri
Momina, ſubtriſtémque videns, animare modeſto
Imperii nutu Princeps, ac fata referre
Deterſo mærore jubet, miſſóque timoris
Jurgio, in impavidas ſua labra reſolvere voces.
Indè animos ſumens vates, trabeata capeſſit
Mandata invictus quamvìs, animóque latentes
Protrahit in lucem ſenſus, ac talia fatur.
Invicte Arſaciæ domitor. Portenta malorum

Quæ tibi non vanâ tranſmiſit imagine cælum,
Vertat in adverſas Superûm miſeratio partes,
Ac tua proceſſum videat ſors fauſta perennem.
Nè tamen oblatæ ſpecies, quas ſidere miſſus
Objecit ſolio Morphêus, commenta putentur
Phaſmatis, & cæcæ duntaxat ludicra noctis:
Hæc Cæli ſancita jubent me ferre Monarchæ.
Arbor in æthereas conſurgens vertice ſedes,
Nubibus obluctans, tumidóque cacumine pulſans
Sidera; quæ latè plauſit viridante comarum
Luxurie, & gravidis protruſit pignora ramis,
In paſtum ceſſura feris: hæc denotat arbos
Te Regem terræ Dominum; quem ſumma poteſtas,
Ac diffuſa tui propè toto gloria mundo
Nominis, ad ſuperas faſtoſum protulit oras.
Dixerat. At Princeps nova per quæſita fatigat
Afflatum Cælis myſten, ac talia reddit.
Sed quid belligeri, quem miſit Olympus, alumni
Fulmineis effuſa labris, quid, amabò, coronæ
Verba notant? Sepone metum, miſſóque pudore
Qui verum celare ſolet, ſecreta revela
Ætheris; ut ſolio ſtet tandem notio veri.
Fare age, quid triſti portento nuntiat æther?
Nec vates arcana tegit, ſed talia fatur.
Aliger empyrius ſævo Mavortis amictu
Horridus, arboream qui juſſit cædere ſortem,
Frugiferúmque decus, duntaxat ſtirpe relictâ
Arboris, abjectis in terram frondibus ire:
Aliger hic, inquam, demiſſus ab arce ſuperna
Numinis, æternæ quæ ſtet ſententia menti
Nuntiat, hæcque jubet te Regem fata ſubire.
Humanâ ejiciet te conſvetudine, juſta
Aſtrorum, terræque Themis, Regúmque penates
Cum luſtris nemorum coget mutare. Ferarum
Aſſecla devenies, pecudum comes ibis in arvi
Pabula, & in morem bovis, inter bucera deges

Armenta, irriguas depaſcens cernuus herbas.
Imbribus effuſis, roríſque aſpergine nabunt
Tergora, & horriſonos ſalientis grandinis ictus,
Brumámque excipient. Senas Hyperionis orbis
Exiget, ac unam cæleſti tramite metam,
Ex æqua Nemeſis trutina; quêis arduus æther
Præcipitante ruet nimborum glomere, & omnis
Aëriæ rabies furiæ delicta domabit
Turgentis folii: dum cœlo Numen adeſſe
Demiſſo agnoſcas ſtudio, quod temperat orbem,
Sceptráque regnorum tradit; vel Regibus æquo
Eripit arbitrio, ſuperos, imóſque gubernans.
Sed cur firmatâ ſtirpem radice foveri,
Nec velli penitùs Dominator præcipit orbis?
Nónne benigna DEI patet hìc moderatio pœnis
Parcior, ac facilem tribuens, modò corda doloris
Vis ſubeat, veniam? Librandum fulmen Olympus
Detinet interdum. Sic te miſeratio Cæli
Præveniens, regni tibi reddet jura, decúſque
Imperii; cùm te ſubmiſſæ mentis habenæ
Rurſus ad officium Virtutis fortè reducent.
Hæc ubi non temero verborum fulmina labro
Evibrat, ac ſolium telo formidinis ictum
Obſervat Daniel: per lenia ducere Regem,
Et gelidum attonito detergere corde pavorem,
Atque hæc effari placidè. Rex maxime Regum.
Haud adeò, nôris, rigido procedere fato
Decretam ſceleri pœnam, quam legifer ordo
Irrogat Aſtreæ; quin poſſit mitior ire:
Si Metanœa ſubit, renovatis moribus, ædes
Pectoris, ac tepidus gemino de lumine rivus
Defluat in verum, contrito corde, dolorem.
Auro etiam juſtæ flectuntur Numinis iræ.
Ergo throno eſt author: quò nimbos depluat auri
In Codri, ac Irigremium, redimátque rigores
Ferri, quêis debent vinciri ferrea Regia

Crimi-

Crimina, & auratam ſibi reddat munere ſortem.
Tum monet, impavidâ, firmatus ab æthere, lingvâ:
Vecordes mittat faſtus, ciliúmque tumore
Plùs nimio elatum, ac fatuam ſuper omnia Regum
Pegmata, & æthereas ter ſancti Numinis arces,
Deponat mentem. Submiſſio vera, Tonantis
Edomat in tumidam ruiturum miſſile ſortem.
Quare itérum vates iterúmque diſerta reſumit
Dogmata, & appoſitis precibus, lacrymíſque perorat:
Quò Cælis ſe ſe referat, nôrítque potentes
Regnorum faſces, majori, jure ſubeſſe
Numinis Imperio, ſortes verſare valenti;
Quod regimen dextræ poſſit mutare ligone,
Oſtrúmque in vilem ſubitò transferre lacernam,
Ac altos ſolio Reges effundere terræ.
Hæc non eſt veritus dictorum mittere tela
Quamvis in tumidum regali ſyrmate follem.
Rara palatinos parilis liberta miniſtros
Obtinet hoc ævo. Nullus, vel rarior aulæ
Advenit; in veri qui ducat corda Regentûm
Lemmata, nec fuco rerum momenta coloret.
Torquetur miſerè verum, nè Principis aures
Fortè gnatho lædat. Variis ambagibus errat
Aularum ſubleſta fides, mavúltque placere,
Nè ſtomachum forſan moveat, quàm vera referre,
Nudúmque ante oculos ſolii producere verum.
Rarior ingenua eſt aularum copia fandi.
Rarus adeſt Daniel; cuî non patefacta furorem
Omina, ſed multum ſceptri peperêre favorem.
Quod ſvaſit, facili perſvaſit munere lingvæ
Vates; cuî terror non ægras præbuit aures.
Indè alius Princeps, faſtu turgentia ponit
Cornua ſubjectus Superis, Cælíque timendis
Objicit umbonem telis, numeroſa profundens
Munera in anguſtos Iri, Codríque penates.
Et verò Superûm fatalem diſtinet ictum

Lar-

Largus opum Princeps, reddítque faventia ſceptro
Numina, & irarum parcum demulcet Olympum.
Vive triumphator Cælorum vive Monarcha,
Demiſſique animi clypeo libranda deinceps
Tela reflecte DEI. Demiſſio quippe retundit
Fulmineas Cælorum iras. Si jugiter eſſe
Poſthac propitium poſcit diadema Tonantem:
Crebriùs in vilem deſcendat notio ſortem,
Inque ſui nihili nihilum ventoſa reſîdant
Pectora: nè vanas excelſo vertice criſtas
Ultrix dejiciat Nemeſis, rebúſque ſecundis
Elatam reprimat juſtiſſima dextera mentem.
At raró ad frugem jam radicata revertit
Indomito turgens veſana ſuperbia faſtu.
Vix magnum cæli percurrit Cynthius orbem:
Cùm cadit in veterem, genio redeunte, tumorem
Ventoſus ſolii follis, non ampliùs iras
Aſtrorum verſans animo, Nemeſíſque rigores
In meritam vigilis pœnam. Sed quid maleſanos
Prævalet in regni cidarim revocare tumores?
Forſan ab auguſto veſica inflata theatro,
Illuſtríque tuens ſpecula, per Mempheos urbem
Porrigit obtutum, demiratúrque ſuperbam
Mœnibus incluſam molem; quam ſurgere juſſit
Immenſo nuper ſumptu. Vix Pergama latè
Exporrecta videt, dextræque potentis honoram
Miratur fabricam; ſuperas ſibi tangere viſus
Enceladus ſedes: tollit ſuper æthera rurſum
Grande ſupercilium, tumidóq; hæc buccinat ore.
Nónne hæc eſt Babylon, quam noſtri gloria regni
Condidit, ac magno poſuit ſpectacula mundo?
Nónne hæc eſt Babylon, terræ caput, atq; monarcha
Urbium, in æthereas ſurgens cum turribus arces?
Nónne hæc eſt Babylon, noſtro fundata labore
Noſtróque imperio, rivalibus æmula cælis?
Hæc ſolii arbitrio creverunt mœnia pinnis

rdua, non ulli Martis ceſſura furori.
uis laqueata dedit conſurgere tecta, trabéſque
ncludi obryſi pretio, Parióque nitere
larmore murorum vultus, hebenóque decoros
eſtiri poſtes? Quis ditia Jaſpide ſtruxit
imina, & innumeras unam diffudit in urbem
egnorum gazas, tantóſque aſperſit honores?
læc equidem noſtræ ſunt adſcribenda tiaræ;
ûi ſe Dædaleæ ſubmittunt thaumata dextræ.
uid ſunt Ogygiæ, celebréſque Amphionis arces?
lœnia Dardanidûm quid ſunt, aut Cecrope nata
ppida, vel Solymæ moles ad ſidera ductæ,
uid? niſì collatus cum vaſta mole Tiphœî
umilus, ac vanæ duntaxat corporis umbræ.
li portentoſi ſpecioſæ Memphis honores
am fortè invidiâ Numen, Superóſque fatigant.
ix ea prætumido Princeps effutiit ore:
ùm ſubitò cæleſtis adeſt, comitante ſevero
ulmine pœnarum, Nemeſis, faſtúmque coronæ
iderat, ac miris confundit phaſmata formis.
Iic verò inſolitâ perculſus imagine rerum,
ttonito ſimilis ſtupet, ac defixus in uno
btutu Princeps hæret. Tum mente revulsâ,
bs hominis ſtatione cadit, veterémque figuram
xuit, ac trabeam deponens, ſchema bovinum
nduit, armentis, non Regibus accenſendus.
nclyta majeſtas oris, ciliiique verendum,
c ſublime decus, taurinum aſſumere vultum
ccipit; ex collo fœdè palearia pendent;
rmi expanduntur; ſurrectis cornibus alta
onſurgit cervix; rugoſâ fronte minatur
rælia; ſub flexu cilii duo grandia gyrat
umina, & in terræ faciem ſe cernuus infert.
Ion bipedum jam more gradi, ſed lentior ire
uadrupedum ritu: viridem jam quærere paſtum,
tque armenta boum rauco adſpirare boatu.

Hanc

Hanc humilem meruit ſortem,qui miſcuit aſtris
Excelſum,deménſque caput. Fit beſtia jure,
Altiùs humano qui ſe ſe limite tollit.
Obvia quæque feris jam cornibus impetit; ipſum
Qui crebrò petiit faſtu bellante Tonantem.
Compedibus validis conſtringitur, atque numellis;
Qui totum imperio mundum frenare volebat.
Quid multis? elata throni veſania,ritu
Belluæ in abjectam ſua pectora projicit herbam.
Aſpiciat pronus terram, qui deſpicit aſtra.
Jámque auguſta fugit, nec non urbana relinquit
Tecta ferus Princeps,nemorúmque cubilia quærit.
Nec deſunt avidis Panos ſolatia votis:
Quippe ad ſylveſtres damnatur beſtia ſedes,
Intérque ignavas ſeptenis paſcitur annis,
Opprobrio ſaturante, feras. Dum devia ſaltûs
Perreptat pedibus,manibúſque; incondita quædam
Stridet, quêis terret trepidantia luſtra ferarum:
Aut potiùs queritur ſortem,quam jure meretur.
Sic eſt frenandus, Superúmque domandus acerbo,
Sed merito pœnæ flagro; cuî ſidera vilent,
Quíque aſpernantes in Cœlum porrigit auſus,
At tandem immites inter jam mitior uros
Redditus, in tumidi,correctâ mente,reatum
Deſcendit ſceleris. Iam noxæ ſolvere pœnas
Se videt illacrymans,veniámque expoſcere culpæ
Occipit,ac penitùs turgentia ponere corda.
Sic qui faſtoſâ miſerè ſe perdidit aulâ,
Abjectarum inter reperit ſe luſtra ferarum.
Sola hominem reddens homini eſt demiſſio mentis.
Vix cordis poſuit faſtum, cùm taurea frontis
Abjicit opprobria, indutúmque bovem exuit omni
Corpore, & in veterem,Cælo miſerante,figuram
Rurſus homo tranſit. Iam roſcida tollit in altum
Lumina,& agnoſcit Superûm,terræque Monarcham;
Qui tumidos plectit Thamyras,juſtóque rigoris
Ponde-

Pondere veſanos Regnantûm deprimit auſus.
Non eſt in terris Cælo par ulla poteſtas ;
Numinis arbitrio quæ jure reſiſtere poſſit.
Ergo DEO,ac animo meliori redditus, & jam
Virtutis patiens frenum,rectíque lupatum,
Arſaciæ recipit faſces, humilíque reponunt
Aſtra decus fronti ; ſolii conſcendit eburni
Eſſeda,non fatuas Cælo,terræ quedaturus
Ambitione novâ leges. Decreta Tonantis
Iam facili officio ſequitur,Numénque veretur ;
Quod nutu Reges ſtatuit, vel murice privat.
Hæc vobis exempla dedit,ſuprema poteſtas
Ætheris,Imperii folles ; quos ſyrma tumoris
Immemores legum reddit,fortíſque caducæ.
Mittite ventoſas actutum mittite noxas.
Deprimit alta DEUS, ſubmiſſa extollit in altum.
Sunt faſtûs comites : caſus,triſtéſque ruinæ.
Qui ſapit,Icarias deponat protinus alas,
Quas tumor aptavit : nè ſortem ferrea Clothûs
Dextera ſuccidat, vilémque exponat in algam.
Haud unquam meritis vacat alta ſuperbia pœnis.

A L-

ALPHONSI Regis Hiſpaniarum arrogantia à Cælo correcta.

ALphonſus X. ſcientiâ, & honoribus elatus, DEI opera ad notam cenſoriam vocans, infandâ blaſphemiâ palàm jactare auſus: ſi ipſe, principio creationis mundi, divino conſilio adſtitiſſet, futurum fuiſſe: ut nonnulla ſatiùs, ordinatiúſque conderentur. O inſanum caput! meritum cui hæreat fulmen; nî miſeratio Cæli vellet ſanitatem. Monet primùm divinorum operum carptorem probi militis parænesi, palinodiam canat. At ſurdo fabula. Tum per eremi cultorem jubet verborum impietatem recantare. Sed in rupem obrigeſcens Alphonſus, in malam crucem ablegat anachoreten. Tandem per fulmina cum nefario Rege DEUS loquens, tonante voce frangit os ſacrilegum, tantóque metu futurorum percellit; ut teſtibus lacrymis, DEUM omnia bene feciſſe palàm profiteretur. *Rodericus Santius Hiſtor. Hiſpan. c.* 1.

IMperii faſces, opibus, Sophiæque tumentes
Artibus, & veri aſpernantes jura Tonantis,
Ac ſuper æternam diademata turgida mentē
Calliope cantare ſtudet, formidine quamvìs
Obruta. Sed tumidas maleſano vertice criſtas,
Elatúmque animi ſuper ardua ſidera faſtum,

Atq;

Atque laceſſentem metuendum Numen, & oris
Luſibus edentem fatuæ convicia linguæ,
Caſtigat meritò pœnarum fulmine, juſtus
Aſtreæ, Nemeſiſque rigor. Sic alta refringit
Cornua veſanæ mentis ſuprema poteſtas,
Atque in natalem mortalia pectora ſortem
Ducit, & agnatum nihili reflectit in ortum.
Hanc dum Rhamnuſis ferientem turgida dextram
Crimina Muſa canit: Cælo, terræque timenda
Iugiter Adraſtis, faciles in carmina nervos
Suffice, ut appoſito cantet tua Numina metro.
Fortè Acherontææ dominator ferreus oræ,
Majeſtate tumens rigidâ, frontíſque ſeveræ
Fulgure dictabat leges; queîs tota tremiſcit
Umbrarum regio, pallens ad juſſa tyranni.
Cùm ſe Tænariis infert ſtrepero impete regnis
Tartareâ de ſorte unus; quem rector Averni
Nuper in oppoſitum celeri pede miſerat orbem,
Veſtigare ſinus mundi. Vix Ditis ad aulam,
Et ferrugineo conſtratam agmine ſedem
Attigit: ante Iovis ſtygii ſe ſe illico ſternit
Auguſtale, hydros ponens, ac talia fatur.
Iupiter Inferni, cui tertia regna laborant,
Umbrarúmque potens. Lætus tibi nuntius adſum
De ſuperis rediens oris, Erebóque tributum
Grande fero, dominum regni quod triſtis amœnet.
Præſidet Heſperiis, Alphonſus nomine, terris
Ventoſus ſolii follis; quem gloria ſceptri,
Atque ſecundarum felix proceſſio rerum,
Theſpiadúmque favor, nec non ſublime theatrum
Pallados, ac ſinuum terræ, aſtrorúmque recocta
Notio, perdocto tumefactum nomine, ſupra
Extulit humanas, turgentem pectore, metas,
Indè ſupercilium tollit, Cælique Monarchæ
Præſcribens leges, noſtros ſupereminet auſus
Inſolito linguæ faſtu, mentíſque tumore.

 Vix

Vix ea fatus erat, cùm Ditis torva poteſtas
Ore ſerenari, teſtari gaudia fronte
Sulphureâ, fulménque trucis compeſcere vultûs,
Nuntiáque atratis invadere colla lacertis,
Ac ſolido ſtygium complexu ambire miniſtrum,
Lætaríque umbras mandat. Fit plauſus Averno.
Ut verò affinem Tarteſſia ſceptra tumorem
Perpetuent animo, foveántque in vaſta ferendum
Regna: jubet fidum Phlegethontis protinus anguem
In ſuperas remeare plagas, natámque beatis
Sedibus effuſam, ſolio demandat Ibero,
Haudquaquam imparilem, ſolemni jungere tædâ.
Nec mora: de ſtygiis, faſtu comitante, caminis
Prorumpens Erebi coluber, rigidúmque faceſſens
Imperium, Eoas confeſtim ſiſtit ad oras
Cocyti deforme decus. Vix turgida faſtu
Æolis Heſperiam tumido pede calcat arenam:
Abiicit horrendam jam cauta ſuperbia formam;
Nè fuligineâ percellat imagine lumen
Principis, atque ſui pariat faſtidia monſtrum.
Quare ementito faciem medicamine tingens,
In roſeas tranſire genas, ſpumámque rubentis
Nitri in candentem ſcitè infucare nitorem.
Utque ſuperciliis ventoſa protervia ſurgens
Exulet, atque truces celentur luminis orbes;
In lætabundos oculorum tela pyropos
Induit, atque ſibi glaucas de ſorte Minervæ
Commodat illecebras, quêis ipſos vincat amores.
Labra ſuperfuſâ patris loligine tincta
Purpurat in coccum; quò ſubdola baſia figat,
Inſpiretque animam faſtûs. At colla ceraſtis
Horrida, & intortis graſſantes crinibus hydros,
Mutat Hydaſpæo cum munere: tempora gemmis
Irradiat: baccis onerat fulgentibus aures,
Suggeſtúmque parans cyrrhato vertice, nectit
Retia; ut incautum claudens indagine Regem,
Caſſibus illaqueet Ditis. Si cætera ſpectes,

Quæ

Quæ ſtyge conflatum decorant inſtragula corpus :
Arte laborato circumvallatur amictu,
Incruſtátque aurum ſubtegmen. Vellera Serûm
Picta croco, Tyrióque natant velamina ſucco ;
Quæ mirè illuſtrant viridanti luce ſmaragdi,
Chryſolithíque faces, grandóque adamantina veſte
Fulgurat, in rutilas affabre ducta figuras,
Invidiámque movet radiis Phœbi. Aurea tergo
Palla oculata fluit, ſtellato ſyrmate verrens
Iunonis volucrem. Superi Iovis eſſe putares
Conſortem, aut aliam de magna ſorte dearum.
Hæc Tarteſſiaco cùm ſe tulit obvia ſortè
Nympha doloſa throno ; tacitis ſe flamma medullis
Inſinuat ; Paphius jam viſcera permeat ardor ;
Reginam exoptat, thalamíque in jura repoſcens
Obtinet, atque jubet feſtos cantari hymenæos,
Pernicie comitante thorum, probróque Monarcham.
Prô Superi ! quæ portenta effundentur in orbem ?
Iámque magìs tumet atque magìs, conſorte tumores
Addente, attollítque novo ſua pectora faſtu.
An Sapor aſtrorum frater, Phœbóque gemellus,
Tænariis ſurgit regnis ? Salmoneus orbi
Fortè redit, ſuperi Iovis æmulus, atque Tonanti
Rivalis terræ rector, ficto æthere vectus,
Æriſonúmque rotat ſtupefacta per oppida fulmen,
Se jactans tonitrûs dominum ? Plùs dicere fas ſit.
His magè in altivolos, ſublato vertice faſtus
Bæticolûm aſſurgit Princeps. Tarteſſia multo
Regna tumore replet ; Cæli, terræque ſatorem
Opprobriis, ſanníſque petit, mentémque ſupremam
Informare ſtudet, Regúmque docere Magiſtrum :
Quâ ratione regat mundum meliore capiſtro.
Utque palàm verbis faciat, quis mentis in arce
Stet tumor, ac vacuo veſica inflata triumphet
Pectore, deblaterat maleſano hæc impius ore ?
Cùm DEUS à prima naſcentis origine mundi

Naturæ ſurgentis opus, de fonte levâſſet,
Ac barathro nihili, terræque, Thetíſque profundo
Innumeras fudiſſet opes: ſi provida noſtri
Munera conſilii, quêis adſtat Dædala ſemper
Fabrica, in auxilii partem, ſociámque venire
Decréſſet trutinam: meliori multa vigerent
Ordine, & in formas potiores tota migrâſſet
Naturæ facies, quâ ſe ſe porrigit orbis
Terreus, ac liquidus variarum campus aquarum.
Vah te! quid blateras? Temero quid deſpuis ore?
Prô te ſacrilegum! meritum quem terra dehiſcat,
Quémque Acherontæis demergant ſidera ſtagnis.
Quid fatui Princeps cerebri, quid ſtipite cretus
Ingenii caudex, (ô quæ vecordia!) túne
Conſilio æternam mentem, quæ Neſtora longè
Anteit informare velis? Num bulla tumore
Ebria, non ullâ finitum limitis orâ
Oceanum, ingenii lacerâ pervadere cymbâ?
Talpáne perpetuæ noctis caligine merſa,
Ad jubar immenſum Cæli ſcia lumina tollat?
Hem! quid agit vilis cœnoſæ portio terræ,
Quò ſanies, tabúmque ruit? Quod phaſma retorto
Vertice te gyrat? Quæ te dementia tangit
Ludio? Quid fatuo moliris ſannio corde?
Túne à conſiliis æterni Numinis? O te
Bœotum patriâ cretum, pinguíque profuſum
Pallade, ad Anticyras mittendum jure, ſalutis
Helleborum ut magno tibi de cratere propinent.
Túne à conſiliis VERBO, quod cuncta gubernat
Providè, & æquali mundum libramine pendit?
O Superi! necdum Siculis fabricata caminis
Tela, è ſidereis in noxam ſpargitis oris?
Mittite nocte ſatas umbrarum regna ſorores,
Imperio Nemeſis faciles; quæ triplice faſtum
Principis excutiant flagro, reprimántque tumentis
Cornua, & ultrices ſumant de crimine pœnas.

Nónne

Nónne Ixionio Rex turgidus orbe meretur
Verſari æternùm : vel marmora volvere laſſi
Æolidæ , Phrygiíque famem ſenis,atque perennes
Iure ſubire vices Tityi ? Sed rector Averni
Cognatum renuit per Diras plectere faſtum.
Saltèm de Libycis ruat effera bellua teſquis:
Marmaricâ de ſtirpe leo, vel Caſpia tigris
Advolet , & juſtas repetat de crimine pœnas.
Eccur fulmineo ſegneſcunt dente ferarum
Luſtra , nec inſanos diſcerpunt unguibus auſus ?
Cur non Alphonſum lacerum crudeliter artus
Dilaniant, mundique Patrem,rerúmque ſatorem
Defenſare ſtudent,æquus cêu flagitat ordo ?
Sed quid funeſtas, crudelis Theſpias œſtro
Percita, depoſcit pœnas ? Clementia Divûm
Haud ullo patiens ſe limite circumſcribi ,
Verſat in æterna , Cælis miſerentibus,urna ;
Quæ mortale genus fugiunt. Ægæona faſtu
Turgidum , ad indemnem revocabunt æthera mentem,
Atque volunt meritam ferali ſorte perire
Regis cervicem , meliori tradere fato.
Forte palatinâ ventoſi Principis aulâ
Aſſecla Martis erat , Martini nomine clarus ,
Ominéque inſignis ; cultor pietatis avitæ,
Et Virtutis amor. Nulla hunc de tramite recti
Sontica flexerunt pravi contagia Martis ;
At vitæ melioris iter ſectatur , & alto
Pectore rem ſacram noctúque , diúque reverſans ,
Incorruptam agitat mortali corpore vitam.
Sæpe DEO fari ſolitus, multámque viciſſim
Divini illapſus perſenſit crebriùs auram :
Numinis unus amor, Superúmque haud una voluptas.
Dum forſan placido conceſſit lumina ſomno,
Ac ferrugineam nox atra infuderat umbram ,
Almáque noctivago cæli percurreret orbem
Latois curru : ſe clara objectat imago
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sidereis allapſa tholis. Eſt miſſus Olympo
Aliger, æthereæ longè pulcherrimus aulæ.
Nudus alit teneros roſeo fulgore lacertos:
Inſumit lævam Sidonis murice palla
Clarior: in cocco pretioſis fila ſmaragdis
Ducta virent: rutilo decoratur Iaſpide cyclas
Aurea: perſpicuo radians adamante coruſcat
Tegmen conchili ſaturum; quod fibula ſubter
Ilia tergemino connectit tortilis auro.
Aſſurgit cygnus niveis argenteus alis
Tergore; quo juvènis volucer, cêu remige pennâ,
Fertur in ætheream, vel noſtram concitus oram.
Suras includit gemmatâ grandine: plantâ
Mollis aluta nitet, cœno, ac fuliginis expers.
Siderea exornant deterſum frontis honorem
Lumina, ſpectato mirum decus enitet ore.
Stat roſeis Aurora labris. Phœbeïa lampas
Explicat obtutum. Radiis ſolaribus æquas
Promittit cervice comas, Phœbéſque nitelæ
Errantes vultu, Superûm teſtantur adeſſe
Et genus, & formam. Sed quid ſtellantis alumnus
Regiæ, ad obſtrictum Cælo, Regiúque clientem?
Hæc roſeo, vel fulmineo jam detonat ore.
Fatidico decreta cadit ſententia Cælo
In ſcelus Heſperiæ ſolii; nî probra recantet
Turgida; queîs Numen Superûm, terræque laceſſit
Sacrilegâ temerus lingvâ. Si jura Tonantis
Dente Theonino lacerare, aut rodere pergit
Impiè, in exitium geminato funere crimen
Proruet, ac ſtygiis pœnas dependet in oris.
Hæc ubi fatus erat, ſuperas, jam munere functus,
Pennipotens juvenis ſe rurſum librat ad oras.
Territus oſtento, licèt acri robore Martis
Præditus innocuus miles; ſed juſſa Monarchæ
Supremi obſervans, zelánſque Tonantis honorem:
Continuò imperium ſequitur; quod nemo moratur,

Cui

Cuì eſt Relligio cordi. Quare illicet aulam
Immodico gravidam faſtu, plenámque tumoris
Intrepidè accedit, dictíſque affatur amicis
Principem, & acceptas promit de ſidere voces.
Ecquid ad hæc ſceptrum? Mentem ſuper ardua tollit
Sidera, commentum reputans, & inania noctis
Ludicra; quæ Morpheus per vana papavera ſevit.
Numinis eludit monitus, ac dicta cachinnis
Excipiens, falſo perſtringit phaſma cavillo,
Non unam meritus ſannam, delirus, & excors
Inſano Princeps faſtu. Tum percitus œſtro,
In ſævas agitur diras, fœdúmque furorem
Purpuræ, & à ſolio procul arcet vera locutum.
Ad veri leges ægre tumor admovet aures.
Interea piceas cælo dimoverat umbras
Phoſphorus, acroſeo ſurgens Pallantias ortu,
Puniceíſque invecta rotis, diffundit amicam
Heſperiis lucem terris. Hìc rurſus ab alto
In viridem miſſus Dictynnæ nuntius aulam,
Cultori eſt author nemorum, ſecreta ferarum
Luſtra, ac Virtutum tutiſſima caſtra ſequenti:
Continuò tumidum, miſſâ formidine, Regem
Viſat, & haud dubias Superûm denuntiet iras,
Ac meritam ſceleri pœnam. Iubet indè referre
Nomine ſiderei, verſantis ſceptra, Monarchæ:
Nì velit actutum mores damnare priores
Eous Princeps, lacrymíſque abſtergere faſtûs
Crimina, quæ probris cæleſtia jura laceſſunt:
Hæſurum jugulo fulmen, quod turgida plectet
Pectora, & æterno feriet Rhamnuſia flagro.
Hæc ubi dicta dedit ſtellatæ nuntius aulæ:
Nil priùs in votis habuit devinctus Olympo
Virtutum, nemorúmque cliens; quàm juſſa referre
Cælituum ſolio, ſanæque reducere menti
De Tarteſſiacis fatuum Salmonea regnis.
Sed cùm vera refert, ac viſa, auditaque promit

Inſanæ cidari, divinóque increpat auſu
Plùs nimio inflatum trabeato munere follem,
Atque recantandum dementis præcipit oris
Flagitium, & cordis molitur frangere petram:
Omne operæ pretium perdit, caſſóque labore
Littus arans, ſterili committit ſemen arenæ.
Cêu immota ſedet rupes expôſta furori
Nereos, atque minas cæli, ſæviique tumores
Hippotadis ridet, nunquam ſtatione movenda:
Haud ſecùs Alphonſus durato pectore cautes
Indomitas geſtans, nullâ eſt tractabilis arte,
Atque ſuo perſtans blaſphemus carmine, rurſus
Opprobrio inceſſit Numen. Quid? túne protervo
Digeſtam rerum ſeriem ſarcaſmate carpes;
Quam DEUS æternâ ſapienter mente recoxit?
Non metuis juſtas contempti ſideris iras,
Ultricéſque poli flammas? Haud tela paveſcit
Ætheris, aut alias faſtûs veſania pœnas.
Majores reputat ſibi quippe ſuperbia vires;
Quàm cuî vel Cælum queat, aut fortuna nocere.
Unde iterum ſtolidæ jactat convicia linguæ,
Proſcindítque DEUM probris, ſannámque reflexâ
Mente iterat: primâ naſcentis origine mundi
Haud pauca (ô immane nefas!) potuiſſe creari
Ordine, quo decuit, ſi mentem divite conſo
Præditam, in auxilium formantis dextra citâſſet
Numinis, Heſperiæque thronum in problema vocâſſet.
O Cæli! necdum metuendos fulminis ignes
Ætherea librare domo, buccíſque crepantem
Inſolitum Regis faſtum, per tela domare
Ignea ſtat Superis? Necdum Plutonia ſurgunt
Regna in terrigenam, ſuper ipſum cyma Tonantis
Tollentem ſe ſe temerè? Cur Regia Ditis
Nondum flammarum piceata volumina volvit
In ſolium, aut ſtygias demergit crimen in undas?
Sed quid ego Diras Erebo, ac ultricia cœlo

Flagra cito? Necdum Superûm miſeratio juſtas
Vindictæ flammas in ſceptri depluit auſus.
Æthereum extinguit Metanœa calentior ignem.
Quare ſi Princeps, tibi cor limante Minervâ,
Stat ſapere, ac toto Sophiæ vis pullus haberi,
Atque celebrari mundo; depone tumorem
Cordis, & inflatum ventoſo pectore faſtum.
Comprime: nè te pœna gravet, quæ jure ſuperbas
Deprimit in Lethen noxas. Mitte illico faſtûs
Crimina: nec Superos maleſvada protervia linguæ
Indecori feriat verbo, Numénque fatêre
Omnia prudenti moderari lege, nec ullum
Telluris de ſorte ſatum, comprêndere poſſe
Divinæ arcanum mentis; quæ cuncta gubernat
Providè, & immenſum ſapienter dirigit orbem.
Nî revocare velis projectum in ſidera probrum,
Ac lacrimis abolere nefas; cêu cultor eremi
Cæleſti ſvaſit mònitu, meliórque Gradivi
Æmulus, atque Themis poſcit: Rhamnuſia pœnas
Exiget ultrici flagro, juſtique Tonantis
Ira, Acherontæis tua mittet crimina regnis.
Quare age, conſultámque citò ſuperindue mentem;
Dum veniæ indulgens æther demiſſa moratur
Pectora, & iratæ ſuſpendit fulmina dextræ.
Nunquam in promeritum ſua vibrat tela piâclum
Numen propitium; ſi cor Metanœa ſubintrat.
Flecte dolore DEUM. Clementia proſpicit alto
Æthere, & attritæ venit indulgentia menti.
Verùm quid rapidis verborum prælia Cauris
Tradimus? hæc ſurdâ Rex turgidus accipit aure,
Atque animo eſt ſcopulus, nullâ flectendus ab arte
Neſtoris, aut Latiæ facundo munere linguæ.
At velut annoſis altè radicibus hæret
Dodonæa arbos, Riphæo neſcia flabro
Cedere: ſic Princeps immotâ mente reſiſtit
Omnibus, atque tenax animi, faſtigia cordis

Erigit, ac Numen, quod recto cuncta gubernat
Ordine, deridet, rurſum informare paratus
Æternam mentem. Sed dum temeraria faſtûs
Cornua in empyriam Rector levat impius aulam:
Interea illunis ſuccedit copia noctis,
Umbrarúmque horror tetrâ ferrugine terras,
Ac faciem cæli involvit. Nox incubat atra
Mundo, Cimmeriis obducens lucida peplis
Schemata, ſtant umbræ terris. Hic ſurgere primùm
Æolidûm rabies, equitare per aëris oram
Cum Cauro Boreas, armati turbine, ſúſque
Déque rotare ſolum; nubes glomerare per auras
Pulveris; horriſono per inane volare furore;
Robora cum plantis nemorum radicibus imis
Vellere; Dædaleas toto fundamine moles
Vertere, & in fœdam urbes inclinare ruinam.
Tum quaſſi reboare poli, horrendóque tragore,
Inter rauciſonas crepitantis grandinis iras,
Sulphurei devolvi ignes, complere timore
Omnia, Cyclopúmque faces terrena ferire
Tergora, & infeſtis ædes conſumere flammis.
Hic tremere Alphonſus, pallere, horrere, rigere,
Extremámque ſibi, regníſque putare ruinam,
Excidiúmque orbis. Sed tandem fœda pavoris
Cedere probra jubet, reſidémque faceſſere tanto
Corde metum, reddíque ſibi, mentíſque ſereno
Bæticolûm Princeps, faſtúſque novare priores.
Quare fulmineas accenſi ſideris iras
Naturæ tribuit, tempeſtatúmque furores
In commune refert cauſarum pondus, ùt ordo
Edocet, ac curſus rerum. Non corde revolvit
Vindicias Cæli, minitantis fata Typhoeô
Heſperiæ; at fatuos aſtrorum deſpicit ignes,
Explodítque faces ardenti ſulphure fœtas.
Hoc habet inſano nimiùm mens ebria faſtu,
Vecordéſque hominum ſenſus; quos vanior aura
Extu-

Extulit, à fixa mentis ſtatione moveri
Nec ratione valent, ſupero nec thaumate, lethi
Intentante minas. Sententia prima, tumoris
Confirmata baſi, nullâ ſe ſuſtinet arte
A malè concepto deduci tramite pravi.
Unde alia indomitum jam frangent thaumata faſtum.
Quippe ubi ſe tumidè firmat mens ferrea ſenſu:
Permirum æthereis fulmen delabitur oris,
Inſolito reboans crepitu, Regíſque penates
Igne ſubit triſido, bacchánſque ſinè ordine, ſceptri
Depopulatur opes, trabeatas corripit ædes,
Aureáque involvit fatali limina buſto.
Hìc tandem Alphonſus deterſo corde veterno,
Atque ſopore gravi relevatus, mira ſtupere
Attonito ſimilis, fatúmque videre propinquum
Commenſuratum ſceleri; quod tela minantur
Ignea, ni ſapiat, poſitóque tumore recantet
Sacrilegos auſus linguæ. Dum fulminis ira
Uſque ac uſque furit: gelidâ formidine plenus
In marmor penè obriguit, torpórque timoris
Aſſecla conſtrinxit perculſæ munera linguæ,
Et blaſphema metus jam funeris ora repreſſit,
Sigaliónque ori fixit. Sic frangere rupem
Indomitam faſtûs voluit miſeratio Divûm;
Quæ potuit ſtygiis Ephialtem tradere flammis.
Ac ſic Porphyrion domitus, mentíſque recepto
Lumine, jam recoquens demiſſos pectore ſenſus,
Inclamat trepidos titubandi chromate ſervos,
Continuóque jubet ſolerter devia ſaltûs
Perlegere, atque decus nemorum per luſtra ferarum
Quærere, & auguſtis extemplò ſiſtere tectis
Haud dubium veri vatem. Sed turbida toto
Tempeſtas cælo, ſtridentibus horrida nimbis,
Grandinéque efferveſcens æther, violentáque Cori
Prælia, & Arctois bacchans Vulturnus ab oris
Exportare gradum, luciqúe ſubire theatrum
Ter-

Terrificâ de nocte vetant, juſſúſque morantur
Obſequio faciles. At necdum offenſa rigorem
Sidera deponunt. Repetito fulmine cælum
Intonat ; eliſis iterum atque iterum ignibus æther
Increpat Auguſti faſtum, teliſque fragore
Edocet, iratos ſceleri conſurgere Divos.
Quare majores regalia corda timores
Impetere, ac certam jam formidare ruinam
Perculſus Princeps. Non ſic ad rauca paveſcit
Murmura cælorum, vibrato fulmine, cerva :
Non itâ Populeæ frondes, viridánſque comarum
Luxuries agitata Noto, trepidantia miſcet
Brachia : ceu Superûm cidaris metuenda tremiſcit
Nuntia, fulmineúmque timet minitante magiſtrum
Sidere, in emeritos ſurgentem criminis auſus.
Interea (ſic aſtra jubent) ſacratus eremo
Cultor magnificis ſe Regum poſtibus infert,
Conſpicuâ gravitate nitens, torvóque tuetur
Regnantem cilio faſtum ; perſtringit aperto
Frontis ſole priùs tumidum, jam abjecta ſequentem
Munera, demiſsíque animi per jura migrantem.
Nec mora : majeſtas ſolii decreſcere terræ
Poplite lunato, poſitóque tumore, vereri
Indubium aſtrorum myſten, ac talia fari.
Iam mihi non vanis æther cognoſcere ſignis
Criminis auſa dedit. Satis eſt mihi cognitus error
Devius. Haud uno temeravi vera piâclo
Numina : turgenti mens eſt obnoxia culpæ.
Ah Superos violâſſe dolet, mitémque Tonantis
Irritâſſe manum ! Prô ! quò nos cæca, nocénſque
Improbitas rapuit ! Vah ! quali fœda malorum
Colluvies merſit barathro ! Quò vana tumoris
Præcipitem aura tulit, ſcelerúmque reatus abivit ?
Ora ut ſacrilegis lacerarent ſidera probris ?
Hêi ! conſciſſe nefas pudet, æternúmque pudebit.
Da veniam ſceleri Superûm, terræque Monarcha.

Hæc

Hæc ubi dicta dedit Princeps, teſtante dolorem
Lacrymâ, & in veros effudit pectora planctus:
Talibus affatus verbis eſt cultor eremi.
Heſperiæ Rector. Per jacta ab ſideris arce
Fulmina, verba tibi facit æther, atque tonante
Voce loquens, per nos monitus hos mittit ab alto.
Aſpirant tepidis etiamnum ſidera votis,
Atque favet meritum noxæ clementia Cæli
Declinare morâ fulmen, pœnæque reatum;
Si ſtat ſana loqui deinceps, ſen ireque ſana:
Ut mortale genus decet, ac devota Tonanti
Corda juvat fari. Necdum eſt abſumpta benigni
In veniam ſcelerum facilis miſeratio cæli:
Si caput elatum ponas, ac turgida faſtu
Pectora, ſe humanam ſupra tollentia ſortem.
Sin efferre animos, altúmque reſumere pergis
Spiritum, & inflatam nutrire protervia mentem
Decernit fatuè: graviores Numen in iras
Surget, & æternas devolvet ab æthere pœnas.
Deciduæ aſtrorum flammæ, ſunt omina fati
Prodroma; quæ juſtâ quemvis formidine complent,
Exſternántque animum. Quos veræ lemma Sophiæ
Erudit, ac Themidos leges; reverentia tangit
Numinis, atque rogos Erebi, Nemeſíſque rigorem
Devitare ſtudent. Quare ſi cura ſalutis
Palladio reſidet ſolio, memoríque revolvis
Pectore, quid tumidos æther decernat in auſus;
Continuò, ùt par eſt, veſanæ jurgia linguæ
Magnanimâ Virtute doma, fœdúmque recanta
Protinus aſſertum: nè dignas exigat ultrix,
Iugiter in delicta vigil, Rhamnuſia pœnas.
Hoc Tarteſſiacus verborum fulmine tactus
Princeps, ſubmiſſos jam verſat pectore ſenſus,
Atque futurarum perculſus imagine rerum,
Conſtrictúſque metu glaciali, verba retractat
Impia, & altiloquæ revocat convicia linguæ

Deteſtans crimen faſtûs. Iam provida terris
Numina, quæque orbem ſapienti lege gubernant
Prædicat, & recto librari pondere, quidquid
Terra, Thetíſque ſuo latè complectitur alvo.
Utque daret veri ſpecimen, magníque doloris
Teſtem; pœnales de lumine provocat imbres,
Perfundítque genas; queîs diluat acta tumoris,
Ac lacrymâ ardentes extinguat ſideris iras.
Utque in præcipites glomerantur flumina valles;
Auſter cùm penetrat tacitarum vellus aquarum,
Et fragilem expugnat glaciem: ſic gurgite pleno
Exundat facies Regis; ſuſpiria, planctus
Alto corde ſonant, veri argumenta doloris.
Quóque magìs tepidos effundit lumine rivos,
Atque lares implet gemitu; (mirabile viſu!)
Hoc magè ſe frangit tempeſtas horrida cæli,
Hippotadíſque ſilent fratres. Iam Caurus in Evrum
Bacchari ceſſat rabie: non ulla micare
Fulgetra, Mulciberíque fragor, nubíſque tacere
Murmura, & in tacitas mugitum ferre latebras.
Quid quod jam mundo ſua forma redire, quieto
Æthere: ſedatâ fremebundi turbinis irâ,
Lætior ire polo Phœbus, roſeóque per oras
Luminè ferre diem: cæli clementia mœſtum
Arridere ſolum, diſpellique æthere nimbi.
Nec priùs à lacrymis, gemitúque, doloris aperto
Indice, deſiſtit Princeps; quàm juſta remittat
Ira DEI, meritas revocans à crimine pœnas.
Et verò poſitam miſerentis Numinis iram,
Sátque ſupérque probat, reſplendens largiùs aſtris
Iam meliore genâ Titan, ſinè nube coruſcas
Spargens axe comas, lætóque per omnia vultu,
Ac oculo renitente tuens. Vix climate viſa eſt
Heſperio ſuppar facies innubila cæli.
Sed cum tempeſtate cadunt malè ſtructa tumoris
Pegmata; nec ſuperis jam ſcribit dogmata ſceptris

Deſipiens animo Princeps; at turgida ponit
Cornua, ſubmiſſóque DEUM veneratur honore,
Atque jubet ſtygias faſtum repedare ſub undas.
Diſcite vecordes, cælo capita alta ferentes
Enceladi, ac Drances, qui aſtris, terríſque movere
Prælia, & è proprio moderari Numina conſo,
Juráque Cælicolis temerè dictare ſtudetis:
Diſcite grandiſonum Cælo ſubmittere collum.
Si vos dementi maleſvada ſcientia faſtu,
Aut decus Imperii, vel opum ſuſtollit in altum
Gloria, vel quidquid Divos in bella vocare
Impietate poteſt: exemplô diſcite Regis
Bæticolûm ſelatas confeſtim ponere criſtas:
Nè vos fulmineis meritò Cælum obruat iris.
In pœnam tumidos vocat Adraſtia thraſones.

BAL-

BALTHASARIS Regis ſacrilegè convivantis interitus.

DANIELIS V.

CYro Medorum, ac Perſarum Rege, Babylonem diuturno obſidio premente, Balthaſar cum Optimatibus, & univerſo populo curas militares vino mergit. Contemnitur non duntaxat hoſtis, jam Euphratem in plures eductum foſſas, vadoſum, & permeabilem reddens; ſed vel maximè vilipenditur DEUS; cujus aræ dicata vaſa, jam ſerviunt Bacchi haræ. Dum fervet convivalis luxuria, apparent in pariete digiti manûs ſcribentis, Rege, & Summatibus timore perculſis. Arcanas literas cùm augures in ſenſum componere nequeunt; accerſitus Daniel, myſticum ænigma exponit, Regi, atque regno fatale. Sed cum longo poſt tempore hæc eventura crederentur; mero depoſiti ſomno indulgent. Interim nocte intempeſtâ per Euphratem hoſtis in urbem vino ſepultam irruit, omniáque cædibus, rapinis, incendiis miſcet. Ad Regiam ubi perventum, effractis foribus, primi omnium cuſtodes trucidantur. Exinde in penetralia irrumpitur: Rex epulis diſtentus ferro enecatur.

SAcrilegas Babylone epulas, quas divite luxu,
Atque coronato Chaldæus Apicius auro,
In Cæli opprobrium ſtruxit, veríque Tonantis
Dedecus, heroo, licèt icta pavore Camæna,
Decantare ſtudet numero. Saliaria primùm
Gaudia, & immodico feſtivum ſigma Lyæo
Deſpumans crapulam, cyathíſque natantia, metro,
Ora, oculóſque dabit. Tum miræ thaumata dextræ
Scribentis fati ſeriem; quæ Regis iniqui
Crimina in extremæ duxit confinia vitæ.
Hanc portentoſam Superûm de climate dextram
Calliope perculſa canens, depoſcit ab ipſa
Robur, & infractos animo, nervíſque vigores:
Quò diæ Nemeſis libratam pondere flagri
In ſolii delicta manum, meritáſque referre
Rhamnuſis valeat ſcelerato in Principe pœnas.
Forſan Achæmeniæ Moderator, & orbis Eoi
Gloria, Medorúmque caput, virtute Gradivi
Præcellens Cyrus, multos in bella vocavit
Auroræ populos, nunquam non ſigna paratos,
Ac labarum campeſtre ſequi. Sic Perſidos armis
Fortior, imperio majori in prælia ductus:
Iure Semiramias vaſtâ obſidione coronat
Arces; quò tumidos Babylonis comprimat auſus,
Memnoniæ gentis decora, ac illuſtria Phœbo
Regna aſpernantes. Sed quamvìs Martis alumnus
Magnanimo Arſacios impugnet pectore muros,
Ac poſitis arctet caſtris, omníque paratu
Odryſio ſatagat munitum evincere ſeptum:
Nequicquam tamen ardor agit Mavortis, inani
Se belli ſtudio laſſans, ſuperante laborem
Gradivi indomito, quo gaudent oppida, vallo.
Quippe ſtat omnigeno Bellonæ robore major
Urbs Babylon, ridetque minas, hoſtíſque furores
Non armis ſolùm, verùm & ſarcaſmate ludit.
Nulla urbem formido ſubit, nullique timores

Bellatorum animos ſternunt; quos fida tuentur
Pergama, ſanguineum Perſæ irriſura furorem,
Ac ſociam Evmenidûm rabiem. Si mœnia ſpectes,
In quinquagenos ſaxoſo vertice muri
Aſſurgunt cubitos: ter denum curribus aptum
Excelſam molem ſpatium, ſeu latus honorat
Ambitus in circum Martis: centena ſuperſtat
Fabrica turriti decoris, ſuper ardua cæli
Se ſe tollentis, totidem cum poſtibus ære
Fuſili obarmatis; qui nulli cedere ferro,
Mulciberóque velint. Nil hìc teſtudo, vel ornum
Ferratam excutiens balliſta, aut vinea muris
Proficit irrepens; nec ahenis oſtia frangi
Arietibus poſſunt. Stat nullis pervia telis
Urbs invicta ſitu, factúmque labore Cyclopum
Munimen perſtat firmum, Sed firmior, atque
Fortior his miles pro mœnibus excubat, omni
Armorum genere inſtructus; cûi cedere Tydêus,
Atque Agamemnoniæ poſſint è jure cohortes.
Centum myriadas Mavortis ſtirpe profuſas,
Bellonæque ſatos urbs invictiſſima cenſet,
Innumeros præter cives, aulæque catervas.
Nec maleſvada fames valet expugnare potentem
Principis Aſſyrii ſedem; cuí plurima miſit
Munera, diva potens frugum, Cererîſque labores
Triptolemus curru aërio devexit in urbem;
Cuí multo panis non deſit copia luſtro.
Ubertas Babylone ſedet. Procul exulat atro
Dente timenda fames. Vanis conatibus urget
Arſacidûm Ductor, ſibi tradi mœnia luxu
Ebria, & omnigeno nunquam non certa paratu
Hoſti adverſari. Iam belli robur inani
Proceſſurum operâ, vigilanti prævidet Argus
Lumine, & immenſas populi, armorúmque ruinas,
Quare nè temero decernat prælia ferro,
Mavortíſque globos certo diſcrimine vitæ

Obru-

Obruat: in vaſras ſe cautus promovet artes,
Ingenio technæ domiturus Pergama faſtu
Turgida, & Aſſyrio rapturus ſceptra Monarchæ.
Plùs perſæpe valent aſtus, tacitâque recuſus
In fraudis Lipara conſus; quàm Martis aperti
Fabrica, & armiſonæ, fremitu comitante, procellæ,
Hæcque Semiramias fraudum ſtropha perdidit arces.
Forſitan Euphrates Phariæ celeberrimus oræ
Amnis, cum rapido ſe miſcens Tigre, per urbem
Præcipiti curſu fertur, lambítque tumentes
Principis, ac populi ſedes. Hìc latior ira
Fluminis, horriſono depellit murmure ſceptri
Memnonii gentes, & utrinque præalta crepido
Aggeris, hoſtiles, naturæ præpedit armis,
Urbis in exitium, turmas. At providus uſu
Martio Achæmeniæ Princeps, ſuperare laborat
Iam geminis obicem victricia ſigna morantem
Annis, ut domito bellantûm more fluento,
Ferre triumphales per tecta ſuperba quadrigas,
Pérque throni faſtum valeat. Nec ſegnis in auſus
Parthorum Mavors; incilia ducere multis
Imperat actutum manibus, terræque revulſo
Viſcere, collicias formare ligonibus, atque
Raſtris; quò variis derivet flumina rivis,
Efficiátque vadum. Sic tranſitus eſſe per aſtum
Gradivo poterit, celſúmque ſubire valebit
Aggerem, & in tumidas ferro deſcendere ſedes.
Et verò hac technâ decedit lubricus amnis.
Vix altas terræ traductilis unda lacunas
Replet: cornigeri, fluvialia numina, divi
In pigros ſe ferre lacus, verſáque ſedere
Urna, non altis mittentes porrò fluenta
Amnibus; at taciti mugitum ſiſtere, nullum
Flumine jam vacuo reſonantes murmur aquarum,
Sibila jam ſolùm conjunctis oribus edunt,
Ac tremulis ſe abdunt cannis, nolúntque videri

 Ejecti

Ejecti irriguis laribus. De gurgite manant
Luminum adhuc lymphæ,quêis perdita regna queruntur.
Ipſæ etiam glaucâ ſe involvunt Najades ulvâ,
Reſpiciúntque oculis rorantibus uda profundi
Limina; quêis pulſæ limoſis degere juncis,
Ac jam cœnoſos debent habitare penates.
Poſtquam Euphratæum foſſis incilibus alvêum
Avertit Cyrus; ſimul omnis gloria cœpit
Diffluere Aſſyriæ gentis, certíſque volare
Ad clarum Auroræ ſceptrum victoria pennis.
Hac conſo, rebúſque ſagax potiturus, in omnem
Proſpectat,ratio ceu temporis exigit, anſam
Bellator Princeps. Nil nocte,dieque volutat
Mente aliud; quàm quò propè cælis æmula ſcandat
Pergama, & Eois ſubmittat regna lupatis.
Dum verſat licitas belli molimine fraudes:
Interea feſtas ignavus ducere cœnas
Balthaſar, haud ullis conſumens pectora curis,
Securúſque ſui, duntaxat corde reverſat
Prælia ſympoſii, non veri Martis arenam.
Sæpius eſt major veſano cura Regenti
De Bromio, quàm de populo, regníque ſalute.
Feſtus fortè dies, atque annua ſacra deorum
Exacto redeunt Phœbei ſideris ortu:
Cùm vario delubra colunt ſpectamine ludi
Feſtivi indigenæ: choreis per compita plaudunt,
Omnéſque immodico celebrant convivia luxu,
Indulgéntque animis. Nemo ſua gaudia differt.
Sobrietas Babylone fugit. Non provida virtus
Excubat, hoſtiles obſervatura furores.
Quippe calente mero frigeſcit cura ſalutis.
Iam civis,Martíſque phalanx immergere vino
Sollicitas urbis curas; vigilare Gradivus
Ad Bromii cellas; ſpeculâ Mavortis abire,
Contemptíque hoſtis nullâ formidine tangi.
O imbelle genus, quodMar[illegible] Maſſica præfert,

Læti-

Lætitiæ Rex ipſe facem præferre bibonum
Princeps,atque epulas geniali ſigmate ponit;
Quæ vix Aſſyriis quiſquam dedit hactenus oris.
Mille per Oebalios diſcumbunt ordine lectos
Turgentes faſtu Proceres, dapibúſque vacantes
Splendida cum madido celebrant convivia ſceptro.
Cuíque ſuus crater, ſuus eſt pincerna cuique
Invigilans cyatho: nè deſint multa Lyæi
Munera, torquentes è corde fugantia curas,
Atque metus belli. Vix incaluêre Falerni
Igne Semiramii Bitiæ: ſe poſcere magnis
Occipiunt pateris; plenos ſiccare culullos
Exemplo præeunte Ducis, noctémque bibendo
Frangere, & eximium per guttura mittere Bacchum.
Ut verò magis atque magis ſaliaria creſcant
Gaudia, lætitiáque fremant, plauſúque penates
Principis: extemplò famulantûm munere, multa
Cymbia deferri cælati præcipit auri;
Quæ quondam genitor Solymæis abſtulit aris,
Sacrilego bellans auſu, vaſtíſque reponi
Mandavit regni gazis. Iam ſacra profanis
Ceritum miſcebit ebur. Sed acerba ſequetur
Pœna nefas, æquâ Nemeſis quod deſtinat urnâ.
Vix ad purpureas tulit obſequa dextera menſas
Crateres auro ſolidos: jubet illico lecto
Impleri Bromio carcheſia gurges Iacchi,
Atque coronari Lenæo nectare labra
Obrizi, acclinanda labris. Rex cymbia primus
Contrectans utraque manu, dîs libat iniquo
Ordine, laſcivúmque Iovem veneratur honore
Cæcubi, & exciſos de rupe, aut caudice divos.
Illico reſpondere mero,potaréque totis
Faucibus Aſſyriæ Proceres,& amyſtide forti
Exſiccare ſcyphos; quêis ipſus robore ſummo
Alcmenâ genitus deſit,Macedûmque Monarcha.
Dolia, non pateræ temulento ſigmate ſurgunt,

Dircæíque cadus patris, cyathique capaces
Rhyti, ac Syriacis Baccho ſpumante metretis,
Atque quadrantali pariles. Hic aurea turget
Tina quoque, ad ſummum protrudens Maſſica labrum;
In quam demittunt complures ora, Lyæi
Mancipia, & ritu pecudum exhaurire fluentum
Lesbii, & inſano mentem ſubmergere vino.
Tandem facundis ſua vota expromere linguis:
Aut ſatiùs titubante ſono clamare ſalutem
Principis, ac Pylii repetitâ voce ſenectam
Eructare chori bibuli, ac Tithonia ſæcla.
Quam ſatiùs properi ceciniſſent omina fati.
Non ſic Baſſarides celebrantes orgia matres,
Cornibus Aoniis ictæ, clamoribus implent
Compita; ceu fractis jam regia limina complent
Vocibus, ac vario perturbant tecta fragore,
Confuſoſque mero fremitus per vaſta volutant
Atria regnantis. Sed necdum meta bibendi eſt.
Stat rurſum ſolio divûm libare ſaluti
Cymbia; quò ſolitos delubris pendat honores.
Unde gravem obrizo, gemmiſque offerre Tonanti
Rex it rum pateram, verúmque explodere Numen
Aſſyriæ Promachus. Sequitur mala vota Dynaſtes,
Odryſium colit ille deum, terræque propinat
Sanguinem: hic armigeram veneratur ritè ſororem
Martis, & haud ullum poſthac ſorbere cruorem
Supplicibus poſcit cyathis, pacémque precatur.
Iſte Dioneam ſibi conciliare Lyæi
Munere Reginam. Nec jam vult æquore naſci,
Verùm è pampineo Bromii deſcendere colle.
Hos alius ſequitur Dictynnæ cultor avitus,
Ac nemoroſa rogat commutet luſtra ferarum,
Inque Semiramias ſua munera deferat arces.
Denique quiſque ſuam feſtivo tollere plauſu
Divorum ſeriem, ſervatoréſque vereri
Indigetes urbis, contempto nomine veri

Numi-

Numinis Iſacidûm. Sed non impunis abibit
Libertas ſcelerum. Nemeſis delicta piabit
Sacrilego patrata auſu, Regémque ſolutum
Legibus, Eois conſtringent æthera frenis.
Nec procul ultrices abſunt à limine Diræ.
Iam Cæli pœnas vibrant, librántque tonantes
In ſolii delicta faces. Iam fronte coruſcum
Feſtinant auferre decus, Tyrióque ſceleſtum
Exuere Aſtydamam cocco, criménque pudendo
Induere opprobrio. Sed Princeps helluo nullas
A Superis pœnas metuit; quos ſpernere pergit,
Iam ſolùm Ogygiis accurans gaudia feſtis.
Quare iterum illicitos diadema redintegrat hauſtus,
Atque novum revocans certamen, grandia ducit
Pocula, cêu hoſtis, qui circumquaque coronat
Mœnia, regali eſſet ſigmate debellandus.
Nec ſunt officio ſegnes, queis cura palato eſt,
Summates regni. Non unus in arte regendi
Ingens œnophorum, bibulo de Rege triumphat,
Evincíque mero renuit. Nec prælia Bacchi
Duntaxat madidâ pergunt celebrare palæſtrâ;
Sed feſto pariter ſua numina carmine mulcent,
Exercéntque choros, ac Bacchanalia vivunt;
Ignari cineres temulento vertice ſpargi,
Atque brevì meritum fatorum inſtare rigorem.
Pergite ſepoſitis diffundere jubila curis,
Triſtitiámque, metúmque vagis extradere Cauris
Pergite; cùm vobis favet ultima temporis hora
Indulgere animis. Succedent triſtia lætis.
Adraſtia ſolet lacrymis penſare voluptam.
Sæpe ſuprema vocant Parcarum jura Phagones.
Et cêu ſquamigeram calamo fallace catervam,
Notíſque æquoreus technis populator inuncat,
Atque trahit torto Phocas ad littora lino:
Sic Martis, mortíſque furor per retia ducet
Sanguineis immerſa vadis, plauſúque frementes

Aſſyriæ ſedes tradet mæroris in ædes.
Excipiunt triſtes præpoſtera gaudia fines.
Ac primum Regem fatorum ferreus ordo
Tanget; qui reliquos maleſvadis anteit auſis,
Summos, ac imos ſcelerum per devia ducens,
Qui primus peccat, primus plectatur oportet.
Namque ubi plùs nimio geniali ſigmate fervet
Luxuries effuſa throni, atque excedit honeſti
Limitem, & in veritos temerè ſe projicit actus:
En tibi barbarico ſcribentis dextra tapete,
Cêu hominis foret illa manus, ſe ſe obiicit ante
Lumina Balthaſaris. Prô! quæ nova thaumata Cælum
Pariete depingit? Meritæ ſunt omina pœnæ.
Quò verò ſcriptas oculis percurrere formas
Rex valeat: lucis ſplendorem porrigit umbras
Arcens lychnuchus, rutilis laquearibus auctus.
Hæc ubi non dubio Primores lumine cernunt;
Elinguis terror cunctorum invadere pectus.
Non ſecùs, ac quando ſubitum ruit æthere fulmen
Omnia perſtringens, quatiénſque horrore gelata
Corpora, & attonitas reddens formidine mentes.
Hic verò inprimis ſolium cæleſtis imago
Siderat, atque animo loquitur, funeſta manere
Fata thronum, mittique graves à ſidere pœnas
Promeritæ dudum noxæ. Iam Principis ora
Exalbere metu; gelido terrore rigere
Vertex; exſudare merum, frigúſque per artus
Serpere, & exangui percelli corda pavore.
Quid quod compages renum, impugnante timore,
Nexibus exſolvi; collidi genûa tremore,
Omniáque inſolito turbari membra tumultu.
Quippe animo diſtante videt, ferale parari,
Aſtreâ minitante, malum. Sed quale, vel unde,
Ignoratur adhuc. Ergo, quò notio veri
In lucem veniat: vel quæ ſententia cæli
Cudatur Liparâ, trepidas deſcendat ad aures:

Præci-

Præcipit actutum fatorum conſcia ſiſti
Munera; quæ linguam Superûm pernôſſe laborent.
Nec mora: fatidici properant, indagine multâ
Signantes volucrum tractus, vel præpetis alæ
Omina ſcrutantes. Huc ſolers currit aruſpex,
Fata extis, fibríſque legens, Phœbíque ſacerdos
Advolat; ut ſæcli canat adventura futuri:
Aut ſolio juſtas divorum nuntiet iras.
Hic omnes oculo arcanas percurrere formas;
Perluſtrare notas ſtudio omni, volvere ſenſa
Murmure non modico vates, ac mente figuras
Pingere, nitentes cæcis obſcura latebris
Eruere in lucem. At nemo componere ſenſum
Prævalet, atque animo veri contingere fines.
Non ſi fortè Tages veniat, vel Thuſcus aruſpex,
Tireſiáſque adſit, vel providus Amphiaraus:
Nec non Theſtorides, Helenúſque in ſidera longum
Porrigat obtutum, tripodáſque, ac numina Phœbi
Conſulat, arcanam poterit pernoſcere dextram.
Dum Regis, Procerúmque animos formido reviſit
Amplior, ignaros quid fati deſtinet ordo:
Interea Nitocris, nurus alto ſangvine creta,
Balthaſaríſque parens, dubias educere mentes
Maturo ſatagens ſtudio, gravitate verendâ
Hæc nato ſvadet. Si ſcriptus ab axe character
Cælite, ſollicitum tenet, implexúmque tribunal
Principis, atque notas veri callere peroptat,
Ancipitémque manum: Danielem Numine plenum
Acciri faciat; quem magno ſemper honore
Auguſtus genitor coluit, vatémque futuri
Gnarum non uno pernoverat argumento.
Obſequitur matris conſo temulenta propago
Regia, & extemplò fatorum conſcia ſiſti
Pectora demandat. Nec juſſa ſuprema moratur
Officio promptus Daniel. Natitantia Baccho
Lumina, & auguſtum torvâ formidine vultum

Intrepido candore ſubit, mandata paratus
Exequi, & Aſſyrio ſe ſe ſubmittere ſceptro.
Vix accedentem madido hauſit lumine vatem
Princeps; cùm tales eructat pectore voces.
Túne ille interpres Divûm, verúſque futuri
Eventûs myſtes; cuî Cæli arcana patêre
Fama canit volitans aulâ? Túne ille peritus,
Quem coluít genitor, vates, multóque favore,
Ac laudis ſtudio ſequitur Nembrodidos ora?
Si linguam calles Superûm, ſortémque futuram
Nôſſe datur; muro peraratas collige formas
In ſenſum veri. Nullâ formidine tangi
Suſtinet impavidus, quem firmant ſidera, vates.
Quare age, continuò ſigna in ſignata reſolve,
Atque refer folio permiræ thaumata dextræ,
Si veri dederis ſpecimen, celebrabere claro
Nomine, & obrizos à nobis æris acervos
Iure feres, ſummis decorandus honoribus augur.
Dixerat. At Daniel lunato poplite adorat
Principem, & in Procerum, cedente timore, corona,
Hæc reddit cidari; quæ Cælum reddere mandat.
Invicte Aſſyriæ Rector, mundíque Monarcha.
Imperio parere tuô, me fida miniſtri,
Officiique jubet ratio; cuî vita, cruórque
Procidit ante thronum, Themidos cêu jura repoſcunt.
Myſtica verborum confeſtim ænigmata recto
Ordine depromam, Superúmque oracula pandam:
Non decore aularum, vaníque incenſus amore
Nominis, aut fluxæ ſtimulatus munere gazæ.
Non eſt venalis cæli ſapientia. Gratìs
Quæ Numen tribuit, gratìs deferre jubemur.
Vix ea dicta dedit: cùm ſobria lumina vibrat
Ad muri fabricam, digito, graphióque notatam
Cælico, & arcanas indagans mente figuras,
Atque probè accipiens ſcripturæ ſenſa, Monarcham
Talibus affatur dictis. Quas æthere miſſa

Dextra

Dextra notas pinxit, pulchróque tapete reliquit;
Nè reputa Princeps, oculos deludere rerum
Faſcino, & erroris mendaci phaſmate mentem
Hic dementari. Decretam ab ſidere pœnam
Continet inciſus ſcalpro meliore character.
Iámque iterum Daniel ſcriptas pervolvere formas
Acriùs, ac ternum labris evolvere verbum,
Fixúmque aulæis recto ordine prodere ſenſum.
Vox, inquit, ſtat prima : *Mane*, quæ talia ſignat.
Ille panomphæus Cæli, terræque Monarcha,
Quem nullus rerum numerus diffuſus utroque
Orbe fugit, qui omnes cenſet quot in æthere pendent
Aſtrorum flammas, quot devehit Amphitrite,
Ac Nereî regnum guttas, quot littus arenas,
Atque nemus frondes. Hæc ſummi Numinis inquam
Notio, quæ ætatis noſtræ momenta recenſet
Omnia; tranſactas ſcitè numeravit ariſtas
Aſſyriæ ſolio, vicenos ſcilicet annos,
Ac ſupra geminos, queîs regni es faſcibus uſus.
Altera vox *Thecel* eſt, fatali prodita ſenſu.
Quippe in divina juris, legúmque ſtatera,
Te rigida appendit Nemeſis, vitǽque ſeverus
Arbiter exegit ſeriem, mentíſque ſtatuta,
Ac delicta oris, perverſáque facta tiaræ.
Parte unà trutinæ, noxarum immenſa reſedit
Turba, ac farrago ſcelerum. Pars altera lancis,
Virtutes ſceptro dignas, moréſque recepit.
Sed vitii innumerus numerus, moléſque nefandi
Criminis, exilem ſolii virtute ſitellam,
Penè infinito culparum pondere vicit.
Tertia vox reſtat feralia nuntia mittens,
Nempe *Phares*; quâ juſta volunt decreta Tonantis;
Quò vitâ, ac claro regni exturberis honore.
Auguſtum nemo diadema, eboríſque meretur
Gloriam, in opprobrium Superûm qui cudit iniqui
Crimen, & infamat Numen. Qui dedecus aſtris

Irro-

Irrogat, in meritum, juris cadit ordine, probrum.
An non eſt immane nefas, dignúmque piari
Ultricis flagro Nemeſis: tot vaſa Tonanti
Sacra, profanatis luxu, Bacchíque furore
Extradi menſis? Cur ſenis condita luſtris
Pocula, quæ ſolis ter ſancti Numinis aris
Exponi decuit, vecors dementia juſſit
Produci in probrum Cæli, Bromiíque dicari
Sordibus, & fœdo miſceri ſigmate ſacra?
Hæc illata DEO convicia, jure ſubibunt
Decretas ſceleri pœnas; queîs ſceptra, decúſque
Imperii, divina tibi Rhamnuſia tollet,
Persíſque, ac Medis regni diſperget honores.
Hæc ubi fœta dedit non uno fulmine verba
Intrepidus vates, Cælóque jubente profudit:
Obrutus eſt equidem Princeps horrore, metúſque
Irruit in ſolium; nec non formido coronam
Primorum invaſit. Sed quod ſancita Tonantis
Crederet irati, ſerò eventura guloſus
Balthaſar: aut vatem dotandum ſortis honore,
Declinaturum tam triſtia fata putaret:
Non habuit multùm penſi. Quare ejicit omnes
Curarum de corde rubos, ſomnóque gravatus,
Imperat Oebalio deponi marcida ſtrato
Corpora, in æternam clauſurus lumina noctem.
Iam conſanguineum lethi de pectore trudet
Morphea, & è tumidis halabit Maſſica buccis,
In multúmque coquet Baccheïa dona cruorem.
Sic vino, ſomnóque gravis, ceu navita ſtertit
Fluctibus in mediis pelagi, pontíque procellis,
Providus haud rerum amiſſo moderamine clavi;
Inſcius adverſæ, quò ducant carbaſa ſortis.
Non regitur vigili rationis lege Dynaſta
Robore devictus Bacchi, ignorátque ſeipſam
Ebrietas. Facilem regni, vitæque ruinam
Thyrſigeri impulſu patitur diadema Lyæo

Deditum, & in varios agitur temulentia caſus.
Ipſi etiam Proceres jam cedunt Morpheos armis,
Atque futurarum lugubria nuntia rerum
Cygneo mergunt tumulo, commenta putantes
Omina, quæ vates præſago protulit ore.
Sed clauſas monitis aures inimica recludent
Claſſica, & ignavos arcebunt pectore ſomnos.
Quod nequeunt vates, mavortius efficit augur.
Dum Bromio fractos altus ſopor occupat artus,
Ac totam intempeſta quies jam diſtinet urbem;
Irrumpunt vigiles, effractis ariete portis,
Martis Achæmenii turmæ, multíque per undis
Exhauſtum Euphratem, pleno ſe ſe agmine fundunt,
Vallúmque invadunt. Iam tandem ſcena paratur
Lugubris, ut ludos ferali fine coronet.
Ipſe adeò Cyrus Princeps, comitante Dario
Auſpicium belli faciunt, primíque furentes
Præſidio injiciunt dextras, ac cædibus implent
Compita, quóſque vident, immani funere ſternunt,
Ac vitam Aſſyrii civis cum ſanguine fundunt.
Non ità Dardanios Agamemnonis arma penates
Indomitâ perimunt rabie, dum Pergama Trojæ,
Iliadúmque domos violentus fregit Achivus:
Cêu Mars Arſacidûm funeſtâ ſtrage vagatur
Per claras urbis ſedes, ac obvia letho
Corpora demittens, immenſos cædis acervos
Ferro debacchante facit. Quæ longiùs ira
Æſtuat, extingui vaſto cupit amne cruoris.
Haud fando referam, trepidâ quis in urbe tumultus
Perſonet, ac populi fremitus. Quæ Caſtalis ore
Infuſo lacrymis recinat: quis flebilis àuras,
Atque domos clamor feriat, planctúſque reſultet
Pectore, & afflictas ululatus permeet ædes?
Hos fragor è tacitis excire cubilibus: illos
Quos miſtus Baccho Morphêus in ſigmata pronos
Dejicit, interrupta quies, ſomnúſque relinquit.

Sic

Sic ubi communis reſidem formido ſoporem
Excutit, indigenæque vident, ac Martis alumni,
Mœnibus, ac vicis, laribúſque hoſtilia ferro
Agmina graſſari, correptis illico telis,
Quæ potuit caſus feſtinæ porgere dextræ,
Undique procurrunt. Sed quæ ſententia menti
Confuſæ à Bromio; nec non vertiginis actæ
Orbita, in ambigua belli præſentis arena?
Pars aciem, ac pugnam depoſcere: malle latebras
Pars alia, atque fugam. Dubiis ſuccurrere rebus
Nemo valet confuſum ſuperante furore Gradivi.
Jam ruit in totam millenis ſtragibus urbem
Arſacii Martis pubes, pérque intima ſævit
Viſcera jam nullis arcenda penatibus armis.
Conclamata rei eſt facies. Spes nulla ſalutis
Emicat: aut hoſtis chalybi dare terga ſequaci:
Aut etiam oblatis ſe vitæ reddere gazis.
Summis, atque imis eadem jam fata propinquant,
Omni quippe caret furialis lumine Mavors.
Nec genus, aut ſexum bellatrix ſpectat Enyo.
Sigmata, quæ multo fluxêre liquore meraci;
Sanguineo jam rore natant, ſtagnántque cruoris
Aſſyrii tabo. Choreas jam ducit in orbem
Atropos, ac Cloto. Pro feſto carmine plauſûs
Indice, jam queſtus reboant, planctúſque per urbem,
Pro luxu, ac ſtructis geniali ſigmate cœnis,
Eſt æterna fames. Pro vino, fata propinat
Chaldæo Eous miles, per ferrea ducens
Funera, quæ meritus contempto eſt Numine civis.
Ille triumphali mutilatus Perſidos enſe,
Colligit in fruſtis animam. Immedicabile telum
Huic pectus reſerat, monſtrátque in Tartara callem.
Iſtum amentatâ, repetitis ictibus, haſtâ
Exturbat vivis Mavors. Hunc ſaxea moles,
Ac grando ſilicum nativo pondere terræ
Abjicit, immergítque ſtygi. Quid multa? per omne
Lethi

Lethi Perſa genus deſævit. Nulla furenti
Atque irritato per ſannam eſt meta Gradivo.
Daphnide jam miles redimitus tempora, plaudit,
Exanimeſque uſu Martis proculcat acervos,
Atque ſuper ſtrages, cædeſque trophæa coaptat.
Poſtquàm ſanguineo jam ſatque ſupérque natare
Flumine, civiles Parthi victoria ſedes
Conſpicit: auguſtos pleno petit agmine poſtes,
Cardinéque emotis foribus, per vaſta Monarchæ
Atria diſcurrit. Sed nè quis fata morari
Decreta à Superis valeat, ferróque tueri
Balthaſarem: primùm cuſtodes Principis enſi
Immolat, atque alios fortaſſis in orgia Bacchi
Nocte intempeſtâ vigiles, demittit ad ignes
Tænari, ut humentes Bromii promulſide manes
Ad flammas Erebi ſiccent. Sic nuntia Diti,
Providus ablegat Mavors: jam temporis eſſe
Ordinem, ut Aſſyrio ferat obvius hoſpita ſceptro
Munera, & officio accipiat pro more tyranni,
Ac piceo temulentam animam cratere ſalutet.
Iámque Ducis penetrale ſubit, tacitúmque cubile
Martis Achæmenii mucro, ſtratúmque ſopore,
Diſtentúmque utrem vino, ronchóſque trahentem
Oppreſſurus adeſt. Hìc Morphêus territus armis,
Auguſtum effugiens lumen ſua tecta reviſit,
Atque in Cimmerio ſe protinus occulit antro.
Balthaſar excuſſo, trepidâ formidine, ſomno,
Tangitur, armorúmque pavet rutilantia ſtrato
Fulgetra, & hoſtiles, nam lethum proximat, iras.
Quare in tutamen vaſto clamore miniſtram
Implorare manum, vigilémque orare Gradivum,
Adſit, & infeſtas generoſo Marte catervas
Exturbet Regis thalamo, certámque ſalutem
Porrigat, in fidei ſpecimen. Rogat, obſecrat, inſtat.
Sed caſſæ cecidêre preces. Iam fata morantur
Principem, & Aſtreæ rigor impia facta flagellat.

Nec mora; tranſadigit coſtas, ac turgida Baccho
Pectora perfringit Mavors. Hic ilia ſævo
Rimatur ferro. Iugulum mucrone reſolvit
Iſte. Alius lateri capulo tenùs imprimit enſem,
Omnéſque Aſſyrio dant ultima fata tyranno.
Ac ſic purpuream milleno vulnere Princeps
Eructans animam, Bromiíque liquore refuſo,
Defluit in ſtygias, Erebo plaudente, paludes.
Hæc ſunt ſacrilegi meritiſſima præmia ſceptri.
Diſcite mortales temeri, mundíque Monarchæ
Diſcite, Rectorem cæli, terræque vereri,
Nec miſcere ſacris, pietate vetante, profana.

MILESIUS
à Conviva oſſeo raptus ad inferos.

IN Italia juvenis alto ſanguine oriundus, magnarúmque opum hæres, obtigit in diſciplinam homini vaferrimo, pſevdopolitiæ magiſtro; à quo dogmata combibit orco hauſta, ſed non impunè. Evenit, ut voluptuarius puber, apparato lautiore convivio, famem obſonaturus ambulatum iens, offenderit in calvariam; quam joculari quæſtione exagitans, daturam reſponſa inter dapes, & pocula, menſæ ſuæ adeſſe jubet. Ità abit ad ſaliares epulas genio indulturus. Dum fervet hilaritas convivalis; advolat attonito ſimilis unus aliquis è numero ſervorum, heróque refert, ante fores adſtare vivum mortis ſimulacrum, ex ſolis oſſibus compactum, & admiſſionem petere. Hìc memor illuſæ calvariæ Dominus, diſſimulato metu, hominis mortualis larvam ad corvorum pabula per famulum ablegat. Alios jubet, ridiculo mandato, feſtinos currere ad obſtruendam vectibus, & repagulis januam, ſi vim moliretur ſpectrum. At hoſpes oſſeus ipſe ſibi admiſſionem faciens, ingreditur ſympoſii locum; lateri invitantis adſidet, authórque eſt, cœptam proſe-

quantur convivæ lætitiam, gulámque raris deliciis paſcant. Sed Epicurea animoſitas in pedes fluit, alio poſt alium è triclinio ſe proripiente. Dum abitum quoque parat convivator, monſtroſus aſſeſſor injectâ manu fugam intercludit, factáque gravi de rebus æternis oratione, medium complectitur, validéque parieti allidens, animam juvenis cognatione ſibi juncti, ad inferorum pœnas abducit. *Paulus Zehentner in Promontorio malæ ſpei Lib. 2. §. 21.*

SYmpoſium ferale cano, quod nulla tacebunt
Sæcula, in exortu proponens grata Lyæi
Munera, & inſtructum geniali ſigmate luxũ,
Ac ſymphoniacos plauſus, & miſta lepôri
Gaudia, in attonitum tandem converſa theatrum.
Sympoſium ferale, inquam, mea Muſa recantat;
Quo chorus in leſſus abiit, Bromiíque rubella
Maſſica, in effuſum fœdè recidêre cruorem,
Tænariíſque epulæ dederant convivia menſis.
Has dum Calliope perfuſas crimine cœnas
Sacrilego, atque ipſum carpentes dente cavilli
Numen, Mœonio tentat contingere plectro:
Suffice dia meæ robur, nervúmque Camænæ,
In noxas valido ſurgens Aſtrea lacerto;
Ut canat æthereæ juſtiſſima fulmina dextræ.
Auſonijs vixiſſe plagis fert fama profuſum
Sanguine non vili pubem, de ſtirpe Licini
Forſitan, aut decimum Syllæ, Craſsíve nepotem,
Immenſis tumidum gazis. Huic copia cornu
Divite Pygmalios effuderat æris acervos,
Atque flagellavit largis opulentia nummis
Majorum loculos; aurati in vota migravit

Tempeſtas pretioſa Tagi, fluxítque ſecundo
Flumine Memnoniis non vilis portio terris.
Aſt ùt erat locuples cenſu, ſic dives in omni
Congerie evaſit ſcelerum. Quò depluit aurum,
Depluit & vitium. Dant gazæ pabula noxæ.
Atque hoc Oenotriæ dives Mileſius oræ,
In vetitum pronus naturæ pondere, ſenſit.
Forſan in errorum doctorem provida nondum
Læta juventa ruit, documentáque combibit orco
Edita, Virtuti contraria dogmata captans
Aure avidâ, vitiíque ſinens ſe pollice duci
Cerea per crimen. Citiùs veſtigia pravi,
Quàm Virtutis iter calcat vernantior ætas.
Cùm pravus fuerit maleſanâ lege magiſter,
Diſcipulo parilem vivendi porrigit uſum.
Hoc duce, vafritiem, tectíque Pelaſga Sinonis
Lemmata fert uſu, ſimulare, ac fingere doctus
Relligionis opus, Cælúmque, DEUMque negare;
Qui præſit mundi rebus, ſenſúſque latentes,
Ac motus animi centeno oculatior Argo
Pervigil inſpiciat, vitáſque, ac crimina diſcat.
Quin meliore ſui mortales parte perire
Aſſerit, ac animas cæleſtis ſemina mentis
Pertenues ritu pecudum vaneſcere in auras,
Omniáque in mundo nunquam reditura perire,
Nilque perenne dari. Quid quod requieta beatûm
Arva, ac Elyſii immortalia jugera campi
Sidereáſque negat ſedes, Cælíque Quirites
Pernegat, & meritis æquiſſima præmia Divis.
Nec lubet æternas ſtygiæ caliginis umbras
In veri reputare fide. Sunt ſomnia pœnæ
Tartari, & in vanos jactatur fabula ludos;
Quod de Tænariis vel pagina ſacra caminis,
Aut Fidei Proceres referunt. Commenta putantur
Omnia, quæ æternum tulit orbi lemmata VERBUM,
Aonidúmque ſales, quos Smyrna, aut Mantua ſpargit.

Hæc Acherontæo lethalia toxica fonte
Surculus illuſtris maleſvadâ combibit arte,
Atque in ſe, ac alios ſcelerum contagia ducit,
Sacrilegúmque nefas. Hinc ſenſim Numinis æquum
Exturbare metum; nullum jam voce fateri
Orbe DEUM; nec jam Superos in vota citare;
At ſortem, caſúmque ſequi. Sic lege ſolutus
Ætheris, affectu ducente, per obvia fertur
Crimina, quò demum juvenilis prolicit ardor.
Ac velut effuſis quadrupes permiſſus habenis,
Quò lubet, impellit rapidum, per aperta volando
Arva, gradum, nulli concedens frena magiſtro:
Haud ſecus Auſonius pubes, per fáſque, nefáſque
Proruit impatiens æqui, perferre lupatum
Detrectans Superûm. Quódque horret prodere caſto
Muſa labro, jam caſtra ſequi, labarúmque nefandæ
Cypridos, atque boni rationem ponere fœdâ,
Cœnoſáque mali vomicâ, Paphiáque mephiti,
Atque ſibi occentare Epicuri de grege porci
Dogmata, & hæc vetitæ præſcribere lemmata vitæ.
Indulgere juvat genio, dum ſuppetit ætas,
Sulcantéſque cutem rugas generoſa juventus
Summovet, atque trium patiuntur jura ſororum
Luce frui, lætóſque favent provivere ſoles.
Quippe ubi jam lumen frontis nox cæca tenebit,
Florentéſque manu truculentâ ſolverit annos
Atropos: in vacuas tranſibit ſpiritus auras,
In chaos antiquum rediens, nihilíque receſſus.
Quare Palladium ſi floret vertice numen,
Hoc unum accura ſolùm: præſentia mundi
Carpere, & omnigenâ ſenſum mulcere voluptâ:
Nunquam ſollicitâ curarum mole gravari:
Ambiguos arcere rubos, nullóque futuri
Se laniare metu. Latius ſic diſſerit Abron.
Bella argutandi ratio, quam dictat Averni
Maxima, & à ſtygio ſenior Gargettius hædo

Pro-

Protulit in lucem, diro programmate digna.
Hanc effrenis amat gnomen Neoclidis, in omnes
Effuſus ſcelerum claſſes, ſancitáque calcat
Ætheris, haud ullum veſana protervia deînceps
Perpeſſura jugum. Sed non impunis abibit
Libertas ſcelerum, pravæque licentia vitæ.
Exitio ſciet æterno, cúm fata citabunt,
Atque ultrix Nemeſis: cæli, terríſque præeſſe
Supremum Numen; merito quod præmia reddit
Virtutis ſtudio, ſontúmque in crimina ſurgit,
Supplicio feriente nefas. Atrocia plectit
Delicta in Superos vindex Rhamnuſia. Iámque
Proximat in noxæ decretas ſidere pœnas.
Feſtâ fortè die miro convivia luxu
Inſtruit Oenotriæ Bitias, de ſtirpe Lyæi
Thyrſiger, atque gulo; cui ſolùm cura palato
Incubat, Ogygii nunquam non prandia ſpectans.
Utque adipata famen deducat in ilia, rurſus
Ingluviem ſatagens dapibus farcire, meróque,
Atque novam exacuat pro pingui gurges orexim
Sympoſio, multæ ſumpturus fercula menſæ:
Carpit iter, genio indulgens, quò vota tulêre,
Diſcinctúſque nepos per compita lætus oberrat,
Haud quicquam mæſti volvens. Dúmque urbe vagatur
Floridâ, ut eximias delibet lumine formas:
Ecce ſepulchretum, monumentáque defunctorum
Fortuitô tranſire datur: vel ſemita juſſit,
Atque viæ ratio exanimes tranſmittere ſedes,
Funereáſque domos. Hìc ſe ſe frigida calvæ
Orbita ponè viam volvit, ſêu prodita caſu,
Sêu juſſu diæ Nemeſis. Vix triſtis imago
Fatorum, in geminum ſpecioſæ Caſtora frontis
Incidit: in diras agitur Mileſius iras,
Territus oſtento. Nec enim meminiſſe ſtat unquam
Funeſtæ Lacheſis. Celerem horret funeris urnam,
Neſtorium cupiens ævum, Pyliíque ſenectam

Degere, & innumeram, Tithonia ſæcula, vitam.
Quare faſtoſo primùm protrudere calce
(Horreſco referens) orbatam lumine calvam:
Ac tandem illepidis ſalibus caput aſpernari
Exanimum pubes vecors, ac talia fari.
Audi teſta levis. Scitanti vera referre
Nè pigeat, quæ nôſſe juvat; quæ diſcere præſens
Ordo depoſcit rerum, ſtudiúmque peroptat.
Veráne, quæ paſſim mortalia pectora jactant:
Immortalem animum mortali corpore claudi
Immunem fati; quem non abolere vetuſtas
Poſſit edax; ſed nec Libitinæ tela, nec ignis,
Aut ferrum violare queat? Si corpore talis
Incola te quondam rexit, diffuſus in amplam
Artûm compagem; nè differ reddere: poſtquam
Deſeruit luteam molem; num totus in auras
Ac fumos abiit: vel adhuc poſt fata ſuperſtes,
Degat in æthereis, vel Averni jugiter oris?
Fare age: num Superûm ſpatioſa theatra, beatas
Obtineant mentes; ſtygiiſve tragœdia regnis
Congruat, ùt faſti memorant, commentáque, vero?
De duraturo ſententia quæ manet ævo?
Semper adeſt, ſempérne fuit, ſempérque manebit,
Quod tum præterito æternùm caret, atque futuro
Tempore, ſtans ævum? Num juſtam concutit urnam
Æacus, ac Minos? Supremúſne Arbiter orbi
Præſidet, ac legum juſto libramine cauſas
Exigit? An meritis partitur præmia dextris,
Supplicióque gravat ſontes? An pœna malignas
Diſcruciat mentes, jugíque dolore laceſſit?
Eia age vera refer. Nunquid ſunt fabula manes,
Exangvéſque animæ? Nunquid figmenta ſeverus
Deblaterat myſtes, ludóſque eructat aniles,
Terriculum pueris? An non imponit inani,
Fallacíque ſtrophâ, doctus percellere vulgus
Sorte rudi cretum? Sunt hæc deliria, ſomni

Phaſ-

Phaſmata, quæ Baucis, vel mentis ſpargit egeſtas.
Hæc ubi Sardonio levicors Mileſius ore,
Præcipitíque labro dedit, audacíque cavillo,
Ac ſalibus caſſam conſperſit ſanguine calvam:
Non veritus (prò te, quò cæco proruis auſu?)
Oſſea ad electam ſimulacra ciere ſaginam.
Hei! quò non ſe ſe temerè, formidinis expers,
Ardelio Latialis agit, genialia calvæ
Sigmata proponens? At quid mea Pieris auſum
Miraris fatuum? Cæli contemptor, in omnem
Colluviem ſcelerum cadit, errorúmque barathrum.
Deludens verum Numen, non cætera ludat?
Nec ſatis. Ad gelidum converſus ſannio monſtrum;
Mimica, quæ jam iterare piget, convicia jactat,
Atque coronatâ vult ſiſtier illico cœnâ,
Horribilis portentum hominis, reſponſáque ferre
Ad quæſita, epulas inter, Bromióque calentes
Feſtivè pateras, ac lautè fercula menſæ.
Vix hæc ſacrilego fudit Mileſius ore:
Ad proprias revolat celeri pede ludio ſedes,
Antè invitatis ritè hoſpita tecta daturus.
Perge nigris avibus lymphatice ſannio perge.
Te ſequitur vindex ſcelerum Rhamnuſia, pœnas
In tua fata parans. Lethi feralis imago
Ponè ſubit, falſos jam penſatura cachinnos
Perpetuo luctu, lacrymíſque per ora ferendis.
Majores fato mentes, umbráſque ſilentes
Degere in æternum, decreto Numinis, ævum
Funeſto eventu diſces. Te vita perennis
Una equidem remanet; ſed pœnâ ſævior omni,
Quam Phalaris potuit, vel Sciron, atque Procuſtes
Fingere, Sauromatúmque furor, Scythiæque Tyrannis.
Vix unam forſan decurret mobilis horam
Cynthius, infernas præceps rapieris ad oras,
Infelix Erebi titio, mittendus ad ignes
Tænari, & æternis miſerè torrebere flammis.

 Cri-

Crimina magna ſolent magnas dependere pœnas.
Interea ad patrias rediens Mileſius ædes,
Ferre famem ſecum, quam rarò ferre ſolebat
Ad ſtructas menſis epulas, pinguéſque coquinas
Mancipium ventris. Cùm multus ad atria currit
Aſſecla menſarum, tractus nidore culinæ
Auceps, tempeſtas ſemper, barathrúmque macelli.
Non ſic Arcadiæ rauco clangore volucres
Stymphalideſque avidæ, Phineæ fercula menſæ
Uncis invadunt manibus: non vultur edaci
Sic ruit ad putens roſtri feritate cadaver:
Ut volat haud paucus dentex ad ſplendida luxu
Limina, inanitum ventris farturus hiatum.
Hic vacat officiis urbanæ deditus arti
Auſoniæ Evander, tectóque, animóque benignè
Accipit Evagoras Latii. Super omnia vultus
Accedunt placidi, Charitéſque per ora vagantes,
Hybláque verborum. Multis certatur ab omni
Parte ſalutantûm ſtudiis; ceu munus amicum
Flagitat, humanúſque lepos. Dum munere certant,
Officiíſque ſtudent: centum delecta coquorum
Agmina, multigenis uni ſudare Dynaſtæ
Dapſilibus cœnis. Vaſtæ ſtrepit aula culinæ,
Eripiúntque diem fumi, fumare putares
Pergama, Trinacriámque novis ſævire favillis,
Mulciberíque ſpecus. Ollarum fervet acervus,
Immugítque foco. Calido deſpumat aheno
Arvinæ, ac Pernæ ſeries. Hinc mille volucrum
Torrentur verubus turmæ; quæ gutture ſtrident
Poſthumo, & in mediis reſonant ſua funera prunis.
Illinc quadrupedum, nemorum de ſede, ferarum
Copia verſatur flammis: ferventibus iſthinc
Emollitur aquis, liquidáque evincitur arte.
Hæc pretioſa croci de Tmoli climate inaurant
Flumina: jámque piper, jam cinnama, jámque liquatum
Nectar Hyblæ miſcens adipatus myſta coquinæ,

Cuncta parat, domini jam jam mittenda palato,
Quæque epulis faciunt ſaliaribus, accurantur.
Tandem, ſed miſſis precibus, diſcumbitur oſtro
Auſoniis fulgente thoris, epulæque feruntur
Immodico luxu. Tabulares ordine longo
Stant acies de more dapum. Placare latrantem
Comeſſator edax ſtomachum; compeſcere linguæ
Chromata, ſolaríque famem, dapibúſque levare.
Iámque alii, atque alii mutantur ſigmate miſſus.
Quas fert divitias, alimentáque mitia tellus
Sufficit: aut per inane volat, pelagóve repóſtum
Eruit humano ſolers induſtria victu:
Quicquid & ambitio peregrino quærit in orbe;
Ritè miniſtratur. Surgunt in ſigmatis ara
Ingentes volucrum ſtruices de Phaſide miſſæ,
Turdorúmque greges. Patinas caſſita coronat
Plurima, perdicúmque phalanx ſe lance ſupinat.
Huc quoque de Cois ſapida involat ardea nuper
Miſſa plagis, Thuſcúſque anſer, Niliíque cothurnix,
Invidiam motura aliis, ac Phaſidos ipſum
Devictura genus. Quid quod Iunonius ales
Explicat à fato ſtellatæ lumina caudæ,
Et centum auratis luxum deſignat ocellis,
Syrmatéque æthereo minitantia ſidera prodit,
Ac docet authorem naturæ mira volucris.
Hic quoque fulmineum, ſylvarum gloria, dentem
Monſtrat aper, patulóque fremens in crimina rictu,
Damna inferre parat. Tacti formidine cervi,
Atque leves damæ trepidant, horréntque ſubire
Ilia; quæ ſcelerum duntaxat pabula quærunt.
Gloria prima lepus menſarum, à funere vellet
Ad notos repedare ſpecus. Quid cætera ſaltûs
Agmina toſta rogis? Flammas minitantur Averni,
Ac Tityi volucrem; ni crimine ſe exuat hoſpes
Illico, & agnoſcat cæli, terræque ſatorem.
Sed cur hæc rapido tradit mea Caſtalis Euro?

Neſcia turba DEI, feſto convivia luxu
Ampliùs exercet. Nè verò fortè queratur
Quicquam dêſſe Phago : famulantûm turba ſagaci
Lumine circumquaque ſtudet deferre fidele
Obſeqvii munus, nutúſque accurat heriles.
Quin etiam manibus ſolers proponit Iacchi
Dona, Paratonio, ſive edita colle Caleno,
Quæque Phaliſcus alit, vel rubræ vinea Cypri,
Quæque Falernus ager, vel noto littore Leſbi
Munera tranſmittit Liber, per cymbia manat,
Atque coronari Lydo ſe gaudet ab auro.
Nec deſunt patrio turgentia palmite Baccho
Maſſica, quæ ſolvant curas, motúſque ſtrepentes
Pectore componant. Hilari ſe proluit omnis
Bonoſus Latii Bromio, exſiccátque culullos;
Oppugnat ſe ſe phialis, cyathíſque Lyæi;
Reſpondent pateræ pateris, centúmque ſalutes
Quiſque bibit, mergítque ſuam cratere ſalutem.
Lætitiam multus ſuperaddit in arte canora.
Orphêus, Threiciam gnarus diſcrimine vocum
Sollicitare chelym. Demulcet corda Phagonum,
Expungítque rubos animo, mentíſque procellas
Argutis ſedat numeris, Amphiona vincens,
Ac Methymnæum ſuperans modulamine vatem.
Sic feſtiva dies agitur, genialiter eſtur,
Inque orbem vicibus multis carcheſia multo
Ire mero, atque inter calices, facundáque Bacchi
Munera, ructantur dicteria feſcennina
Impia prolatu. Nullis ſcelerata lupatis
Ora pudor cohibet: maleſvada protervia fandi
In temeras agitur voces, ſcelerúmque ſaburram
Egerit, ac fœdum concit Cythereis oletum.
Harpocrates hìc nullus adeſt; ſed Tantalus omni
Diſcurrit labrò. Cocyti excernere pergit
Sputa, ac cœnoſis Erebi verba eruta ſtagnis
Effundit congerro levis, condítque paratas

Hac

Hac camarinâ epulas, tetram exhalante mephitim,
Atque Paphos foricam, totâ applaudente coronâ.
Non procul à Baccho Cythereis caſtra locantur.
Interea læto dum plaudunt feſta tumultu
Prandia, quæque lubent, dum fortè licere putantur;
Nec non ſacrilego carpuntur ſacra cavillo:
En tibi de gnava famulantûm ſorte miniſter
Advolat impigrior Cauris, ægréque reſumpto
Spiritu, & ingentem teſtans horrore pavorem,
Oréque pallorem faſſus, titubante Dynaſtam
Affatur lingvâ. Sed quæ mala nuntia portat?
Ante fores adſtare refert mirabile viſu
Monſtrum, non hominis, verùm mortis ſimulacrum,
Oſtentúmque albens, ex ſolis oſſibus altâ
Compage exſtructum, quod ferrea limina pulſat,
Admittíque petit. Prô quæ portenta miniſter?
Omnibus attonitis ad triſtia nuntia, fati
Omina, diſſimulare metum Mileſius, atque
Infeſtas ſcelerum diras, quæ pectora quaſſant,
Reprimere in ſpeciem, Quare nè fortè timoris
Magnanimum valeat quiſquam reprêndere pubem:
Intrepido juſſu munus ſervile remittit,
Quídque velit portentum ad poſtes, quærere mandat
Protinus, atque eccur id temporis adſit imago
Horrida? Cur patulas reſoluto cardine valvas
Flagitet, ac turbet ſociales phaſmate cœnas?
Vix ea dicta dedit, verborum læta reſumit
Ludicra, & argutos trudit ficto ore lepôres,
Feſtivis pergens epulis, ſalibúſque vacare.
At famulus licèt invitus mandata capeſſit.
Dúmque gradu tremulo feſtinat juſſa Dynaſtæ
Serva parare fides, aditúſque requirit ab oſſe
Vitali cauſam, portentum talia fari.
Illa ego de ſtygiis emergens umbra fluentis,
Legitimo mihi jure peto clauſa oſtia pandi;
Quam præcepit herus ſaliari accumbere menſæ:

Exani-

Examimes cùm fortè domos, ac oſſea viſit
Atria, reſponſúmque ſuper ſecreta Tonantis
Reddere me voluit, ſolenni ſigmate dignam
Materiem, ac epulis genialibus argumentum.
Quare age: confeſtim de ſati climate manes
Accitos hìc eſſe refer, feſtúmque ſubire
Sympoſii luxum; quo detur copia fandi,
Ac de ſupremis Fidei myſteria rebus
Prodere, facundéque loqui. Quæ ſcena paratur?
Ah metuo, tragicum nè jam induat umbra cothurnum?
Hæc ubi ſerva fides relegens veſtigia, penè
Exanimis retulit: pallere, horrere Dynaſtes,
Atque oſtenta timere ſtygis, manéſque pavere;
Quos temero excivit mutæ calvæ obvius auſu,
Excipiens ſalſis lugubria funera ſannis.
Haud timor eſt vanus, quem criminis excitat horror.
Ocyùs ergo jubet famulas concurrere dextras;
Maſcula quas animi virtus, robúrque Gradivi
Reddidit impavidas; queîs tetræ ſchemata formæ
Ad funeſta ſtatim corvorum pabula mittant;
Sedibus exturbent, quas exhilarantia mentem
Gaudia ſola decent, quáſque inſumpsêre voluptas,
Perpetuíque tenent plauſus. Alios jubet ire
Protinus ad validos, miſsâ formidine, poſtes,
Atque obice æ rato, nec non firmamine multi
Vectis communire fores: nè clauſtra revellat
Obdita, de ſtygiis protruſa paludibus umbra.
O fatuum Abronis juſſum, meritúmque cachinnis
Excipi, obarmatis quod ferro, ac robore portis
Poſſe putat manes arceri, aut enſe repelli
De ſtatione leves animas, ſudibúſque moveri.
Si potuit firmas, ſolidóque adamante ſeratas
Cocyti penetrare fores, Erebíque catenas
Rumpere: quid prohibet compactas ilice valvas
Frangere, & invito quamvìs ſcelerata ſubire
Limina Ariſtagoræ Latii? Nîl proficit omnis

Machi-

Machina in exangves, ſit ferro condita, manes.
Contra animæ vires non eſt humana poteſtas.
Ergo obſiſtentûm ſtudio vaneſcit inani
Cura miniſtrorum. Terræ virtute facultas
Major adeſt. Nullis arcenda furoribus umbra,
Imperio ſolùm, confeſtim cedere poſtes
Præcipit: ilignas diſcedere cardine valvas,
Ferro perſtridente, jubet: bipatentia laxat
Oſtia, divulſis, cêu flabri turbine, clauſtris.
Ac ſic jam ſtreperis infert ſe paſſibus hoſpes
Oſſeus, atque gradu per ſeſquipedalia fertur
Augmina, diffundens horroris frigus in ædes,
Qua ſe cunque tulit. Surgentes lege columnæ,
Atque antes trepidant, baſibus vix ſtare valentes.
Pallor murorum, pallenti pallet ab umbra
Ampliùs. Horreſcit cælatum marmor ab auro
Lydi r, & egelidis ſtat ſaxum nobile guttis.
Dalmatico rutilans procerius ære lacunar
Fulgentem retrahit faciem; nè monſtra tueri
Horrida, & informes cogatur lumine manes.
Iámque inferre pedem ſolenni proxima cœnæ
Fabrica, continuis compacta ex oſſibus, atque
Omnia per vacuas circumſpectare cavernas
Luminum, & exangues in circum vertere malas.
Conſiſtit. Penſat Bitias, ſcelerúmque coronam,
Cervicémque nivi certantem depilis altè
Porrigit, exeſâ captans convivia nare.
Iámque gradum trudens crepitantibus oſſibus, artus
Promovet albentes. Longis ad ſigma propinquat
Paſſibus: Oebalio conſtratam murice ſedem
Corripit, ac molem reſupinat ab oſſe rigentem,
Oráque dente nigro diducens, talia fatur.
Eja agite, & lætos inſumant gaudia ſoles,
Cœptáque continuis pergant convivia ludis,
Atque jocis agier. Confarti vivite ventres,
Indulgénſque ſibi genius, per prodiga rerum

Inglu-

Ingluvie dominante ruat; dum temporis ævum
Suſtinet, atque trium patiuntur jura ſororum,
Nobis jam multo procedunt ſæcula motu;
Quêis lautas guſtare dapes, Bacchíque vetamur
Munera; ſed triſtis duntaxat nauſea paſcit,
Eſuriéſque vorat. Verùm jam gloria menſæ
Prolicit, invitántque epulæ, condictáque adeſſe
Prandia præcipiunt, ac pinguem carpere victum,
Præbibiiſque mihi correſpondere cululis:
Sic etenim conviva jubet. Quæ hìc copia fandi
Exprimat immenſum, qui verſat ſigma, timorem;
Quæ pectus glaciet formido, horrórque per artus
Diſcurrat graſſante metu; quis corpore ſerpat
Sudor, quódque gelu trepidum convivia ſtringat?
Hìc menſæ Ocypetes jam deſerit ardor edendi
Improbus: expleri generoſo munere Iacchi
Nemo ſtudet: lautæ veniunt faſtidia cœnæ:
Nec facit ad ſtomachum quicquam. Iam quiſque laborat,
Quo ſe calle queat reprobo ſubducere tecto,
Maturéque fugam capiat, diſcrimina lethi
Iure timens, meritáſque pavens in crimina pœnas.
Ecquò jam veſtræ cecidit facundia linguæ?
Quò feſcenninos juſſiſtis cedere ludos,
Effrenéſque jocos? Riſúmne movere parati
Iam fugere ſales? Cur nemo problemata docto
Ventilat arbitrio, ſapienti fœta Lyæo?
Eccur de ſacris ceſſant ludibria rebus?
De ſuperis, Erebíque plagis num copia fandi
Deficit? Anne DEUS, divináque fortè pererrant
Mentem, jámque Fides de vobis fortè trophæa
Erigit, aut rigidæ Nemeſis percellit imago?
Si vos, cêu equidem remur, formido, virorum
Dedecus, evitat, vecordes ſpargere ludos
Pergite, mordacíque epulas condire ſalino,
Ac execrandis perſtringere ſacra cavillis
Pergite Ariſtophani. Verùm omnis pectore virtus

Effugere, atque vigor, qui maſcula corda ſaginat,
In trepidos migrare pedes, cupiduſque loquendi
Quidlibet ardelio, muto compeſcere labro
Prælia verborum; certam indagare ſalutem
Hinc, atque indè ſtudet, dilabíque ocyùs ardet.
Quare alius jam poſt alium patinaria linquit
Atria, devitans tacito diſcrimina paſſu,
Exoſúſque ſales, & opimæ fercula cœnæ,
Abſcedit. Nullus jam mæſtum ſigma coronat
Ampliùs, infernis nè cedat victima menſis.
Dum quoque ſe pedibus trepidans Mileſius optat
Credere, jámque fugam conceptis paſſibus urget
Carpere: terrificum meditatam intercipit auſu
Obſiſtente fugam monſtrum. Quippe oſſe prehendit
Dextero Ariſtagoram retrahens, dapibúſque vacare
Præcipit, ac Tyrio mandat reſidere tapeto.
Ecquid ages adeò fatis agitatus acerbis
Mileſi? Quid ages rerum? Iam ſátque, ſupérque
Notio clara venit; fatuo quem luſeris ore
Functorum ridens tumulos, ſannáque laceſſens
Exangues animas. I nunc, & calce tumenti
Protere pallentes umbras, calvámque cavillo
Excipe, & exanimes humani pulveris artus
Gannitu, ſalibúſque feri. Iam ſole patebunt
Clariùs illuſi per te myſteria Cæli.
En accitus adeſt hoſpes, ſinè munere linguæ
Arpinam ſuperans Svadam, ſermone tremendo
Præditus, ut tecum pro voto diſſerat: utrùm
Spiritus in vanos abeat cum corpore fumos,
Unáque emerito ſe volvat pulveris antro
Pars melior noſtri, violenti neſcia fati?
Iam documenta dabit, formabítque arte magiſtrâ
Pegaſeis major ſtudiis: an crimina diſcant,
Caſtigéntque dolos Rhadamantus, & Æacus æquâ
Arbitrii trutinâ. Num ſupra temporis orbem
Immortale ævum ſurgat, pœnæque ſequantur

Ful-

Fulmina promeritos maleſvadi criminis auſus.
Hic citra fucum veri tibi dogma patebit:
An virtutis opus ſuperum poſt fata mineval
Iure ferat, Themidóſque forum, Nemeſíſque triumphet
Orbe alio, velut aſtra docent, Latiíque ſenatus,
Atque Tagaſta probat. Iam equidem te larva docebit
Affatim: an æthereis ſit verum Numen in oris;
Quod mare, quod terram, quod totum temperat orbem
Providè, & humanis, Fidei cêu lemma miniſtrat,
Præſideat rebus. Tandem tibi lumen ab umbris
Accidet: an caſûs, ſortíſque rotentur in axe;
Quæ cælum, tellúſque ſuâ complectitur alvo.
Nunquam falſa docent manes, quos ſidera mittunt.
Quare age Neſtoream, quâ polles, exere linguam,
Ac tibi Cecropii ſenis argumenta miniſtret
Evigilans ratio. Stat diſceptare Sophiæ
A Superis miſſæ. Fac doctam collige Svadam.
Sed quid ego rapidis diſpergo verba procellis
Irritè? In elinguem tranſit facundia piſcem,
Exanimíque metu torpeſcunt ora ſophiſtæ
Impia: nec vocem terror, viréſque loquendi
Sufficit; at tremulis ſtant alta ſilentia labris.
Iam totus pallor, totus tremor, anxia verſat
Pectora, & ambiguis titubans affectibus errat,
Ignarus, quò fata ferant. Prô! quanta timoris
Prodigia è toto Mileſî corpore ſpirant.
Non ità populeas glomerato turbine frondes
Hippotadis furor exagitat · non æquore campi
Fluctuat Heſperio ſic quaſſus flamine culmus:
Attonitas nec ſic volucris perterrita pennas
Contrahit; armatis quando per inane nefaſtus
Unguibus accipiter vigilat: cêu pallet ab oſſe,
Semanimíſque pavet ſtygiam Mileſius umbram.
Nec vanus ferit ima metus. Quippe oſſea prêndit
Una manus juvenile ſcelus: protenſa rigeſcit
Altera, ùt elato ſophus indice differit, atque

Denti-

by Google

Dentibus infrendens horrendùm, talia fatur.
Ille ego, quem fatuum, temerarie ſannio, ludum
Protritâ audacter calvâ, feciſſe revolvis
Mente citra dubium mèmori; dum fortè ſubires
Limina functorum. Nónne ad ſaliaria cœnæ
Fercula, ſiderei juſſiſti adferre Tonantis
Dogmata, quæ ambiguâ tua ſors eventilat urnâ?
En ego ſupremi decreto Numinis adſum:
Quò tibi non dubio divina oracula pandam
Lemmate; ſed paucis veri reſponſa daturus.
Quæritur: an Numen cælum, terrâmque gubernet?
An nullo humanus vaneſcens ſpiritus ævo
Orbe alio degat? Virtúſne perennia captet
Præmia cælituum domibus: vel vindicis æquo,
Æternaturis plectantur crimina pœnis?
Eſt DEUS, eſt Rector Superûm, terræque Monarcha
Omnia diſponens. Divino ſemine cretæ
Sunt mentes, toto quæ ſe ſe corpore miſcent.
Atque illas nôris poſt ultima fata, vel inter
Tænarios durare lacus; vel neſcia lethi
Climata, in æthereis æternùm degere regnis.
De quo nè ancipitem valeas ſuſpendere mentem:
Interpono meam, quæ neſcit fallere, miſſam
Imperio majore fidem. Nec crimine falſi
Ludo, qui parili ſum ſtirpis origine fuſus.
Haud ignota loquor. Poſt patrem tertius author
In generis ſeriem venio. Te jura minoris
Heroâ de gente manent. Sed uterque maligno
Sidere prognatus. Me vaſti criminis auſus
In ſtygios egêre lacus, flammáſque perennes
Tartari, & in juges mihi vita renaſcitur ignes.
Eheu! jam tangent eadem te fata nepotem,
Sanguinis, ac noxæ hæredem, per fáſque nefáſque
Præcipitem. Multâ ſcelerum jam mole gravatum
Deprimet ad triſtes Nemeſis juſtiſſima ſedes,
Supplicii feritate graves, quod nulla levabit

Myrias annorum. Quare, cêu tanta repoſcunt
Crimina, ad infernas te confer protinus oras.
Quippe Erebi tenebras, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, cum vitæ lumine, Numen
Commutare jubet. Sic manes orbe nocentes
Altero, avernales, cælo plectente, paludes
Iure ſubire ſcies, meritámque videre beatûm
Atria virtutem, quam nulla abolere poteſtas,
Aut Lacheſis valeat, vel iniqui temporis ordo.
Vix ea perſtrepuit ferali voce: ſtrepentes
Erigit umbra artus; medium complectitur ulnis
Oſſe mero gelidis pubem (prô! qualia monſtrum
Brachia circumdat) trepidantem, ac fata paventem
Ultima; quem nullis vel Mavors eximat armis.
Hìc verò agnatas inter miſerabile dextras
Ingemit, orcinis jam dandus victima regnis.
Non ſic infeſtis lanianda furoribus agna
Ora lupi metuit, certi jam præſcia fati:
Nec timidâ de ſorte lepus ſub ſentibus hærens
Ichnobates ſic fortè pavet: velut obrutus umbræ
Funeſto amplexu lethum Mileſius horret,
Iam Phlegetonteas ſentiſcens pectore diras.
Ut verò meritas ſubeat pro crimine pœnas:
Allidit muro ſceleratos fortiter artus
Umbra potens; capiti fatales triplicat ictus,
Abjiciénſque artus, animam ſub Tartara ſecum
Abripit, æternis arſuram jugiter oris.
Perpetuæ de jure manent ſcelera impia flammæ.

MO-

MONOMACHIA Davidis cum Goliatho.

1. Reg. 17.

VIcina locârunt caſtra Hebræi, ac Philiſtæi, aleam belli tentaturi. Quo tempore Goliathus giganteâ ſtaturâ, & armis robori paribus ferox in medium progreſſus truculentâ voce provocabat ad pugnam adverſæ partis aliquem, de Imperio gentis utriuſque ſecum dimicaturum. At nemo ad ineundum ſingulare cum eo certamẽ, propoſitis licèt præmiis, ſe permoveri paſſus. Sub idem ferè tempus venit ad caſtra David admodùm adoleſcens, comeatum fratribus deferens: cum laceſſentem in monomachiam audit barbarum, ac contumeliis Hebræos inſectantem. Hic non magìs hoſtis arrogantiam, quàm imbellem ſuorum conſternationem miratus; ſpiritus concipit DEO plenos, ad dimicationem paratos. Quibus palàm factis, Sauli ſiſtitur. Rex delectatus animi magnitudine, jubet eum corporis munimentis indui. At David ferendis impar, ad arma ruris converſus, in pugnam procedit. Obvium ſe fert gigas, conviciis pumilum proſcindens. A velitatione verborum, David ſilicem rapit è pe-

ra, imponit fundæ, librátque ictu tam deſtinato; ut excuſſus, mediam Philiſtæi feriret frontem, fractóque cerebro hæreret fixus. Bovis inſtar vaſta procumbit moles. David ſuperſtans jacenti, caput amputat gladio ex adverſarii vagina educto. Eo ſpectaculo fracti animis Philiſtæi, in effuſam mox fugam ſe dedêre, perſequentibus Hebræis, & terga cædentibus tantâ ſtrage, ac ſi omnium capita unius in Goliathi capite ſtetiſſent.

NOn Cherephon Rhœcum, non parvus mole Philetas
Cous, inaudito Mavorte Typhoëa laceſſet:
Nec mea Conopam Tityo fera bella parantē
Muſa canet, vanæ commenta exoſa Camænæ,
Theſpiadúmque choros. Stat neſcia promere fuci,
Ac diæ Virtutis opus; quod ſacra recenſet
Litera, per veri duntaxat lemmata ducens.
Nanus in Enceladum ſurget, ſternétque Ephialtem
Pumilo, naturæ ſi ſpectes ordine vires.
Davidis auſa canam fundata in marmore fundæ,
Victricémque manum, quâ turrim carne refuſam,
Atque Philiſtæum confecit verbere Cœum.
Hoc robur puero conceſſum à ſidere poſcit
Calliope, haud quicquam modulans ſine munere Cæli;
Quò mirum valeat metro percurrere bellum.
Vix bene Memnonio Tithonia proſpicit axe,
Cyclade turgeſcens croceâ, roſeóque capillo
Fulgida, per vaſtum diſpergens lumina mundum:
Cùm ſe ſe agglomerant turmatim ſigna citati
Iordanis populi, laſſæque ſub ære phalanges,
In dubiam deſcenſuræ jam Martis arenam.
Omnes terror habet. Quippe anceps alea belli eſt.

Ex-

Exitus armorum timidi, incertique vagantur.
Viribus Iſaciis eſt fortè valentior hoſtis ?
Eſt equidem. Sed jam ſtricto decernere ferro
Præcipit utilitas patriæ. Standum ergo Gradivi
Limine, & ambiguam Martis tentare palæſtram
Præſens ſortis avet non eluctabile fatum.
Quare habili ſua caſtra loco Chananæa locare.
Hinc ſe ſe ad nubes umbroſo vertice tollit
Fronde comatus apex collis. Sacra indè Dianæ
Proxima hiat vallis, myrtis, denſâque cupreſſo
Luxurians; queis inſignis victoria ſerpit,
Atque triumphalem victori Daphnida ſpondet.
Parte Philiſtæâ valido numeroſa furore
Turma effuſa ruit, rutilans fulgore timendo
Armorum, palmámque ſibi, bellíque trophæa
Mente, manúque parat, Verpos devincere certa.
In cuneos Martis denſatur uterque ſtrategus;
Expromit chalybis lucem, quam Phœbus inaurat
Lumine nativo, montéſque, ac ætheris oræ
Reflexo fulgore ſtupent. Pars utraque ferro
Communita riget, preſſóſque animata per artus
Lamina diſcurrit, ſe ſeque movere labores
Mulciberi campo, raucúmque illiſa ſonare.
Cornipedes quoque ferrato inſternuntur amictu,
Nec cedunt oneri. Pennatam nempe, levémque
Se belli ſortem reputant deferre per arva.
Ærea caſſis habet tremulis circumflua criſtis
Tempora, terribiléſque jubæ. Thoraca trilicem
Conſertum ſquamis, ac hamis pectus honorat.
Fulmen alit chalybis gymniſtica dextra. Siniſtram
Umbo tegit jactans flammas ad ſidera. Suras
Lemniades claudit, totóque è corpore ſpirat
Mavortis genius, Bellonáque proſpicit ore,
Atque oculis, omnéſque ſedent in fronte furores.
Et ſic compoſitæ funeſta in prælia partes
Conſiſtunt. Veterana fremunt utriuſque Gradivi

Agmina, & agrorum ſpatioſo tela propinant
Æquore, turmalíſque ardent concurrere Marte.
Ipſe huc Odryſiis devectus Marſpiter oris,
Invictos ſpectans animos, bellóque paratos,
Ambiguis hæret ſtudiis; cuî Daphnis honores
Imponet capiti: dubio cùm fluctuet æſtu;
Quorſum ſe niveis victoria deferat alis.
Interea adverſo egreditur novus agmine Mavors,
Quem inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos.
Nomen ei Golias. Vah, quæ portenta Gradivus
Biſtoniæ, Iſacidæque ſtupent! Eſt carnea turris,
Terrea progenies, Phlegræis proditus oris
Iapetus, aut Othos, caput inter ſidera condens,
Monſtrum informe hominis, terrórque, timórq; videntûm.
Calliope vix mira valet ſimulacra tueri;
Quêis ipſos terrere deos, ipſúmque Tonantem
Sollicitare poteſt, Prô qualibus horret in armis!
Colla tegit rutilo caſſis cælata metallo.
Mulciberi ſudantis opus, Brontíſque labores
Tempora circumſtant. Surgit velut ærea moles
Vertice, diffuſam conſtringens margine ſylvam,
Atque trabes capitis longè, latéque vagantes,
Artûm compages Temeſæo vallat amictu.
Hamato laterum tractus, & pectus obarmat
Tegmine: nodoſo dependet poplite ferrum,
Totúſque æratus procedit. Dextera fulmen
Horriſonum vibrat chalybis. Lævam æreus orbis
Occupat excuſus Liparâ, quo fulgura mittit
Hoſtis in obtutum, terroréque ſidera complet.
In ciliis, ac fronte ſedet furialis Enyo
In pugnam exacuens. Tumidos ſub pectore fluctus
Concitat ambitio. Flammantia lumina gyrat
Tyſiphone, Evmenidéſque aliæ, horrendúmque tuentur.
Dentibus infrendet veſanâ percitus irâ.
Effundit rabido ſtabulantes pectore diras,
Fulmineáſque ferox Getuli more leonis

Eructat

Eructat voces, deſpumátque ore furores
Adversùs fortem Iſacidûm, exoptátque cruorem
Fundere, & inſontem ferro peſſumdare gentem.
Armiger Enceladum præcedit, Martis alumnus
Impiger, atque pares generoſo pectore flammas
Accendit, dominóque ſuas accommodat iras.
Progreditur Golias Ephialti haud grandibus impar
Greſſibus, ac mediâ conſiſtens Martis arenâ,
Hæc ad Thariades ferali detonat ore.
Quis vos Odryſii fœdum Mavortis abortum
Siſtit in orcheſtra belli? Quid? vóſne movere
Arma Philiſtæo generi, nobíſque velitis?
An non invicto dotatum robore, & ipſâ
Alcmenâ fuſum nôſtis; quem tota tremiſcit
Tellus, & geminus lunato poplite mundus,
Terrigenûm tacito veneratur murmure numen?
Audaces animæ! quis tanta pericula ſvaſit?
Quid? vóſne indomitum bello tentare Gradivum?
Arma petunt pariles, quæ ducit gloria, vires.
Eſt genus inſipiens pugnæ, majora parare
Viribus. Aut veniat ſuppar, aut robore major,
Deſpondere arrhâ Martis ſibi Daphnida poſcens.
Cùm tamen in dubium jam ſtet deſcendere campum:
Vos igitur ſolii faciles ad juſſa miniſtri,
Impavidum è veſtro cenſu legitote ſtrategum,
Atque virum date, virtutis, Martiſque vigore
Eximium; ambiguæ qui ſe ſe credere pugnæ,
At noſtris valeat ſuppar concurrere telis.
Hæc ubi detonuit, trepidos vox fulmine fœta
Attonat Iſacidas, multóque timore fatigat,
Haud gnaros, quænam Typhoni verba reponant.
Quippe pavor ſubitus remoratur munera linguæ,
Enervátque animi vires. Terrore fugantur,
Funduntúrque acies. Conſum metus excutit omnem.
Ieſſiadûm Martem jam frangunt arma timoris.
Non ità fraxineas quatit aura Lycaona frondes:

Nec tali Arctous rabie bacchatur in alto
Miſſus ab Hippotade Boreas; cum Tethyos ora,
Ac Nereî turbat faciem, vaſtóque furore
Concutit æquoreas armatus turbine nymphas:
Cêu pavidos ſubiens animos horrórque, pavórque
Pulſat Idumæûm, trepidíſque ſilentia labris
Imperat, Harpocrates reddens. Iam candida veſtris,
Nì formido abeat, cedit victoria ſignis.
Nemo Philiſtæo cùm reddit verba Typhoëo
Præpediente metu: rurſus truculenta profatur,
Horribiléſque vomit reboanti voce furores.
Eja agite, orcheſtram confeſtim Martis adite.
Proſpera ſi veſtris fortunæ gratia votis
Aſpirat, Cælíque hodie deferre trophæa,
Me victo, ſtatuant; veſtris famularier armis,
Verpíque Imperio non detrectabo Philiſtim.
Si verò nobis felicior alea ſortis
Obveniat; quæ iſta nunquam non floret in haſta:
Victa catenatis aſtringam colla lupatis,
Æternúmque feret Ieſſeïa gloria probrum.
Hæc ubi Porphyrion ſævo de pectore miſit
Fulgura verborum: glaciari corda pavore
Denuo Idumæûm; tremere omnes; nemo cruenti
Attentare volens palmaria facta Gradivi.
Sed poſtquam gelidos rationis ſole reſolvit
Corde metus: vario curarum fluctuat æſtu,
Multa animo volvens. Equidem ſtat frangere tantos
Enceladi faſtus. At quis diſcrimen adibit
Projectâ in funus vitâ? Quis Martis inibit
Aleam, & intrepidis Antæum proteret armis?
Quo tandem poterit Briarêus devincier auſu?
Dum ſic per dubium fertur ſententia confuſum:
Interea medium dimenſus Cynthius orbem,
Aſpicit Heſperias, cælis comitantibus, oras,
Atque Philiſtæi molem ſpectare cadentem
Ardet, & occaſum. Nec enim perferre Mimantem

Plùs

Plùs æquo tumidum vel Phœbi lumina poſſunt.
Et verò faſtu turgentem Ægæona cernes
Purpuream fuſurum animam, Martíſque tumorem.
Siſte gradum, volucréſque jube perſtare jugales:
Dum tua delectet ruiturus lumina Rhoecus.
Elatos animos, caſus, ac probra ſequuntur.
En jam victor adeſt, ſpectacula mira daturus,
Haúdque unquam viſo domiturus Marte Typhoêa,
Dúmque ſuum Titan temonem ſiſtit aperto
Æthere deſpectans: celerat Ieſſeïa proles
Magnanimus David, Cerealia munera portans,
Fruge levaturus pallentûm caſtra phalangûm,
Quæ vincit maleſvada fames, ac ardor edendi
Sæviùs hoſte premit. Properanti ad ſigna Gradivi
Iſacio pubi, nova vox deſcendit ad aures
Præconis referens: Goliam qui vulnere ſternet
Lethifero, atque ferum potis eſt jugulare Getheum:
Sceptra Palæſtinæ ſtatuunt decorare potenti
Sorte virum, multóque auri ditare talento.
Vix penetrant teneras præconis verba medullas,
Víxque tenent ſenſus: animus conſurgit in artus
Ingens Ieſſiadis. Stat Marte laceſſere Phlegræ
Progeniem, fœdámque ſolo proſternere molem.
Altiùs hæc cordi figens ſaucia, volante
Ire per arva gradu David; quem clara pudoris
Integritas, & honos ſemper comitatur euntem,
Quo ſe cunque ferat, necdum lanuginis ævo
Egreſſum. Vultu candeſcens gratia, vellus
Tranſcendit niveum. Roſeo formoſior oſtro
Purpura, lactentem diſtinguit grata genarum
Planitiem. Gemino fulgeſcunt lucis honore
Lumina, non ſecùs, ac radians adamantinus ardor
Fulgurat, aut proprio ſplendeſcit flamma nitore.
Exultant labris Charites. Per frontis eburnæ
Aream, Acidaliæ diſcurrunt munera divæ.
Cæſaries auro certat, Phœbíque ſerenis

Par radiat cyrrhis; quos lumine ſpectat amæno
Delius, ac verum terræ miratur Acanthum.
At facies animi ſpectatum vincit honorem
Vultûs; qui ſpatio longævi carpitur ævi.
Parvulus eſt equidem, ſed magno pectore plaudit,
Alcidis ſuperans vires, animúmque, genúſque.
Non ſolùm Virtus in magno corpore regnat,
Haud raro in parvos vis maxima defluit artus
Imperio Superûm. Chananæus pumilo, totus
In Martis documenta calet. Iam mente figurat
Prælia; queîs tumidas fundat cum ſanguine vires.
Vix venit ad trepidam pubes Mavortis arenam,
Germanæ forti Cerealia dona miniſtrans:
Maſcula continuò præcordia major in auſum
Exacuit virtus. Cuî Numen mittit ab alto
Robur, in adverſas tuto ruit impete turmas.
Nec miſſa à ſupero patitur ſe flamma Gradivo
Celari, apricâ ſe prodens illico luce.
Iam claro impavidam puer exhibet indice mentem,
Atque palàm verbis facit, admirante coronâ
Tharaidûm, belli ſe velle ſubire theatrum,
Faſtúque inflatum Goliathi ſternere faſtum.
Hæc ubi caſtra notant, variis affectibus errant.
Hi pubem ridere, immaturúmque ſtupere
In rebus conſum, jactantem prælia nani.
Iſti divinâ fultum virtute Philetam
Sano arbitratu reputant, miſerantéque cælo
Forſan ſubmiſſum; per quem portenta Tonantis
Ætherei pateant, & diæ thaumata dextræ.
Non latuêre animum Davidis pectore cuſi
Ieſſiadûm ſenſus. Bella attamen horrida poſcit,
Atque in ſe recipit, fretus Virtute ſupernâ
Se magnum parvis domiturum viribus hydrum.
Quare ab Saraidum Ducibus, fratrúmque caterva
Ducitur ad trepidum, ſtratúmque pavore tribunal
Principis Iſacidûm. Pavidæ dum fortè coronæ

Siſtitur, ambiguam belli ſubiturus arenam:
Hìc propè in argutos effuſus voce cachinnos
Rector Idumæus; juveniles deſpicit auſus,
Nequicquam tantis obſiſtere poſſe gigantis
Viribus imbellem cenſens. Nam vaſta Ephialtis
Non niſi Phlegræo ſuperantur bella furore.
Hinc jubet ad ſvetos pubem concedere ludos,
Ac manibus verſare trochum, ſphæráſque, nucéſque,
Arma viros, turben teneros delectat Acanthos.
At David conſtans animo, ſua vota repoſcit,
Propoſitíque tenax, ac cedere neſcius, orat,
Urgétque, in validum ſua poſſit tela Mimantem
Exoſum Superis, cum certo mittere fato.
Princeps magnanimas in parvo pectore vires
Miratur. Non jam Chananitis Gyllarus aulæ
Materiem riſûs præbet. Majora ſubeſſe
Ordine naturæ, ſolerti lumine prudens
Conjectat cidaris, Cælúmque in vota favere
Suppetias Martis. Quare jubet illico grandem
Accingi lateri mucronem; pectus aheno
Tegmine conſtringi; criſtatâ caſſidis umbrâ
Tempora obumbrari; Lipareo corpus amictu
Circummuniri, belli ſimulacra daturus.
Verùm Ieſſides non unâ mole gravatus
Armorum, & rigido præcinctus pectora ferro,
Hæc ad Thariacam curto ſermone coronam.
Adſtrictis ferro nequeo procedere membris.
Necdum robuſtos naturæ jura lacertos
Sufficiunt, tantum queîs pondus ferre valerem.
Nec manibus teneris ad tela vibranda Gradivi
Appoſitum eſt robur. Vix hæc Narciſſus Iduméus:
Protinus imperio Regnantis, mole levatur
Pergravi, & æriſonis viduatur pumilus armis.
At quid agit David Mavortis pondere caſſus!
Continuò recipit paſtoris munia, virgam,
Siue pedum, regimen pecoris, de robore cretum,

Nodíſ-

Nodíſque adſtrictum; quo propulſare luporum
Agmina, ab innocua ſolitus perſæpe bidente.
Hoc fultus lætè graditur. Comitatur Amyntam,
Panóſque illicium, mandato Principis, acer
Miles; viſurus; quæ Parthenopæus, Hebrææ
Gentis honos, bella eſt, Cælo inſpirante, daturus.
Anteit Iſacium, ſtipatus Daphnide, Martem
Exultans David. Iam greſſum ad proxima ſiſtit
Flumina, & intrepidâ, ſinuato corpore, dextrâ
Mergitur, ac ſilices illimibus eximit undis
Quinque, quibus varias docto imprimit ungue figuras,
Nomina ſacra putem, quêis regnat plurima Virtus.
Hos peræ includit. Balearem dextera fundam
Occupat aſſiduam comitem; cuî miſſile ſaxum
Injicit; ut ſternat turritam verbere carnem.
Perge, aderit Cælum. Victricia ſigna propinquant.
Ac ſic aſtrorum jam firmus robore, Martem,
Mente, manúque agitans, procedit bella daturus,
Non virtute ſuâ, ſed Divûm numine fretus.
Auſpicium felix belli, cuî ſidera præſunt.
Poſtquam ductorem pecorum adventare, relicto
Agmine Mavortis Briarêus, atque arma movere
Inſperata videt: primùm contemnere pubem
Titanos de ſtirpe ſatus; deîn voce tonare,
Ac ſecum Oromedon ventoſus talia fari.
Quid puer iſte parat? Num nos fortaſſe moloſſum
Autumat, & timidam depellere fuſte lyciſcam
Agreſti feritate ſtudet? Quid? Cœa Philetas
Provocet ad dubiam temerè Mavortis arenam?
Vah pudor! háſne ferat moderato pectore ſannas
Iſacidûm domitor? Cur nobis quercea mittit
Prælia cuſtodis pecudum; quem viſa luporum
Duntaxat ſternit rabies? Prô dedecus ingens
Amphitryoniadis veri! Quódque aggravat auſum
Ieſſiadûm, objiciunt nanum; quem talitra poſſunt
Sternere, & in tenues difflare vel unicus auras

Spiri-

Spiritus, ac rapidis Cherephonta extradere Cauris.
Non bene cum valido puerilia bella Typhoëo
Conveniunt. Othos veniat certare Mimanti.
Ergóne Conopam leviori calce terendum,
Adversùs robur Tityi delegat Idume?
O ſcelus! ô noſtri palmaria bella Gradivi!
Hæc ubi bile tumens Briarêus, ardénſque furore
Evomit: Iſacidùm columen fera verba cachinnis
Excipit, ac tales educit pectore voces.
O mundi opprobrium! O fædus telluris abortus!
Progenies vaſti ſceleris, terrórque, timórque
Abramiæ gentis. Metuant ſua fata pavore
Perculſæ mentes. Non me formidinis horror
Attonat; aut præſens vitæ jactura moratur
A belli orcheſtra. Reſides ignava timores
Pectora duntaxat ſtringunt, arcéntque Gradivo.
Sis licèt horrendis inſtructus belliger armis,
Ac magno ſuperes juveniles robore vires:
Non hæc exſternant, non terret imagó furoris.
Adſum terrificis, cèu ſpectas, nudus ab armis.
Nulla fariſſa venit, nec ſica, dolónve propinquat:
Et tamen indomitum, magni virtute Tonantis
Enceladum ſternam, palmámque, trophæáque laudi
Cælituum referam. Superûm munimine firmus,
Hanc molem abijciam terræ, reprimámque tumentes
In Cælum faſtus. Ego vili Marte domabo
Veſanos auſus, miſſurus Iapeta letho.
Iugere camporum truculenti membra Typhoëi.
Diſpergam, æthereis facturus prandia turmis.
Sic tandem agnoſcet tellus, quà Phœbus utrumque
Aſpicit Oceanum, quà ſe ſe porrigit orbis:
Eſſe tuum robur nihili, ſi cælica tecum
Dextera concertare velit. Mihi gratia Divûm
Sufficit ingentes animos, viréſque miniſtrant
Sidera, & intrepidum ſubmittunt aſtra vigorem.
Hac ductus virtute, metam temeraria ferro

Caſtra, Palæſtinos injuſtè ſparſa per agros.
Diſpereant hoſtes. Iam vaſtis agmina campis
In cumulos agitabo leves, ſternámque phalanges,
Atque Philiſtæo faciam ſtagnare cruore
Iugera; quò noſtris ſuccreſcat adorea campis.
Hæc puer, aut potiùs Superi nitido ore ſedentes.
At verò Typho Ieſsîdis chromate motus,
Surgit, & irarum multo ſuccenſus ab æſtu,
Ac jam lymphatus rabie, præcépſque furore,
Exerit amplivagos in Amyntam luminis orbes,
Horrendúmque vibrat; gemino cêu fulgure vellet
Sternere Ieſſæûm pubem. Sed ridet amæno
Tiſiphonem Enceladi vultu formoſus Alexis,
Optátque in certa ſe Martis ſiſtat arena.
Dum videt immotum, cêu rupem, Caſtora, Rhœcus:
Ringitur, & vaſtas movet amplo murmure malas;
Dentibus infrendet; diſtorquet fædiùs ora,
Et patulâ fumat, latâque è nare furores,
Ac frontem in rugas, & mille volumina torquet
Iapetus, iratis gratiſſima limina Diris.
Tandem correptus furiis, ſtrepero ære ſonantes,
Nativâque graves arvinâ, promovet artus,
Ac magnis Polyphemus atrox ad mole tenellum
Paſſibus accedit. Cuî protinus obvius ire
Magnanimus David, ridere minas, ſpeculari;
Quà feriat turrim carnis. Iam ſæva propinquant
Fata Gygi, tumidis decreta à ſidere noxis.
Sed quid agit Daphnis? Propiat, mitténſque ſiniſtram
In gremium peræ, ſignatum Numine ſaxum
Eximit, & mediâ ſtabilito marmore fundâ,
Collimat, dextrámque levem diſponit in ictum,
Atque amentatam ter ſcitè gyrat habenam,
Stridénſque elibrat ſaxum. Sic robore fundæ
Verberat immanem caperatâ fronte gigantem.
Perculſus plagâ Goliath bis, térve, quatérve
Circinat immenſos artus, titubánſque, labánſque

In

In morem multo temulenti munere Bacchi,
Ac perſtare baſi geminâ renuente, ſupinus
Labitur, & vaſto fera membra exporrigit arvo.
Non ſecùs, ac quando turritæ gloria molis,
Aut cùm longævâ quercus carioſa ſenectâ
Procidit in ſubitam, tellure tremente, ruinam.
Dum Phœbus tumidum caſu graviore Typhoëum
Procubuiſſe videt: gratanti lumine Niſum
Aſpicit Iſacium; radioſâ fronte triumpho
Annuit, atque probat facinus. Clymeneïa proles
Nunquam ità demulſit lætis Hyperiona ludis.
Hunc Titan Phaëtonta cupit. Sed plura tueri
Non vacat heroi paſtoris munia Phœbo.
Purpureas aliò, verſo temone, quadrigas
Promovet, horrificium nolens ſpectare cadaver.
Iam tandem poſito jacet excors bellua faſtu,
Edomitúſque Mimas ceſſat jactare Gradivi
Fulmina in Iſacidas, jam fandi munere caſſus.
Quódque ciere poteſt horrorem, funus ab ore
Spirat, non corpus, ſed tantùm corporis umbra.
Omnia membra rigent. Gravat ingens jugera truncus.
Iam nullus flammas imitans diſcurrere fædis
Antæi malis color: aut æs Cypride cuſum
Naribus elatis turgere; at pallor, & horror
Deformare Gygem. Sedet altâ fronte moroſa
Atropos: immotis ſtant lumina ſæva cavernis:
Haud diſpar buxo, ſinè linguæ chromate, labrum
Palpitat: & venæ plumbi livere colore:
Non flecti cervix, nec brachia reddere motus;
Sed jacet infernas animam miſſurus ad oras.
Quid porrò David? Conſtringit pectore plauſus,
Ipſe ſui victor. Non eſt victoria major,
Quàm inter laurigeras ſua gaudia ſiſtere pompas.
Bis vincit, qui ſe vincit. Non altiùs ire
Virtus ſumma poteſt. Hinc nullos voce triumphos
Edere, ſed Superis victricia ſigna referre

Iſaci-

Iſacius pubes. Qui verum Numen honorat
Plauſibus, in plures feſtinat Daphnidos herbas.
Plura brevì cernet David monimenta trophæi.
Iámque animum nova flamma ſubit; quam cælica virtus
Sufficit innocuæ menti; quò ſurgat in auſus
Majores. Hac corde flagrans, defertur in hoſtem
Impavido, celeríque gradu. Iam cominùs hoſtem
Oppreſſurus adeſt. Vix venit, ſtrata tuetur
Membra giganteæ molis, monſtrúmque Typhoêi
Viribus exhauſtum gelidâ tellure jacentis.
Illico ſeſquipedalem pubes diripit enſem
Exuviis, & utraque manu ſuſtollit in altum
Diſtrictum chalybis fulmen, robúrque, quod aſtris
Decidit in tenerum, Divorum munere pectus,
Colligit in palmas. Nè verò gutture ferrum
Deviet, in certos mucronem deſtinat ictus,
Haud dubiam fati metam. Sic mandat Olympus.
Nec mora: libratum dextro molimine ferrum
Immergit jugulo: repetitis ictibus, amplum,
Ventoſúmque caput vaſto de corpore tollit.
Cervice ablatâ, pleno ruit impete ſanguis:
Non ſecùs ac ruptum lympharum pondere ſeptum
Ejaculatur aquas. Tellurem aſpergine craſſâ
Irrigat, aut potiùs fædat, matríque refundit
Terrea progenies, commiſtum tabe cruorem;
Quo tepefacta novos protrudat fortè gigantes;
Qui valeant ſævas de David ſumere pœnas.
Tandem, quam metuit vivam, Libitina ſubintrat
Ingentem Rhoeci molem, torvámque miniſtrat
Sulphureis animam, plaudente Acheronte, fluentis.
Ac ſic centimanis conjunctus fratribus, orco
Supplicii portenta luit; quæ turgida faſtu
Pectora jure manent. Sed quid Typhonis alumni?
Luctiſonas edunt voces ſuper horrida Cœi
Funera; jámque cadunt animis, omnémque ſalutis
Spem reliquam abjiciunt. Sublato vertice Martis,

Cete-

Cetera membra jacent, vigor omnis marcet in armis.
Quare deſtituunt ſua caſtra, fugámque capeſſunt
Attoniti, quærúntque vias per teſqua ferarum
Diſperſi, celerántque vagæ nullo ordine turmæ.
Dum videt adverſum per devia, & invia Martem
Spargi Ieſſiades: Gradivi percitus œſtro,
Palantem inſequitur; circumvaga pellit in orbem
Agmina, confuſóſque Duces proſternit, & omnes
Auxilio Iſacidûm funditque, fugátque catervas.
Non ità flaventes detondet meſſor ariſtas;
Ut ſucciſa jacent hoſtilia corpora ſaltu,
Impinguántque cruore ſolum. Sic æde Dianæ
Multa triumphanti ſuccreſcet laurea pubi,
Atque Palæſtinis ſpargentur ſemina terris,
Queîs optata diu conſurgat pacis oliva.
Non hìc, divicto felici Marte Typhoêo,
Calliope memorare valet; quî plaudat Idume;
Quos celebret feſtos Ieſſeïa turma triumphos,
Quódque canat ſtrato lætum pœana gigante.
Hoc decus, hunc plauſum fundâ attulit inclytus heros,
Dignus Apollineis incingere tempora ſertis,
Haud dubius comitatur honos, ac gloria Martis,
Palmæque adveniunt illi; cuî tela miniſtrant,
Atque gubernantem ſubmittunt aſtra Gradivum.

GUILIELMUS AQUITANIÆ DUX

Ad præſentiam SS. Euchariſtiæ ferociam ponit.

GUilielmus crudelis ſuperbiæ Princeps, dudum meritus, cui impiam cervicem frangerent Superi, nî miſeratio DEI vetaret, hominem conſceleratum ad frugem reductura. Fortè Honorio II. vitâ functo, ſubrogatur Innocentius II. cui ſe Petrus Leonis Patritius Romanus opponit, Anacletum, ſuffragante improborum factione, ſe nominans. Orto pernicioſo ſchiſmate Bernardus Clara-Vallenſis pro Innocentio pronuntiat, universâ Galliâ conſentiente. Solus Guilielmus ad deteriora amplectenda pronus, partes Anacleti ſequitur, exilio multans Præſules, factioni huic in ditione ſua adverſantes. Iuſſus à Romana Sede inſolentem faſtum ponere, pervicaciam auget. Hìc Bernardus altiore ſpiritu actus, delato ad fores templi DEO Euchariſtico, fulminante oratione adeò terret accedentem terrorem omnium; ut membris timore diſſolutis, quaſi ſui impos, humi provolveretur, manúſque daret Eccleſiæ. Ut verò

verò irrogatam ſummo Antiſtiti contumeliam pœnitudine aboleret, injectâ nudo corpori mole ferreâ Eidem Rhemis agenti, reum ſe ſiſtit; à quo jubetur ad Patriarcham Hieroſolymæ ſe conferre, ſacris vinculis ab eo exſolvendus. Morem gerit Guilielmus, graves de ſe pœnas ſumens in cavata quadam rupe Palæſtinæ, prodigiis dolorem ſcelerum illuſtrantibus. *Baronius ad annum* 1135.

PHlegræâ de gente ſatum veſana dediſſe
Prælia, & æthereum non uno criminis auſu
Sollicitâſſe Iovem, Latiámque in bella citâſſe
Purpuram, & Auſoniam probris petiiſſe tiarã
Enceladum, mihi carmen erit. Pro! quanta potentes
Terrarum quandoque Gyges, cidaríque tumentes,
In mites vanè fabricant molimina Cælos.
Non hunc fulmineis proles Saturnia telis
In ſtygias demerſit aquas; ſed vera Tonantis
Dextera, ſeu potiùs deſcendens axe Theander,
Orbe potens niveo, faciliſque movere ſceleſtûm
Pectora, quò ſapiant, divino perculit igne.
Magne DEUS, verúmque dapis ſub imagine Numen;
A quo melliflui rorant dulcedine colles:
Bellerophonteis vel ſtillam nectaris adde
Montibus, & dociles reddas Aganippidos undas:
Caſtalis ut meritos Superis effundat honores.
Inter Francigenas Aquitania nobilis oras
Oromedonta timet, fuſam de ſtirpe Typhoêi
Progeniem, Celtis pariter, mundóque tremendum
Indomito Mavorte virum. Pavet Iſmarus arma
Enceladi Ligeris; quêis crebriùs obruit agros
Boſphori, & Odryſiam rompha à metuit hydram.
Liligerâ de ſtirpe equidem deducit avitum,

 Clarúm-

Clarúmque à ſolio nomen, longámque recenſet
In ceris ſeriem Majorum. At criminis auſu
Omnibus eſt major, nulli ceſſurus iniqui
Ordine, nec primum patiens, nec ferre ſecundum.
Mole giganteâ Princeps ſupereminet omnes
Horridus; elato ſe jactat vertice faſtu
Turgidus, appreſſo, quà fertur, compita greſſu
Degravat, atque truci vultu, ſempérque minaci
Porphyrion cilio, ſummos exſternat, & imos,
Deſpectátque omnes. Tam vaſto corpore vires
Stant pariles. Genitum Alcmenâ fortaſſe putares
Amphytrioniadem, niſi Vaſcona terra dediſſet.
Quid memorem ingluviem ventris, rabidámque vorandi
Eſuriem, ac nullo ſaturandum ſigmate Pardum?
Aſtydamam miratur Arar, verúmque Phagonem,
Ac Promachum Æmathiæ probrum, Bitiámque bibonem.
Tantum quippe cibi demergit in ilia gurges
Paſcuus, atque vorago dapum, Bromiíque barathrum;
Quantum bis quatuor, vel lautæ fercula menſæ
Exſatiare viros valeant. Hunc ferre Garumna
Timocreonta poteſt. At ſævas Principis iras
Quis perferre queat? Nemo eſt immanior illo
Celtarum, nemo ad luctas animóque, manúque
Promptior. Ajacem, ſêu magnum Agamemnona Scaldis,
Æacidémque putat, vel Grajûm Parthenopeum;
Quem nunquam poſſit Bitho, Spartacus, atque Bachius,
Quamvîs roboreâ certent, proſternere dextrâ.
Vix indicta patet rivalis arena Gradivi:
Primus inire manus, robúrque oſtendere primus
Herculeum, primus laudem, palmámque referre.
Si verò arma foris deſunt, Martíſque theatra:
Lymphatus Princeps per bella domeſtica præceps
Fertur, & invitos, trepidóſque ad barbara cives
Prælia cogit atrox; ſpectacula martia præbet,
Funera funeribus cumulans. O fæda Moſellæ
Barbaries, Ligeríſque probrum! Prô ſæve cruoris

Helu-

Heluo, Theromedon, crudúſque in funera Sciron!
Non è liligera, ſed Biſtone proditus orâ,
Maſſagetúmque plagâ, cui ludum ſanguinis imbres,
Immanéſque neces faciunt. Truculente Procuſtes
Francigenûm, quò te veſana protervia ducit,
Indomitúſque furor? Quid túne cadavera ſævo
Proculces Atrêus faſtu? Quid? nomen honorum
Poſcis ab effuſo populorum ſanguine? Non hæc
Regna decent Celtas, humano pectore gentem.
Hæc labem Oeagriæ pariunt, quam cæde cruentum
Infamat ferrum; quam ſanguinis ignea flagrans
Corde ſitis, mundo reddit, Cæló que peroſos.
Nil magè dedecorat ſolium, quàm ſæva tyrannis.
At non de ſtygiis redivivus Cinna caminis
Hìc metam ponit ſceleri. Mens effera flecti
Neſcia, per varios noxarum proruit auſus,
Impatiens legum. Sic Princeps fuſus in omne
Criminis opprobrium, per fanda, nefanda vagatur
Laxatis vitæ frenis; quêis magna Gradivi
Gloria non uno fædata eſt nomine, famâ
Diſpergente nefas. Nec ſolùm purpura labem
Imbibit; at civis, melior nè Principe forſan
Degeret, in pariles deſcendit criminis auſus,
Exemplóque Ducis ſe tota Aquitania format.
Plerumque ad Regum mores deſcendere plebes
Aſſolet, ac ſcelerum leges deducit in acta.
Has ſolii, populíque vident ſcia ſidera noxas:
Et nondum iratis (quanta hæc clementia!) fulmen
Nubibus eliſum, librant in vaſta Monarchæ
Flagitia, ac meritis plectunt contagia pœnis?
Necdum Tænariæ ſurgunt in ſceptra miniſtræ
Impia, & anguiferis plectunt tot crimina flagris?
Sæpe equidem infernis ardent erumpere regnis
Ultrices ſcelerum Diræ, pravámque laborant
Frangere cervicem. Quid enim nisì pœna ſceleſtos
Iure manet Themidos? Sed Numen Erinnyes atras

Ferre vetat dextras, Erebíque repellit alumnas,
Non ſceptri merito, at miſerentis ſigna daturus
Ætheris, in vaſtum ſuſpendens tela piâclum.
Interea magìs atque magìs jam mollior Abron,
Francorúmque Strato, per crimina noxia regno
Proruit, ac omnem Superûm, Latiíque ſuperbè
Legem aſpernatur. Scelerum commercia ſerpunt
Per fora, per vicos, per compita, pérque Garumnæ
Flumina, & impunis ſcelerata licentia plaudit
Undique, nacta Ducem, delictorúmque patronum.
Ingemit evigilans ad tanta piacula myſtes
Celticus, ingenuâ perfuſus teſte doloris
Lacrymâ, & unanimo rogat, obſecrat aſtra precatu:
A Rhodano ſatagant maleſvadum avertere ſceptrum.
Hos inter Præſul, verum de nomine Nardi
Omen habens, Virtutis odor, morúmque Magiſter
Inclytus, atque ſophus Scaldis; cuî plurima flagrant
Vota, reducendo Romana ad caſtra Typhoêo.
Eſt amor, eſt zeli genuina propago, ſalutis
Cura Monarcharum, ac populi. Non culmen honoris
Mitratos ornat myſtes; ſed devia Cælo
Pectora, ad æthereum virtute reducere callem,
Paſtorale pedum decorat, vittámque bicornem.
Atque hæc zelotem Bernardum gloria adornat.
Nec cadit in vacuas vigilantior infula curas.
Quippe ubi ſiſtendi properantem ad Tartara Celtam
Omnis ſpes humana deeſt: clementia Cœli
A Phlegetonteis, ruiturum Ægæona, regnis
Eripit, ac Superis reddit, legíque Quirinæ
Per ſvavem, fortémque à Clara Valle Suädam.
Forſitan Auſoniam legali jure tiaram,
Atque vices CHRISTI, terræque capeſſit habenas
Ter mitratus apex In - nempe nocentius alter,
Regnantûm ſublime caput. Vix præſidet urbi,
Et vigil Oenotriis ſeptem de collibus orbi
Proſpicit, atque ſibi commiſſum paſcit ovile:

En no-

En novus Antiſtes mundi, morúmque magiſter
Erigit in ſummi Myſtæ ſe jura, Latino
Unus de Procerum cenſu ; cui fama Leonis
Nobile ſtemma dedit. Nè verò fortè fidèlis
Chriſtiadûm cætus dubiis affectibus erret
De vero Patrum Patre, quem præferre laborat:
Utitur ingenio fraudis, populíque juvante
Murmure, & obrizo corruptis civibus, atque
Auxilio Summatum Anacleti nomina ſumit.
Argolicas adeat cum techna Siſyphus oras.
At jam (proh orbis probrum!) non ulla Phrynondam
Excludit regio. Dolus omnes occupat urbes.
Dum gemino morum caput orbis vertice plaudit:
Exoritur Latiis abolendum chiſma theatris,
Myſtéſque adverſis exercet prælia ſenſis,
Seditióque fremit. Partes veri ille tuetur
Præſulis: hic defert Anacleto prima tiaræ
Munera, & auſpiciis lectum melioribus, orbi
Prædicat, ambiguúmque facit; quem mundus adoret,
Quémque ſibi Petri jam poſthuma vendicet ara.
Hoc in Dardaniis veri, falsíque per orbem
Bajula fama ſatur rumore, Quirina relinquit
Pergama, pérque alias fertur pernicibus alis,
Diſſidio comitante, plagas. Sed quod dea ſemper
Turbida clima petit ? Primùm manifeſta per oras
Liligerûm volitans, ſacris, paritérque profanis
Auribus acta canit Latii; ſermone Garumnam
Replet, & in varium deducit Vaſcona ſenſum.
Hæc quoque fama ruens in Claras præpete pennâ
Valles, ſcitatur: quæ ſtet ſententia Nardo:
Quem putet è gemino, quem legit Roma, Magiſtro,
Iure ſubire vices CHRISTI ? Vix buccina famæ
Perſtrepit, & claris reflexâ voce reſultat
Vallibus, ac Latiæ recinit ſacra prælia terræ:
Melleus Antiſtes veraci Numine plenus,
Fallacíſque ſtrophæ nunquam non hoſtis, in æquas

Flammatur confeſtim iras, animóque volutat;
Quî regno Ligeris maleſvadæ murmura famæ
Protinus exturbet. Quare de munere vittæ
Solvitur in voces; Romæ mala nuntia Celtis
Pandit; verſutas Anacleti nuntiat artes,
In Fidei opprobrium cuſas. Sic Gallicus ordo
Bernardi partes ſequitur, pſevdóque magiſtrum
Iuſtis perſequitur diris; exterminat orbe
Commentum famæ; veræ ſubjecta tiaræ
Pectora ſubmittit; Patrem ore, animóque veretur,
Lectum à purpurea ſacro de more corona.
Dum myſtæ, populóque gravis confinia regni
Fama fugit, nunquam Rhodani bibitura paludes
Ampliùs, & Ligeris: fugientem ferreus ille
Celtarum Phalaris revocat. Cuî crimen amori eſt,
Diſcordéſque placent motus, huîc pronior uſus
Deteriora ſequi. Quare ut diſſenſio regni
Inſumat fines, Anacleti jura tuetur
Iure ſuo Sciron, ac Patrem deſtinat orbi.
Sed cùm non pronos in perfida ſenſa bicornes
Obſervat myſtes; furiali percitus œſtro,
Cêu leo Marmaricus fremit, aut Gangetica tigris,
Atque reluctantes vittato munere Patres,
Extorres Arari, peregrinas viſere terras
Præcipit, arbitrióque novos, praviſque faventes
Partibus, in viduas mandat conſurgere mitras,
Condecorátque ſcelus. Solium per criminis auſus
Prociduum, fœdas myſtarum diligit aras.
Hæc ubi ſummus apex, Virtutum cultor, & æqui
Accipit à fama: non fulmen protinus altâ
Sede vibrat, noxámque ferit; ſed dulcia mittit
Nuntia more Patris. Clementia nempe Quirino
Iugiter aſſiſtit lateri, veniæque paratum
Oſtendit gremium. Sed quid ſuprema poteſtas
Lenior in pœnas? Veſtitum murice legat
Gaufredum, Auſoniæ pollentem robore linguæ,

Cen-

Centaurúmque jubet Latiali reddere legi.
Nè verò in dubiam recidant hæc munera ſortem :
Auxiliatricem Bernardum pôrgere dextrâm
Sancit; quò ſe ſe Diomedes illico ſignis
Chriſtiadûm referat. Iubet inſuper alta poteſtas
Derivata aſtris : mitratum culmen honoris
Patribus ejectis reddat, magníque gerentem
Sceptrà, vicéſque DEI, ſubmiſſo vertice pronus
Agnoſcat, recolátque Gyges: nè tela Quirini
Ætheris, ac juſtas patiatur Numinis iras.
Hæc ſummi terræ Patris, ſacríque Monarchæ
Imperia, actutum ſequitur pro munere, cocco
Spectandum lumen. Quò verò ſaxea frangat
Pectora Sauromatæ, mitrâ, lituóque decorum,
Sed Virtute magìs, Bernardum melle fluentem
Eloquii, in ſocios unà jubet ire labores.
Sed labor omnis abit vacuas diſperſus in auras.
Nil Latiis vox miſta favis, nîl proficit oris
Fulminei in crimen ſermo; qui pectora poſſet
Frangere Spartano, Parióque exciſa ſepulchro.
Annoſam citiùs concuſſo ſtipite quercum
Æolii evellent fratres; quàm neſcia flecti
Mens Rhœci valeat primâ ſtatione levari.
Nulla movere poteſt ſcelus intractabile dextra.
Omnia deludit veſana ſuperbia ſceptri,
Ipſa ſibi lex, ac ratio. Sic Cinna Garumnæ
Purpureos ſpernit monitus, ſacróque fluentem
Melle, hymóque virum, faſtu, multóque cavillo
Excipit in probrum; divina, humanáque ridet
Omnia, contemptor Superûm, nullíſque movetur
Verborum illecebris; nec forti momine rerum
Mollitur rupes. Quod duro pectore ſanxit,
Proſequitur votis, ſtatuens ſupremum Anacleta
Chriſticolûm Patrem; cui ſoli prima poteſtas
Congruat in terris, ac veri ſceptra Tonantis.
Cùm videt in ſterilem mandari ſemen arenam,

Omniáque in nihilum verti, quæ Svada miniſtrat
Romula: divino ſe totum concitat æſtu
Claræ Vallis apis. Iam ſacrum colligit œſtrum,
Muneréque abjecto Svadæ, ad robuſta recurrit
Thaumata; quêis tumidum proſternant ſidera faſtum,
Ac Polyphemum Araris, propriâ ſe lege regentem
Submittat rectæ Fidei, veróque Tonanti
Subjiciat ſcelerum monſtrum. Sic flammeus igne
Æthereo myſtes, ad ſacras Numinis ædes
Accelerante gradu rapitur, factóque litantis
Munere, ter ſanctæ defert libamina dextræ
Ad poſtes templi, cæleſtis robore panis
Plùs quàm Lernæam domiturus Præſul echidnam.
Iam toto igneſcit vultu; flagrantis ab ore
Sacra favilla volat; micat acri lumine flamma,
Et geſtu, faciéque minax, non ſupplice cultu
Appropiat Cœo Ligeris, nec mellea linguæ
Dona labris fundit; ſed miro fulminat ore
Entheus, atque Duci ventoſo talia fatur.
Hactenus Auſonii te mulſit gratia Patris,
Ac monuêre preces, Fidei te ducere recto
Calle adnitentes. An non perſæpe rogatu
Nomine Chriſtiadûm, tibi ſupplex accidit ordo
Myſtarum Scaldis: quò ſævi pectoris auſus
Ac tumidam ponas mentem? Quid? túne Quirinam
Poſthabeas ſedem; quæ juſſu Numinis orbem
Dirigit, & cujus veſtigia Cæſar adorat,
Totúſque Oenotriam mundus ſe ſternit ad aram?
Prô ſcelus! ánne Patrem delectum jure, probante
Æthere, deſpectas? Pſevdo tibi numina fingis,
Opprobriúmque facis Superis. Sed cernit ab alto
Regnantûm faſtus, aſpernantéſque tumores
Ultrix ira DEI. Spernentem ſidera ſpernent,
Tænario comitante probro; nî ferrea ponas
Pectora, & Auſonium verbis fateare Monarcham,
Sceptra, vicéſque DEI, Cælorum jure, tenentem.

Si

Si non æqua Patri Latio, nobíſque videtur
Danda fides, ſacráſque lubet contemnere leges;
En ſervos tumidâ rejectos lege, ſupremus
Conſequitur mundi Dominus, verúſque Theander
Virginis ipſe ſatus. Tibi ſupplex advenit orbis
Conditor, atque Caput Regum, ſcelerúmque ſeverus
Arbiter, à ſolio ſpretus. Iam ſcito, tuorum,
Atque tui Quæſitor adeſt; cuî cernua vultu
Sidera ſternuntur; quem terra, Acherónque tremiſcit;
Cujus ad imperium ſubmittunt ſceptra Monarchæ.
Ille DEUS niveo velatus farre, ſalutem
Porrigit, aut pœnam. Iam quidvis delige Princeps.
Aut tibi propitium Numen, ſi ſenſa retractas:
Aut Phlegetonteas, ſi perſtas crimine, pœnas.
Vix ea dicta dedit Præſul ceu nube ſolutum
Fulmen, & attonito ſimilis riget; omnibus horret
Artubus; irriguus decurrit corpore ſudor;
Pallor in ora cadit, membríſque timore ſolutis,
Proruit in vaſtam, tellure tremente, ruinam
Mole giganteâ Princeps. Non ardua Pinus
Sic ferro ſucciſa cadit: non vertice pulſans
Sidera Cupreſſus Boreali turbine fracta,
Porrigit in latum ſic membra virentia ſaltum:
Ut ruit in trepidam declivi pondere terram
Ambitione gravis Princeps. Præcelſa ruinam
Majorem faciunt. Ubi molem Typho ſupinat;
Illico turba volat famulantûm, immania dextris
Membra levans, geminóque facit conſiſtere fulcro
Enceladi corpus. Sed plantis carnea moles
Inſiſtit titubans: rurſum ſe circinat ingens
Compages artûm, & pleno ruit impete, vultum
Telluri immergens, omnéſque exporrigit artus
Exanimi ſimilis, mediâ cêu morte nataret.
Hoc eſt prodigium vitæ, mortíſque ſupremi
Arbitri, & in niveo concluſi Numinis orbe.
Dum jacet in vaſta Ligeris Polyphemus arena;

Inte-

Intereà Bernardus adeſt, & calce verendo
Proſtratum tangit, mandátque attollere corpus
Pergrave flagitiis. Vix quaſſos erigit artus,
Suſtentátque ægre molem; mellifluus ore
Præcipit Antiſtes: Cæli ſancita capeſſat,
Ac Latio morem gerat, ejectóſque reponat
Sedibus emeritis Patres, & ſacra Quiritum
Oenotriæ, ùt par eſt, confeſtim jura ſequatur.
Utque ſibi veniam Superûm, Romæque favores
Iapetus exoret, Metanœæ munera ſvadet,
Curriculúmque jubet meliori tramite vitæ
Currere, calcatis vitiorum moribus, atque
Non uno noxas lacrymarum abolere fluento.
Hæc Claræ Vallis Præſul, Virtute Theandri
Maſſagetæ Ligeris. Sed quid ſibi redditus heros?
Attonuêre Ducem, partim ſub imagine farris
Velatum Numen; partim facundia Myſtæ
Ignea; quæ duram mollivit pectore rupem.
Quare depoſitâ rabie, faſtúque, reponit
Paucula, & officii non immemor, omnia ſpondet
Se revocaturum, tumido quæ ſparſerat ore,
Quæque jubent Latiæ ſanctiſſima jura tiaræ,
Facturum ſe ſe recipit; nè ſumma poteſtas
Terræ, fulmineis plectat tot crimina telis.
Hìc equidem dubites, plúſne imperterrita fandi
Copia Bernardi, vel Principis antè ſuperbi
Demiſſæ mentis ſtudium, jam laudis honoræ
Obtineat mundo. Sed primas inclyta Virtus
Iure ferat partes. Dos quippe eſt clara virorum
Non ullos ſolii faſtus, irâſque pavere
Therodamanteas; quin Cæli juſſa faceſſant
Impigrè, & inſanos exponant Regibus auſus.
Ignorat vanos circum palatia fumos
Vendere juris amor, palpúmque obtrudere neſcit.
Legum æternarum cultor, Superúmque miniſter.
Exuat imbelles heroo corde timores;

Qui

Qui ſibi commiſſo deportat munere, Cæli
Nuntia, & Oebalium ſcelerato in Principe coccum,
Centonémque habeat pariter. Sic juſſa Tonantis
Bernardus ſequitur, nullo formidinis unquam
Percitus opprobrio, ſoliíque errata refringit
Acriùs, ùt par eſt. Sed nec præconia famæ
Effugiunt Araris ſceptrum; quod nuntia Romæ
Accepit placidè. Iam Princeps alter ab illo eſt,
Qui nuper fuerat, blando manſvetior agno,
Conſiliúmque capit melioris caſtra ſequendi
Vitæ, ac Romuleis ſtatuit ſe reddere ſacris.
Unde ſibi ante oculos mentis vaſtiſſima ponit
Crimina; quêis Superûm violavit jura, DEíque
Iuſtam deriſit Nemeſim, noxámque Garumnæ
Attulit, ac Latio Capiti, Themidíque Quiritûm
Opprobrii induxit labem. Dum corde volutat
Horribiles ſcelerum facies, oppreſſa pudoris
Iura, fidem ſtratam regni, fraudéſque Sinonis,
Atque mali portenta videt; quæ ferre recuſat
Et Cælum, & tellus: meritas de crimine pœnas
Sumere decernit; Superûm quò mitior ira
Surgat, & ultricem ſuſpendant aſtra furorem.
Quare ad mirificum Princeps accingere ſe ſe
Supplicii exemplar. Iam lautos ſpargere cenſus
In terræ gremium; jam tinctum ſanguine coccum
Ponere; mortiferum lateris diſcingere fulmen;
Æriſona auratis dimittere cingula bullis,
Abjicere obrizum chlamydis, jámque æris acervos
Largiùs in tenuem Cleobis diffundere ſortem.
Ac ſic nudus opum tanto de Principe Codrus,
Pauperiórque Iro, viduatum murice corpus
In rigidum mittit, pœnarum lege, capiſtrum,
Suppliciíque ſalubre genus. Sed quale? quod horror
Penè referre vetat. Nam clarus ſtirpe Dynaſtes
Excoctum Æoliis terno à Cyclope caminis,
Atque minùs cultum nudo thoraca coopat

Pecto-

Pectori ; inornatâ caput amplum caſſide ſtringit ;
Incingit vaſtum Cilicum velamine corpus,
Expungens ſtimulo crimen, chalybíſque rigore,
Vindex ipſe ſui, ſceleratos implicat artus.
Síc que catenato conſtrictus corpora ferro,
Ac ſuperinjectâ vili de ſorte lacernâ,
Orbatúſque ipsâ, quæ plantas firmet, alutâ :
Illico ad Auſonii ſe ſe conferre tribunal
Præſulis, atque reum malefidæ ſiſtere vitæ.
Obvia procedit venienti Gratia Cæli,
Continuò facili calcantem crimina Celtam
Exceptura ſinu. Nulli ſe mite Chariſma
Subtrahit aſtrorum ; quando Metanœa perorat
Pro venia ſcelerum, lacrymíſque emollit Olympum.
Atque ità placatum reddit ſibi Typhu Tonantem ;
Adraſtea licèt fortaſſe ſeveriùs acta
Exigat ; ut Latiæ confirmet jura ſtateræ.
Forſan divini ter magnus Paſtor ovilis,
Concilium Rhemis celebrat, Patrúmque ſenatum
In re turbata Fidei, ac jam penè cadente
Francigenûm pietate, regit, motúſque Garumnæ,
Ac ſectas inhibere ſtudet ; quêis cauſa, capútque
Seditioſus erat Princeps. Dum ſumma poteſtas
Dirigit arbitrio cœtum : ſe ferrea moles
Principis, in medio Patrum ſpectabilis orbe
Exhibet, atque ſacrum ſe projicit ante tribunal
Auſonii Capitis ; dejecto lumine ſupplex
Ubertim fundit lacrymas, flammáque pudoris
Suffuſo vultu, ſe multi criminis eſſe
Authorem agnoſcit. Nec fucus corda pererrat
Principis ingenui. Veniam depoſcit atrocis
Flagitii, ac diro, meritóque programmate ſolvi,
Noxáque efflictim rogitat, ſpondétque piâclis
Iure imponendas promptum eſſe exſolvere pœnas.
At cùm nulla foret præſentis notio Rhœci
Transformati adeò, delictáque magna piantis :

Mole

Mole giganteâ, ferróque immanè ſtrepente
Territus Oenotriæ Princeps, Patrúmque corona
Scitatur: quod ei nomen? quæ patria? quóve
Climate jam veniat? Submiſſo poplite ſtratus
Liliger, ac lacrymis perfuſus, talia fatur.
Ille ego ſum Princeps immenſi criminis author,
Et tot ſparſorum per Celtica regna malorum.
Ille ego propudium Ligeris, qui ſacra profanis
Miſcui, & in Latiam tot jeci probra tiaram.
Hæc ubi veraci gemitu, planctúque profudit
Rector Aremoricæ: librato ſumma poteſtas
Fulmine percuſſit facinus; quod jure vibrari
Congruit in noxam. Romæ quandoque ſtateram
Iura ſevera decent. Hinc ſacro percitus œſtro
Dardaniæ, mundíque Pater, delicta Typhoëo
Explicat, atque neces tot, tantorúmque virorum
Ante oculos ponit; veſanos objicit auſus,
Ac ſtratum pietatis opus, Themidémque, Fidémque,
Et longam ſeriem ſcelerum, populíque ruinam,
Eloquio ſpirante DEUM. Sic major in altum
Illatebrat ſe ſe Metanœæ gloria pectus.
Ut verò meritas pro tanto crimine pœnas
Dependat Princeps: Solymæas illicet oras,
Tergeminum diadema jubet pro juris, adire
Ordine, quo gaudet, regníque accedere myſtem,
A mitra, lituóque gravem; cuî facta poteſtas
A ſolio eſt Latii, programmate ſolvere diro
Tot malè projectos in jura Quirina cavillos.
Vix hæc in mæſtum data ſunt decreta Monarcham:
Ille gerit morem abſque mora, Romæque tiaram
Poplite lunato venerans, ad diſſita regno
Littora, cum ſocia Metanœa præpete fertur
In ſancita gradu. Ter fauſto tramite perge,
Quò te Romuleæ tranſmittunt jura ſtateræ;
Nam certa a Solymis venit indulgentia terris.
Interea Phlegeton truculentis infremit iris

Erep-

Ereptam Diti prædam, ac molitur ademptum
Reddere Tænariis, jam Cæli Ægæona, ſceptris.
Quare ubi Dictynnæ ſedes, ac ſæva ferarum
Teſqua petit Princeps: varias imitantia formas
Monſtra Erebi ſumunt. Sylveſtria numina Fauni,
Cornigero præeunte deo, terrere minanti
Fronte Ducem Ligeris, magnúmque reflectere greſſum
Ad patrias urgent ædes, noxáſque priores.
At Dux Arcadium deſpectat lumine Pana,
Capripedéſque fugat ſigno meliore choraules,
Progrediens, quo vota citant. Sed Tartara callem
Cœptum inhibere ſtudent. Hinc mittunt ungue valentem,
Lumine terrificum, ac torvâ cervice minantem
Sylvarum dominum; qui perfremat ore cruento,
Ac vetet in ſacras arces properare Sionis.
Inde Hircana tigris furibundo concita greſſu
Irruit in Celtam. Iam prædo ſanguine gaudens
Obvius exacuit rictum, totámque luporum
Exercet rabiem, flammantia lumina torquens.
Huc quoque præcelſis ſtabulantes montibus urſi
Fulmineo ſe dente ferunt, fumántque furores
Naribus, atque ſtrepunt. Sed Averno fortior heros
Inclytus, enerves ridet, ſpernítque labores
Tænari, & impavidus bene cœpto tramite pergit.
Nil Erebus, ſolum Numen, criménque timenti
Officit. A ſupero firmatus robore, nullâ,
Quæ ſe cunque ferat Cocyto, frangitur irâ.
Dum formidandos aliis, ſuperâſſe videtur.
Terrificos nemorum tractus, & aprica pererrat
Iugera camporum: tempeſtas turbida cælum
Contrahit, horrificis totus micat ignibus æther,
Fulmineæque ruunt furiæ, dextrâque, ſiniſtrâque
Antrorſum, retrorſum, Arctoæ grandinis iræ
Incumbunt glomerante Noto, cælúmque, ſolúmque
Cimmerio induitur peplo, tetróque viator
Noctis inumbratur probro. Sed mente ſerenâ

Exci-

Excipit æthereas melior jam Liliger iras.
Si pax eſt animo, non bella externa timentur.
Iupiter aëreus non terret pergama mentis,
At ſic devicto nemorum, cæliſque furore,
Ad juſſas graditur felici tramite terras.
Iámque tenet Solymas generoſis paſſibus oras,
In veniam ſcelerum faciles; quêis arrha ſalutis
Humano generi, à vero eſt tranſmiſſa Theandro.
Nec mora: mitrati reveretur culmen honoris,
Ac Latii mandata Patris, facundior ipſo
Neſtore depromit. Sed nè proſcriptio dira
Auſoniæ ſacris, ſit planus callis Averni:
Poplite curvato ſupplex, programmate ſolvi
Flagitat, ac reddi Latiali poſtulat aræ.
At quid ad hæc Solymæ myſtes? Quod munera veri
Præſulis expoſcunt. Longis erroribus actum
Officio ſequitur, vultúque, ſinúque benignè
Accipit, auditæque Ducis delicta fatentis
Ingenuas inter lacrymas, ignoſcere culpæ,
Solveréque impoſito lugentia crimina nexu.
Sed Princeps ſibi durus, & implacabilis, orat
Solis inacceſſam radiis, de rupe cavatam
Concedi latebram; quo cæco detur hiatu
Immanem ſcelerum ſeriem, noxámque piare.
Hìc myſta in votum facilis, manantia guttis
Scrupea tecta favet, nativo pumice ſtructa,
Ac levibus tophis, placitum quêis degeret ævum,
Eluerétque nefas. Vix triſte horrentibus antrum
Oſtendit ſcopulis Præſul: Metanœa clientem
Ducere ad exeſos naturæ dente penates,
Atque jubet tacitis ſua prodere crimina ſaxis,
Ac multo cautes gemitu, valléſque ferire;
Quæ reddant Superis pergratos voce reflexâ
Mœrentis ſceptri planctus. Hac rupe beatus,
Bis geminis, annum ſi demas, vivere luſtris
Ipſe ſui Rector; vigiles deducere noctes,

Auſterus, rigidúſque ſibi, proſcindere tergum
Verbere ferrato, multo emanante cruore.
Iámque vetus deflere nefas, lacrymíſque movere
Sidera, & æthereas repetitis planctibus oras
Implere aſſiduè, Superóſque in vota ciere.
Hìc duram tolerare famem, lautáſque negare
Strictâ lege dapes, ventríque indicere bellum,
Ac tenui victu ſtomachi frenare latratum,
Ingluviem plectens. Sed quæ jam pabula Princeps?
Atra Ceres præbere epulas, ac mucida panis
Fruſtula; quêis gelidis de rupibus addita rorans
Frigida, cum lacrymis jejunia plurima miſcet.
At Cæli ambroſiam mittunt, multóque favoris
Nectare jejunum recreant, mentíque propinant
Gaudia, & abſtemios paſcunt dulcedine ſenſus,
Impinguántque animum. Quàm verò charus Olympi
Civibus evadat, jam verus Liliger, atras
Detergens ſcelerum maculas: permira loquuntur
Thaumata; quêis toti Princeps inclaruit orbi.
Nam poſitâ feritate feræ, quæ Caſpia terrent
Luſtra, vel Armeniæ montes, ſubmittere colla
Sacratis pedibus, peramicáque figere plantis
Baſia, & æthereo ſe pronæ ſubdere ſervo.
Ipſi adeò attoniti ſquamis crepitantibus hydri,
Lernæúmque genus, Cæli portenta vereri,
Abjectáque oris ſanie, de Gorgonis atro
Transfusâ gremio, veſtigia lambere ſancti
Principis, ac illi laudes per ſibila ferre.
Quem Superûm veneratur honos, hunc jure verentur
Omnia. Virtutis decus omnis mundus honorat.
Atque hoc prodigium, quod ſæcula rara tulêre,
Numinis alta dedit Bonitas, niveóque ſub orbe
Velatum DEItatis opus; quod corda ferarum
Æmula, in humanos novit convertere mores.
Hic DEUS auguſtos Ligeri ſpectante, triumphos
De ſolii feritate tulit, rabiémque leonis

Perdo-

Perdomuit dius, Cælis plaudentibus, Agnus.
Vix etenim venit, vix vidit, vicit iniquum
Enceladi ſceptrum, ſtravítque Mimante profuſum
Principem, & in famulam fera miſit pectora formam.
Magne DEUS, tectúmque dapis ſub imagine Numen!
Sit tibi Liligeris, ſit noſtris maxima terris
Gloria; cui faciles volumus ſubmittere mentes,
Atque tuæ ſemper conformes vivere legi.

CAIN

Truculentus parricida ABELIS.

Genes. 4.

PRimus omnium fraternam conſcivit necem Cainus. Fortè ad Abelis victimas, & omni victimâ præſtantiorem animi religionem, divinus ex alto favor oculos advertit, ſuper immolata flammam de cælo jaculando. Hæc divini favoris in Abelem inclinantis nota flammea, cùm haud obveniret Caino, deteriora Superis obtrudenti; in fraternæ felicitatis invidiam eſt prolapſus, inſuper habitis DEI hortamentis: paribus officiis,& Virtute Numinis gratiam demereretur. Cædem Germani ex livore conceptam, ut certiùs executioni daret; ſceleri prætexens amicitiam, Abelem in agros prolectat, ibíque poſt ultrò, citróque jactatos ſermones, elatum altiùs, quod manu gerebat, ruris inſtrumentum, in fratrem validè demittit, ac iteratis ictibus immaniter eum contrucidat. Ejus ſanguinem largiùs emanantem, & tacito clamore ultricia ſidera ferientem, excipit tellus: innoxium verò Abelis ſpiritum, deſtinata longæ quieti piorum manium ſedes amplectitur.

Livo-

LIvorem, fatale genus, virtutis honoræ
Obliquum ſemper comitem, torvóque tuentē
Lumine rivalem quam mittunt ſidera fortem;
Livorem hunc inquam, quem mater iniqua
maligno,
Tabificóque ſinu effudit, ſibi noxia partu
Vipera, Muſa canit. Non ſe Permeſſidos undis,
Atque caballino Pimpleis fonte lavabit;
Verùm in ſanguineum demerget labra fluentum;
Quod primus frater germano corde citavit,
Virgineam inceſtans cognato ſanguine terram.
Hunc noſtra inſontem dum cantat Muſa cruorem:
Ut fluidis valeat numeris depromere primæ
Virtutis ſpecimen, ſacróque efferveat æſtu;
Purpureo, calidóque ſuam ardet tingere pennam
Flumine; quò prono decurrant carmina rivo.
Primus ut innocuæ matris telluris alumnus,
Atque pater generis noſtri, deluſus ab aſtu
Phyllidos, in vetitas animavit guttura fruges,
Ac uno ſolùm malo, mala plurima mundo
Intulit, & vivam tumulavit funere ſortem:
Prô! quàm res miſeræ totam circumdare terram,
Atque infauſtorum ſeries, cumulúſque malorum
Obruere afflictam tellurem. Quid quod Averni
Sedibus innumerum vitiorum proruit agmen,
Ac variæ cladis violenta examina ſpargit
Umbrarum dominus, ſubjecto jura daturus
Mundo, crudelíque genus mortale capiſtro,
In ſcelerum pœnam domiturus, cêu jubet ipſe
Arbiter æthereus. Sed quid ſtygis ampla poteſtas?
Continuò ferale jubet percurrere lethum
Corruptam mundi faciem, legíque ſororum
Subdere, quod pravo deſcendet patre, diémque
Cernet, & anguſti ſpatium malè tranſiget ævi.
At nè unquam deſint fatali corpora falci;
Quam rigidis verſat manibus funeſta dearum

Atropos : irarum diſpergit ſemina vaſto,
Fœcundóque ſoli gremio, loliúmque maligni
Livoris mandat ſulcis, odiique profundit
Sementem, quò orbi vitiorum germina ſurgant,
Immiti quondam Libitinæ falce metenda.
Et verò horrentes noxarum creſcere ſentes,
Atque rubi ſceleris maledictâ ſurgere terrâ,
Quam tribulis, dumíſque dedit Rhamnuſia, primo
Irritata malo. Sed nullam Rex Phlegetontis
Ampliùs appoſitam, quæ reddat fœnora, glebam
Pervidet, ac notum genii feritate Cainum;
Cuî queat omnigenæ committere ſemina noxæ.
Nec Dis Tænarius ſterili mandavit arenæ
Sementem ſcelerum; quæ multo prodiga fœtu
Luxurians, ſtygio congeſta tributa tyranno
Attulit, & mundo vitiorum oſtenta profudit.
Ac latè inprimis ventoſa ſuperbia frondes,
Fructúſque explicuit, queîs paſci jugiter orci
Rector avet, ſtygiæque petunt hæc pabula turmæ.
Intumuit primi ſpecioſo nomine nati
Plùs nimio elatus thraſo: ceu non unus ab ortu
Sublimes animos gerit. At virtutibus orbus
Primævus naturæ ordo, nîl laudis honoræ
Adfert, nec famæ nomen per ſæcula ducit.
Hoc turgente Cain deſpectans omnia faſtu,
Imperium patris, matríſque capeſſere juſſa
Negligit, atque ſuâ duntaxat lege deinceps
Vivere decernit. Nec ſolùm patria ſpernit
Indomitus mandata ſatus; ſed neſcia flecti
Corda gerit Superis; Cælorum dogmata fædè
Proterit, ac tenui ſupremum Numen honore
Devenerans, propriæ dicat omnia ſacra voluptæ.
Iam tum non uno dedit indice ſortis iniquæ
Omina, & ingenii dumos; quos tempus adultum
Differat in luctum patris, generíſque ruinam.
Sæpe docet primo vernans in flore juventa,
Quis ſit majori fructus ſperandus in ævo, Quæq;

Quæque mali feræ fruges. Dum Tænarus acri
Lumine fortè videt, perverſâ mente Cainum
In ſcelus omne rapi, pronoque per omnia ferri
Crimina naturæ ductu: nè pignora deſint,
Ac ſoboles numeroſa mali; connubia tædæ
In Phlegetonteis nuper ſuccenſa caminis
Lymphato jungit conſorti; quò foret æqua
Inter utrumque thori ratio, párque ordo jugalis.
Invidiam deforme genus, ſed lumen Averni,
Perſephonéſque nurum, ſociali fœdere jungit
Eviadi, par nempe pari conjungere certus.
Prô! quæ monſtra videt perculſa timore Camæna,
Portentúmque Erebi? Lubet eminùs atra tueri
Schemata, nè peſtem ſpectanti cominùs ægrum
Affricet oſtentum. Sed quæ ſpectacula dantur?
Pallenti eſt ſimilis buxo, turpique colore
Obſita, & exeſis dea lurida, & horrida malis.
Solâ duntaxat cute pendet, & oſſibus hæret:
Ut ſpectare queas, Phœbo lucente, pereſa
Extra fame, ac laterum coſtas percurrere poſſis
Lumine, & exangues numero comprêndere fibras.
Nec diſpar vultu ſedet horror, & umbra mariti
Eviadis. Fædum Therſiten longiùs anteit
Informi formâ. Sed qualis imago videtur?
Plumbeus eſt illi color oris ſanguine caſſus,
Et macies toto diſcurrens corpore membra
Exedit, articulos auget, carnémque revellit
Oſſibus, ac tenuat jejunos corporis artus.
Hæc nunquam rectos in quemquam porrigit orbes
Luminis; at ſemper limis, hirquiſque tuetur,
Averſiſque oculis; ceu ſortem ferre nequiret
Æmulam, & eventu rivali jure doleret,
Haud patiens rivale decus. Par ſorte maritus.
Nam quoque in obliquum vigiles ſub fronte miniſtros
Abjicit, excelſum renuens ſpectare theatrum
Nominis, & fauſtum dextræ Rhamnuſis alumnum.

Hæc nunquam in placidum ſua laxat pectora riſum;
Ni dolor alterius jubeat fortaſſe cachinnos
Tollere, vel plauſus mæſtâ celebrare ruinâ
Oppoſitæ partis. Quid quod nec lumina claudit
In dulcem, quamvìs ſomno invitante, quietem;
At ſemper vigiles ſtant ante cubilia curæ,
Obtrudúntque animo fatis melioribus actum
Æmulum, & oblatâ ſpecie, quæ laudis honoræ
Pegmata præſentat, terretur livida ſemper
Bellua, & in vivam molitur funera famam.
Sors eadem Eviadem macerat. Quid? nominis alti
Immortale decus, quod Cæli deſtinat ordo
Germano, æquâ mente ferat? Non perferet unquam.
Quare lenta imas exurit cura medullas,
Sollicitúſque dolor. Iam nocte, diéque moleſta
Corde Erycina furit, ſvadétque evertere ſcenam
Fratris, & everſo laudis, famæque theatro,
Surgere in aëreum, quo plaudit gloria, clivum.
Denique, quò paucis paritas utriuſque notetur:
Hæc mæſta eſt lætis; eſt anxius ille ſecundis.
Hæc virus coquit in fibris; hunc livida tabes
Conficit: illa ciet gemitus; ſuſpiria ducit
Ille: rigat laxis oculorum fontibus illa
Malas, atque ſinum; lacrymarum flumine manat
Ille, à conſpicua declinans lumina ſorte.
Hæc armata nigro corrodit dente liguſtra
Æmuli; hic hoſtilem plenis haurire culullis
Sanguinem, & adverſam vult morſu frangere laudem.
Nunquam non livor rivalis funera quærit.
Nobile par equidem, cui non Lucina miniſtrat;
Sed noctis veniunt in ſacra marita ſorores,
Ipſáque Perſephone. Proh! qualia pignora fundent?
Nec diſpar vitio patris, matríſque pudendæ
Indole procedit ſoboles. Mirabile viſu
Monſtrum, portentum mundi, pérque omnia patrem,
Ac matrem referens (non horres Muſa?) tremendum.

Editur

Editur in lucem. Sed quod jam fuſus in auras
Nomen habet partus? Quod non abludit ab ipſo
Naturæ genio. Cui luſtrica nomina præbet
Ipſe Erebi patruus, propriáque ab ſtirpe vocari
Præcipit, ac fædo livoris nomine ſignat.
Hic feret innumeros per ſæcula poſtera natos,
Progeniémque feret, ſtygio quæ grata Tonanti
Accidet, & toto fæcunda vagabitur orbe,
Sexcentos terris, Erebóque datura nepotes.
Invidia eſt ſemper genitrix fæcunda malorum.
Vix ſtygis oſtentum vitales conſpicit auras:
Iam nigros acuit dentes, nativáque ſpargit
Toxica, & omnigenis Virtutum regna laborat
Expugnare armis. Livoris crimen iniquum
Non patitur mundo magnas exſurgere laudes.
Atque hic natorum primus, quem fudit in orbem
Eviades, juſtum ſequitur truculentus Abelem,
Ac patri eſt author, germanum funere tollat
Illico, & inviſum bibat æquo jure cruorem;
Ut caſſus proprio, cognato fulgeat oſtro.
A virtute ſibi vitium deſumit amictus.
Sed quo Virtutum germanus ſchemate plaudit?
Eſt equidem Adamides (ſic claro à nomine Patris
Iure vocandus erit) ſi cenſes temporis ævum,
Ordine naturæ minor; at Virtutis honore
Longiùs infamem non uno crimine fratrem
Anteit, ac morum pulchrâ gravitate ſuperſtat
Eviadi, & longo poſt ſe ſinit intervallo.
Nulla hunc aſperitas animi, ſævúmque rigoris
Infamat cilium; ſed corde, ac ore ſerena
Tempeſies errat. Cæli hunc ſpectare frequenter
Non citra illecebras. Nam vultu mira triumphat
Gratia; ridentes nunquam non explicat orbes
Luminum, & ingenuo vel bruta irretit amore,
Delicium Charitum cor, amor; quo mitius orbis
Nil habet, aut habuit. Patrem, matrémque veretur

 Offi-

Officio, quod jura petunt: mandata fidelis
Accipit, ac promptus genitorum juſſa faceſſit.
Ipſum adeò immanem, ſcopulos in corde gerentem
Obſequio Eviadem ſequitur; quem munere honoris
Prævenit, haud fratris, ſed vernæ munia præſtans.
Officioſus amor viliſſima quæque miniſtrat.
Verùm comprimis cæli, terræque Monarcham
Eximiâ pietate colit Virtutis alumnus
Impiger, ac leges, quas humanæ inſita menti
Dictat agendorum ratio, perſolvit ad unguem,
Semper directo Virtutum tramite currens.
Felix qui ſequitur pietatis caſtra, DEíque
Jugiter obſequitur legi. Sic jura Tonantis,
Ac Superùm Adamides decreta fideliter audit.
Hinc quoties meritos aris mactaret honores
Ipſe DEI myſtes, ac victima; ſemper opimam
Præſentat mandram. Si ſternit colla juvenci,
Aut è ſacrifico delectas more bidentes
Exhibeat Cælis; nunquam non optima terræ
Offert æthereis, quæ donant omnia, dextris.
Grati animi genius non tam re munera penſat;
Quam veri affectûs vicibus, quæ ſpectat Olympus.
At contrà Eviades exili ſidera cultu,
Ac tenui recolit, ceu Numen nôſſe pigeret;
Cui plaſma immenſas non uno nomine laudes,
Atque immortales debet pro munere grates
Reddere naturæ ſcito. Sed mente protervis
Excidit innumeri quantumvis gratia facti.
Oblitus meriti, non poſthac dona meretur.
Nec quidquam ingrato pejus fera terra profundit.
Hoc ſcelus Eviadem tangit. Dum quippe recepto
Ordine, votivas pecudes deferre juberent
Naturæ ſancita DEO; viliſſima quæque,
Ac macie confecta dicat, meliora reſervans
In proprios uſus, genio indulturus heſili,
Nunquam non curans adipatæ fercula menſæ.

Hos

Hos nimiùm oppoſitos cultu tam diſpare mores,
Diſcretóſque animi ſenſus, diſcreta ſequuntur
Præmia Cælorum. Themidos ſic flagitat ordo.
Reſpondet meritis ſupremi juſta Tonantis
Dextera, & in donis mentem non munera penſans,
Munificas animi nunquam non reſpicit arrhas.
Quod Cælo obtrudit mens cultu Numinis ægra,
Invitáque offert dextra, nec lumine primo
Dignantur Superi. Plenæ non præmia dantur
Effuſis auri cumulis; quæ nullus inaurat
Recti animi radiùs. Talis ſua dona miniſtrat
Eviades aſtris. Sed pectore largior, atque
Religione ſacer, ſemper bona munera terræ
Adamides Cælis præſtat, plura daturus,
Præ manibus ſi plura forent. Hæc divus ab alto
Advertens oculos favor, æquo lumine ſemper
Aſpicit, & placitum pecudis ſibi cedere votum,
Teſtatum æthereis crebrò facit argumentis.
Quippe ubi ſacratis jam victima ſiſtitur aris,
Atque petit vires flammæ, veróque Tonanti
Flagitat abſumi; ſuperâ deſcendit ab arce
Ignis, & humanam cælorum incendia dextram
Prævertunt rapidè, cinerántque Tonantis honori
Tauros, ac teneros patulis altaribus agnos.
Hunc ubi divinum non rarò ſortè favorem
Eviades cernit, flammæque cadentis ab axe
Indice, in Adamidem multùm propenſa tuetur
Æthera; quæ nunquam ſua ſenſit victima cælis
Tradita: fraternam vitioſo lumine ſortem
Aſpicit invidiâ tactus. Dimiſſus ab alto
Ignis, perverſum germani pectus adurit.
Quare animo ſubdit flammas livoris, & unde
Concipienda fuit pietatis jure favilla,
Inde odii accedit fomes, peſtemque medullis
Invidus accendit, pravo abſumendus ab æſtu.
Vix animum fatale malum, livórque malignus

Altiùs

Altiùs inſçendit ; mæroris triſte pererrat
Ilia tormentum ; dejecto lumine frontem
Aſperat in rugas ; moroſùm torva tuetur
Dedita pallori facies, ac omnia produnt
Indubium cordis vulnus. Iam voce feroci
Infremit, ac frendet veſanâ percitus irâ,
Víxque animo compos, furioſis pectora palmis
Verberat, in vaſtos diffundit lumina rivos;
Corpore ſtat gelido ſudor perfrigidus, horror
Artus pervadit, bruma omnibus oſſibus errat;
Cæſaries terrore riget, totóque vagatur
Corpore formido. Sed tandem rurſus in iras,
Indomitámque redit furiam, quaſſátque minando
Verticem, & ardentem ſpirat tremulo ore furorem.
Eſt furor, invidiæ ſemper germana propago.
Non ſic Getulis bacchans leo ſævit arenis
Vulnere percuſſus: rabido correptus ab oeſtro
Cêu furit Eviades, nullâ placabilis arte.
Iam nîl mente aliud verſat, quàm vulnera, cædes,
Funera, & ultrices feſtinat ſumere pœnas
De ſibi præpoſito cæleſti munere fratre.
Ipſum adeò validâ ſi poſſet ſternere dextrâ,
Sacrilegus vellet Sciron, cælóque Tonantem
Vellere,& æthereos evertere funditùs orbes,
Atque ſibi eſſe DEUS terris. Vah crimen iniquum!
Unde odio in Númen flagrans, Superúmque peroſus
Leges, haud ullis ſacrare altaria donis
Ampliùs; ac omnes Cæli ejurare favores
Impius Eviades. Prô quæ veſania mentis!
Hoc equidem ultrices non raró ſideris ignes
Immenſum crimen meruit, pœníſque piari
Debuit æternis. Sed quæ eſt clementia magni
Numinis, æthereis ſuſpendit tela triſulca
Sedibus, ac animum livore, odióque malignum
Ad pulchræ Virtutis iter revocare laborat.
Quare tantiſper ſe ſe ſpectabile Numen

Evia-

Eviadi præbet, diras, cædéſque coquenti;
Atque his affatur meditantem funera verbis.
Fare age: cur macies ægros depaſcitur artus,
Abſumitque animum? Quid pallor denotat oris?
Quid tremor in labris, ſtridórque in dentibus? Horror
Quid capitis? Toto quid manans corpore ſudor?
Ecquid tabificum, ſerpénſque per ilia virus?
Cur vitiante natant bacchantia pectora felle?
Quod facinus maleſvada jubent patrare furoris
Iurgia? Quis venis odiorum ſemina ſparſit,
Quæve ſinu cordis livoris vipera ſævit?
Ejice peſtiferæ, fatalia toxica, lepræ,
Flammáſque invidiæ Virtutis temperet ardor:
Nè totus quondam pereas, olímque cremêre
Ignibus æternis. Erebo delicta piantur.
Non eſt, crede equidem, non eſt cur luctibus uras
Viſcera, & invidiâ flagres, avidúmque cruoris
Germani inquiras telum, flammáſque furoris
Innocuo extingvas fraterni ſanguinis imbre.
Si ſapis, ùt juris naturæ dogma repoſcit:
Abjice liventem ſenſum, peſtémque medullis
Inditam, & inſanos actutum mitte labores
Mentis, nè lucem videat mala fabrica noxæ,
In proprium excudenda malum. Nam criminis auſus
In caput authoris redeunt. Age, ſana reſume,
Ducátque in veram te Virtus clara ſequelam,
Affectans parili fratris veſtigia greſſu;
Quêis ad cæleſtes procedit ritè favores.
Si recti, juſtique vias cum fratre tenere
Eligis, ac vero te Relligionis amore
Obſtringis Superis, par ſemper gratia Cæli
Accidet, & ſimiles tua ſentiet hoſtia flammas.
Quippe velut meritis virtutum digna feruntur
Præmia, mercedémque ſibi bene vendicat omne
Relligionis opus puro de corde profuſum:
Haud ſecus in meritas deſcendunt crimina pœnas,

Aſtre-

Aſtreâ feriente nefas. Te redde favori
Cælituum officii ritu ; quem jure requirit
Naturæ ratio, vero ſubjecta Tonanti.
Nec repures, unquam tibi noſtras defore vires ;
Queis ſubigas animum per crimina quæque ruentem,
Ac domitis valeas vitiorum ſurgere monſtris
Altior in palmas. Sed nè conceſſa vagetur
Libertas animi per devia, lege ſoluta
Numinis, & vetitis confirmet pectora noxis.
Quare age, continuò liventem pone chelydrum.
Evome peſtiferum virus, tabémque medullis
Ejice, nè proprium cauſent mala livida fatum.
Dixit. At in vacuas divina parænesis auras,
Ac ventos abiit. Nec Cœli voce movetur
Eviades, ferrum, cautéſque in pectore geſtans.
Sed concepta mali demittit ſemina cordi
Altiùs, ac odiis effuſas laxat habenas;
Invidiæ totum ſe tradit, ſoláque volvit
Fata cruenta ſinu, mentis decreta per actum
Ducere feſtinans. Stat vitam tollere fratri.
O crudele malum livor, princépſque malorum
Omnium, & innumeræ vaſtiſſima janua noxæ.
Hic proprium exurit patrem, cordíſque vigorem
In buſtum, ac cinerem redigit. Livoris echinus
Mortifer eſt ſtimulus, mucróve reconditus, alto
Vulnere tranſadigens animam, celeránſque ſupremum
Liventi interitum ; nî Virtus tela revellat
Pectore, & invidiæ fatales edomet ictus.
Hanc quiſquis recipit, lento ſe funere perdit.
Et veluti coſſus vermis, jugiſque teredo
Robora conſumit : vel ferrum ſcabra rubigo
Exedit, ac aciem chalybis, lucémque reſolvit;
Aut cêu Phœniceo ſaturatam murice pallam
Ore avido carpunt blattæ, tineæque terebrant:
Haud ſecùs invidiæ corrodunt ilia dentes,
Perpetuóque ſolent curarum pectora morſu

Rumpe-

Rumpere, & authorem mæſto conſumere fato
De Nemeſis pœna. Quid quod Plutonia vivo
Corpore regna ſtruit livor; queis rector Averni
Exercet ſinè lege forum, ſontémque fatigat
Iugiter, immenſóque gravat mala corda dolore.
Hìc reus Ixion pernici volvitur orbe,
Imáque cum ſummis mutat, verſátque moleſtè
Pectus, & in miſeram devolvit cuncta ruinam.
Hic volucris Tityi rimatur viſcera jugi
Depaſcens morſu, roſtróque immaniter urget,
Pertundítque jecur. Laſſus quoque marmora volvit
Æolides, ſummóque gravat vix ferre valentem
Pondere, & in vilem ſcelus iſthoc dejicit algam.
Hoc ſub corde natat Phrygii ſenis unda fugaci
Flumine, perpetuámque ſitim ſuccendit honoris
Æmuli; at in rapidam ſpes omnis decidit undam.
Quid memorare juvat plures, quas livor iniquus
Procurat pœnas ſævo Phlegetonte profuſas?
Hìc ſua crudeles Erebi, Ditíſque miniſtræ
Sceptra locant, plectúntque fero liventia corda
Verbere, & immittunt animo glomerata malorum
Agmina, quæ crimen noctúque, diúque fatigant,
Dilaniántque ſinum. Sed nè per plura vagetur
Calliope: hìc ſtygius canis excubat ante penates
Pervigil, ac gnavus ſcelerata cubilia ſervat;
Nè quæ, duntaxat patulos in crimina poſtes,
Fortè ſubire queat Virtus, ſolióque malignum
Pellere livorem; qui ſolus regnat in arce
Pectoris, atque ſuo præſcribit jura clienti
Solus, & in varias dictat mala lemmata noxas.
Hæc immenſa mali ſeries, multíque caterva
Criminis, Eviadem vaſtâ obſidione coronat.
Unde animo claros arcet Virtutis honores,
Æternúmque ſuis proſcribit ſedibus, omne
Primævæ pietatis opus. Iam lege ſupernâ
Poſt tergum abjectâ, propriis dicat omnia votis.

Quod

Quod ſcelus, invidiâ genitrice, effudit in orbis
Dedecus Eviades, obſtetricante Megæra;
Hoc in ſanguineum germani impellere fatum
Mente Procruſteâ latro crudelis adornat.
Ut verò in certam molimen funebre metam
Urgeat, ac rabidos accenſo corde furores
Temperet, innocuum flagrans haurire cruorem:
Hanc animo vafram molitur perfidus artem.
Livoris ſæpe eſt ſoboles fallacia mentis,
Atque ſtrophæ fraudis. Fraus omni regnat in ævo.
Ac iſtum primus conſurgit frater in aſtum,
Forſan candidior cælis Hyperionis aula
Procedit, roſeo perluſtrans lumine vultum
Terræ, permiro veſtitum floris honore:
Cùm fraudis tenebras ſubleſtâ mente latentes
Protrahit, ac patulæ ſatagit protrudere luci
Conceptum Eviades facinus. Quò verò ſceleſtum
Molimen cordis tandem perducat in actum:
Triſte ſupercilium ponit, lætáque ſerenat
Iride contractas frontis caligine nubes.
Explicat in riſum malas, geminúmque benigno
Sidere jucundans oculorum Caſtora blandè
Evibrat, ac Svadæ nectar diffundit in ora,
Tingítque ambroſiâ labrum. Sic totus Hymettum,
Ac Hyblam ſpirans, compellat nomine fratrem
Fratris, & ad Panos dulci ſermone theatra
Prolicit; ut ſolitis imponant gaudia curis.
Nec ſe difficilem, fratre invitante, probare
Adamides, nutum facilis, vocémque ſecutus
Eviadis, quò quò demum germana juberent
Imperia, officio ſervi, vernæque paratus
Inſequi, & in licitos hilaris deſcendere ludos.
Iámque per apricos diffuſo jugere campos
Germanum ſequitur; ridentia meſſibus arva
Lætitiæ ſegete accumulat, ſinceráque ſpargit
Gaudia per Cereris regnum. Pro Muſa pavore

Tangi-

Tangitur, ac ferrum metuit; quod fortè vibrabit
Atropos, innocuum vitæ meſſura novale.
At nullum Adamides, fretus candore, revolvit
Pectore diſcrimen vitæ: ſuſpectio nulla
Obviat, in fratris manibus ſua fata latêre.
Inſontem nunquam pravi ſuſpicio tangit.
Interea Eviades per culta novalia fratrem
Ducere, ùt innocuam pellit per rura bidentem
Immanis lanius; quò ferro conſecret, atque
Exuat inſontem vitâ crudeliter agnum.
Ponè dea inſequitur niveo feralis amictu;
Sed tenebris adoperta caput; cuî ſubjacet oris
Pallor; at exeſis ſedet umbra aterrima malis.
Lumina ſunt geminæ (vah horret Muſa!) cavernæ;
Dentibus infrendet, furvóſque expromit hiatus
Oris, & in prædam vaſtiſſima guttura pandit,
Abſorptura genus mortale. Hêi frigus in artus,
Ac timor irrumpit! Nam ferri jura prehendit,
Atque acuit longam fati inclementia falcem,
Maturam virtute ſuâ meſſura geniſtam.
Ut verò Eviades fraterno funere lethum
Exſatiet, propiùs molimen cordis adurget,
Hinc ſub amicitiæ prætexto ſchemate, primùm
Effundit mites vafro de pectore voces,
Lætitiæ affictæ teſtes, alternáque miſcet
Prælia verborum; quæ riſum fortè ciere,
Atque animum mulcere queant, & tergere nubes
Pectore mœroris. Tandem deſcendit ad iræ
Jurgia, & inſanos crudo vomit ore furores
Entheus Eviades. Nec ſolùm pectore Diras
Evocat; at rabidè blaſphemis aſtra laceſſit
Vocibus; authorem naturæ dente Theonis
Vellicat; in Cælos convicia plurima jactat,
Explodítque datas ab vero Numine leges,
Inque DEUM ſatyras veſanus gerro profundit;
Quæ memorare nequit perculſa horrore Camæna.

Hæc ubi ſacrilego maleſana opprobria labro
Effutire ſcelus pergit: cêu fulmine quaſſus
Adamides, primùm tremere artubus, atque ſtupere
Attonito ſimilis ſceleratæ ſpicula linguæ;
Quêis petit æternum Numen, probríſque laceſſit
Naturæ authorem. Quare reverentia Cæli
Adamidem tangit; qui omni formidine miſsâ,
Increpat elatos placidis hortatibus auſus,
Ac ſceleri meritas minitatur ab æthere pœnas.
Dúmque ultrò, citróque volant fervore recuſa
Spicula verborum, quæ mentis ſufficit ardor:
Atque iſte infamem Cælis aſpergere labem
Pergit: at hic juſto, cêu par eſt, ductus amore,
Ardenti eloquio Superûm tutatur honorem:
Eviades tectas irarum pectore flammas
In patulum jubet ire diem, rabidóque furore
Percitus, in multo meditatum tempore crimen
Surgere molitur, pulchráque expellere vitâ
Adamidem Cælis gratum. Jam fata propinquant,
Atque ſuas primùm trux Atropos exerit iras.
Quippe improviſè duram de robore clavam
Præfixo horrendam ferro, ſuſtollit in auras
Barbarus Eviades: valido diverberat ictu
Tempora, & innocuum non uno vulnere pectus
Afficit, atque iterum repetitis ictibus artus
Uſque ac uſque ferit, nodoſo fulmine ſacram
Exturbans animam. Vix livor fratris iniquum
Patravit facinus, lugubre cadaver in arva
Projicit, æthereis extradens pabula turmis,
Virgineámque rigat primus, pingítque cruore
Inſonti terram, roſeáque aſpergine tingit.
Hæc ubi ſanguineos adoperto gutture rivos
Combibit, atque ſinum tabo, ſaniéque madere
Conſpicit: in multos erumpit putida queſtus,
Ac lacrymis perfuſa genas, miſerabile plangit,
Ultricéſque petens ab juſto Numine pœnas

In magni authorem delicti, talia fatur.
Magne DEUS! cujus nutum ſubjecta veretur,
Ut par eſt, tellus, ac curvo Numen adorat
Poplite, ab obtutu Superûm commota tremiſcens.
Aſpice, quàm fædâ terræ nos incola labe
Polluat, ac faciem decoratam floris honore
Sanguineâ inceſtet maculâ, terræque ſatori,
Quem te prona colo, faciat convicia; plures,
Nî tua præpediat cælo, terrâque poteſtas,
Facturus nobis labes. Miſerere paternum
Numen telluris: nè agnato caſsa decoro,
Forte panomphæi contriſtet lumina cæli.
An non ſat patior, rea nuper crimine primi
Facta ſati? Patior, quæ vix perferre valeret
Plaſma tuum, quamvìs ſaxo, ferróque rigeſcens.
An non permultam de noſtro robore partem
Corporeæ trado moli, cunctíſque benigna
Omniparens venio tellus? Ah deſinat, oro,
Ingratæ vitium mentis terrena propago
Reddere, & inſontem tabo conſpergere matrem.
Non equidem renuo proſcindi dente retuſi
Vomeris: haud fugio raſtris, marræque domari
Sævitie; ut fructum mortalis carpere poſſit
Natio, & omnigenum dabo non invita tributum:
Dummodo purpureis non porrò fæder ab undis.
Quin etiam irato librandas æthere flammas,
Nec non Hippotadis rabiem, crebróque ruentes
Nubibus effuſis imbres, densæque procellas
Grandinis, ac brumæ furias tolerare valebo;
Sed non humanum potero perferre cruorem
In Panos, Cereríſque domo. Si rore deinceps
Sanguineo madeam, mundo portenta profundam;
Quæ bellum indicant Superis, ac molibus altis
Aſtra petant, cælíque decus divellere tentent.
Quare age juſte DEUS, pollutam ſanguine terram
Vindica, & ultrices de tanto crimine pœnas

 Sume.

Sumere decernas. Si plures ſanguinis imbres
Combibero, præter tribulos, dumíque tyrannum,
Noxarum effundam, cælo indignante, vepretum.
Hæc, & plura, fluens lacrymarum flumine tellus.
Audiit Omnipotens juſtas quas mæſta querelas
Edidit, ac lacrymas humano ſanguine miſtas
Diluit in facie terræ, mandátque, rigoris
Ordine in ultrices conſurgant ſidera pœnas.
Et verò in dirum fertur Rhamnuſia cæli
Eviadis crimen. Meritis jam ſontica flagris
Pectora dilaniat, nunquam non verbere cædens,
Immittítque feros in perfida corda ceraſtes ;
Qui ſcelus abſumant, pérque omnia triſtia verſent :
Donec Avernales mergatur crimen in undas.
Interea Adamides terrenâ mole ſolutus,
Pœnarum expertes, flammáque piante carentes
Viſitat umbrarum ſedes, altáque potitur
Innocuus ſceleris requie ; dum Virgine fuſus
Alter Abel, ſuperas inſontem ducat ad oras.
Solam Virtutem deducit ad aſtra Theander.

ITA-

ITALUS MEDIOLANENSIS

Odij inveterati horridum exemplar.

ALti ſanguinis Italus, cum homine ejuſdem notæ diu admodum familiari, in diſſidium venit; quod paulatim gliſcens, in odium excrevit plùs quàm Vatinianum. Utque hoſtem modo non vulgari è medio tolleret, ſolidos decem annos æſtuantem in animo iram coquit. Differre cædem ſtatuit; ut à tempore exigeret uſuram crudelitatis. Cavet ſibi alter inſidiarum probè guarus. Cùm igitur vis manifeſta minùs è ſententia caderet, ad dolos ſe convertit vindictæ cupidus. Simulat redintegrationem amicitiæ; voce blandâ ſalutat, quem morti victimam dudum deſtinârat. Alter perſonatâ captus humanitate, compenſat eam pari officio; familiariùs ſe hoſti miſcet, offenſæ mentis æſtum jam extinctum ratus. Interim veteranus inſidiator, obſervatâ ſecreti ab arbitris loci opportunitate, nihil minùs opinantem, quem odio ſequitur, humi affligit, extrema ei minitans. Expallet ad hæc proſtratus, vi-

 déns-

dénsque funus præſentaneum, ad ultimas preces confugit. Gratiam vitæ ſe facturum pollicetur adverſarius, ſi DEO, Divis, ſacríſque omnibus nuntium remitteret. Uincit oppreſſum metus mortis, & amor vitæ. Gerit morem ſubſeſſori, omniáque ſacra deteſtatur. Hæc lætus accipiens conſcelcratiſſimus parricida; continuò ſicam in pectus jacentis imprimit, & inviſum caput transmittit ad cruciatus ſempiternos. *Joannes Bodinns in dæmonomania lib. 6. cap. 1.*

Bella canam, non quæ Geticis diffudit in arvis
Marspiter, aut fractæ ſenſerunt cornua Lunæ:
Nec quæ ſanguineo excivit Bellona flagello:
Vel quondam Æmathiis ſpectavit mundus in agris.
Bella cruenta canam, ſeu diras pectoris iras;
Quas inter claras, truculento funere, ſtirpes
Auſoniæ peperit tellus, ac orbe ſtupente
Edidit in lucem. Quò non ruit ultio cæca,
Quando imas rabido depaſcitur igne medullas?
O Nemeſis juſtis ardens in crimina flammis
Irarum, ac ſontes plectens, mihi verba miniſtra
Enthea, & ignivomos citò ſuffice, quæſo, furores;
Subde faces animo, lenémque in Mœnada Muſam
Indue; ut horrificum facinus depingere verſu,
Turbatámque licèt valeat percurrere nervo.
Oenotriis geminos claro de ſanguine terris
Indigenas cantare lubet. Si nomina poſcis:
Alter erit Thaſius nobis, altérque Philotis.
Hos, ùt amat fieri, parilis ſors fœdere ſancto
Junxit amicitiæ, fideíque tenaciter actæ
Mutua non uno tenuerunt vincula luſtro.

Corda

Corda duo, unum cor. Non ſuppar gratia fratres
Nexit Amyclæos. Pollucem, & Caſtora vincunt.
Non Agamemnoniis Atrides ignibus arſit
Par unquam. Pyladem non ſic deamavit Oreſtes,
Niſúſque Evryalo haud tali certavit amore.
Corda duo, unum cor; quæ nunquam Lemnius, ignis
Virtute, Æoliis confinxit Mulciber antris.
Verùm ô humanæ levis inconſtantia mentis,
Alternæque vices, quæ jam per munus achatis,
Pérque fidem Theseî; ſed jam per tela furoris,
Ac odii flammas mortalia pectora verſant.
Rarius eſt ſtudium diuturnæ pacis in orbe.
Hæc teigit celebres Latii alternatio cives.
Quos primùm fido virtus ſociavit amore;
Hos belli, ac odii nutrix diſcordia ſolvit.
Ergóne Romùleis etiam diſcurrit Enyo,
Tiſiphone comitante, plagis? Quid quærimus iſta?
Nuſquam non ſtygias effundit Erinnys habenas.
Fortè per Auſonias dea gaudens cædibus oras
Carpit iter, ſciſso feralis nympha capillo,
Sanguineis perfuſa vadis, tabóque fluente
Horrida; quam lambunt amplexi membra chelydri.
Italis ora timet monſtrum. Non fædius illo
Unquam Romuleum vidit, ſtupuítque theatrum.
Lumina conquaſſata tument, torvúmque tuentur;
Cêu jam vibrarent hoſtilia ſpicula: dentes
Exſerit iratos tetrâ ferrugine tinctos,
Concutiénſque putres crepitanti murmure malas
Infremit, ac vellet, cuî neſcio, figere morſum.
Ora, capútque tenent colubri ſtridentia rictu
Sibila mittentes, ac inter jurgia ſe ſe,
Atque deæ corpus fatali dente laceſſunt.
Cætera quid referam? Laniatis artubus hæret
Palla, per innumeros diffiſſum tegmen hiatus;
Quos egit ſævus, quo gaudet nympha, Gradivus.
Dextram armat ſemper minitantem flammea peſtis;

Quæ diſcordantes latè ſe ſpargit in ignes ;
Queìs animos faciat primùm Mavorte flagrare
Pectoris, ac demum committi in prælia dextras,
Funeſtáſque neces. Bella, horrida bella miniſtrat.
Atque hæc hoſtiles conjecit in ilia flammas,
Accendens geminos in linguæ bella Quirites,
Irato ſenſim gliſcentes pectore, donec
In vaſtos irarum ignes, odiíque furentes
Erupêre faces, animíque incendia, nullis
Reſtinguenda modis, nullóque labore domanda.
Haud facilè abſcedunt firmati corde furores.
Ac cêu Mulciberi rabies, dum regna capeſſit ;
Circumquaque furens damnoſa volumina jactat,
Atque avido ſemper majora in pabula labro
Irruit, aggeſtas ridens cum murmure lymphas,
Ac obices removens, celeri omnia ſubjicit iræ :
Haud secùs ultrices dum fervent pectore flammæ,
Pérque odia inteſtina ruunt, alimenta miniſtrat
Plura furor : nec ſe vindictæ attemperat æſtus ;
Donec in hoſtilem ſua mergat tela cruorem.
Hæc Thaſio mens fixa ſtetit. Nec plauſtra cavilli
Volvere in adverſas, cum linguæ verbere, partes
Lenimen cenſet. Non æquis faſcibus hoſtem,
Ac Themidos ſacris objectum ſiſtere crimen
Eſt animus, ſed nec legali ſubdere pœnæ.
Ipſe ſubire vices tortoris, plectere noxam
Ipſe ardet. Non jura fori, Prætoria nulla
Supplicium parile imponent. Non Sciro, Schiníſve,
Aut Diomedis equi, non quidquam dira Neronis
Sævities par ferre valet. Stat morte piare
Inſolitâ opprobrium. Vulgares non habet ira
Magna modos. Jugulo fatale immergere ferrum,
Exturbâre animam per funera mille, quid iſtud ?
Quid juvat infames hoſtili nomine quercus
Obruere ; aut laqueo vocis præcludere callem ;
Aut truncare caput ; vel adactis rumpere telis

Pecto-

Pectora, & inviſo dextram maculare cruore?
Communes etenim de tanto crimine pœnas
Sumere, vindiciis ſcelerato corde recuſis,
Pœna foret levior. Pereat cum corpore vita
Immortalis, ait. Structa eſt adamante voluntas:
Fœdifragam Cocyto animam, Ditíque ſacrare,
In Phlegetontea crucietur ſpiritus ora.
Hæc maleſvada tenet rabidam ſententia mentem.
Arbiter ipſe tori eſt. Hinc pectore mille furores
Excoquit; infernas citat in fera vota ſorores,
Ipſe vices fratris ſubiens. O congener orco
Bellua, quæ æternæ condicit bella ſaluti,
Ac Cælis arcere ſtudet. Sed nè qua notarent
Lumina præcipites iras, odiíque pateret
Clarus fortè typus: flagrante pectoris ignes
Arte premit vafrâ. Sævi quandoque furores
In tacitas abeunt, fucis velantibus, artes.
Interea atrocem nullo non tempore verſat
Buſiris conſum; quo immiti ſternere ferro
Æmulum, & in ſtygias detur transmittere ſedes.
Atque hos (ô crimen!) denis æſtatibus altos
Occulit irarum fluctus, furiæque procellas
Vafritie reprimit latebroſo corde vagantes:
Dum jubeat tempus rabidas erumpere Diras,
Vindictæque locus. Bis quinis Dorica luſtris
Agmina Dardanias impugnant fortiter arces;
Dum cadat Argolico Neptunia Troja Gradivo.
Per totidem meſſes hoſtilia fata revolvit
Oenotrius Sciron, violentis ſubditus iris:
Dum ſua in adverſum demittat tela cruorem.
Jam ſolùm furor eſt, & ſolùm funera ſpirat.
Quò ſcelerate ruis? Quid agis? Quod corde maligno
Sancitum recoquis? Quò tandem proruet œſtrum?
Eccur lethifero macias præcordia voto?
Et tamen immodicas tacito ſub pectore curas
Continuat, quærens dilato à tempore fœnus.

Nec latuêre ſtrophæ metuentem fata Philotin.
Nec ſat celari poterant, quin fortè viderent
Indice non uno lucem. Juvat indè cavere
Inſidias, vigiléſque iras, fraudíſque perîcla;
Quæ verſat Latius verſuto corde Phrynondas,
Aut fallax Ithaci genius. Non obvius ergo
Ire hoſti ſtatuit; ſtructas fugit undique technas,
Atque ſibi fidum cautus proſpectat aſylum.
Dum videt optatam bacchans veſania metam
Crebrò fruſtrari, tectáſque illudier artes:
Reprimit irarum flammas, converſus ad aſtum;
Quo valeat certo decretum ſiſtere portu.
O ſævum ingenium, Buſiride ſævius ipſo!
Exſuperat Phalarin, Lapithas, iráſque Gelonum,
Sauromatáſque, feróſque Getas, & quidquid utroque
Orbe tyrannis agit crudum, ferale, cruentum.
Utque exoptato procedant ordine vota;
Sævitiem ad tempus ponit. Sic fallitur hoſtis.
Unde Sinon Thaſius Charites in lumina ſpargit;
Exuit horreſcens cilium; Suadam admovet ori;
Fulgura verborum procul arcet; ridet amicè,
Compônénſque genas, blandè delinit achatem;
Quem ſpolium letho longævâ deſtinat irâ.
Haud ægre affingit ſibi vultum quemlibet aſtus.
Excubat in media placidiſſima gratia fronte;
At diro ultrices ſtabulantur corde furores;
Evmenidúmque trias. Jam tela acuuntur in hoſtem.
Effundit roſeum per dulcia baſia labrum;
Sed tigres furor intus alit, Cadmeáque nutrit
Agmina, quæ ſævum per funus Penthea ducant.
O ſuperi! quem non hæc oris ludat imago?
Quem perſonati non fallat larva Sinonis?
Ludimur ingenio fraudis. Vix ullus ab aſtu
Immunis tellure agitat. Deludimur omnes.
Hæc dum fortè videt fidei monumenta Philotis:
In plauſus agitur; per feſtiviſſima mentem

Gau-

Gaudia dilatat; poſitâ formidine, in hoſtis
Prorpit amplexus; repetito fœdere, munus
Præſtat Oreſteum. Nullum jam quippe ſubeſſe
Diſcrimen retur vitæ, fraudíſque perîcla.
Unde hoſti priſcâ ſe conſvetudine miſcet,
Officiíſque colit fidei, cêu Pythias alter,
Complexúque novo Damona obſtringit amori.
Hoc pariter Damon Latius, de jure vocandus
Dæmon, confictum præſentat munus amoris.
Ac ſic blanditiis captus, fucóque Philotis,
Haud metuens porrò technas, jam tecta, laréſque
Centauri malecautus adit. Quo tramite pergis
In tua fata miſer? Nè linguæ melle traharis.
Sæva aconita latent. Lethi fera pabula vites.
Nè fide illecebris. Jam vipera toxica ſpargit.
Siſyphus à tergo celerat, Nè crede Pelasgis
Artibus, atque ſtrophis. Notum eſt tibi ſátque, ſupérque
Dogma Sophi: tecto fraudes latitare favore,
Ac ſub amicitiæ celari fata colore.
Quare age declines ſurgentia fraudibus arma.
Irrita verba damus. Cæco ruit impete cæcus,
Atque incautus amor. Properantem funeris horam,
Indocilis flecti ſibi proximat ipſe Philotis.
Quippe inconſultè ſimulatum munus amici
Officio Patrocli ſequitur, temeréque reportat
Pignus amicitiæ; ſopitum pectoris æſtum
Jam penitùs reputans, iræque jacere favillas.
Unde hæret lateri, velut alter fidus Achates,
Fortunæque comes. Jam totam pectoris arcem,
Arcanáſque fores mentis malè tradit Oreſtes;
Cùm procul à Pyladis ſit munere perfidus hoſtis.
Ah ſatiùs Pardo credas, tigridíſque furori!
Nec verſuta deeſt in fraudes lingua Thyeſtis,
Ad technas Ithaci tranſit, variáque Sinonis
Arte trucidandum ludit. Perſæpe fidelem

A ſo-

A ſocio poſcit conſum, rebúſque futuris
Senſa rogat, fictúmque effundit pectus in aures;
Quò magis incautum meditatos pellat in aſtus,
Talia nempe ferunt fabricatæ pectore technæ.
Dum nec rima patet malefidæ mentis, & omnis
Suſpicio eſt deterſa mali; non ægide pectus
Præmunire lubet. Chalybis procul eſſe jubetur
Fulgur. Mittuntur galeæ, cedræque decorum
Ponitur ære rigéns, & ſquamis tegmen ahenis
Abjicitur: nec tela ſonant, nec perſtrepit ullus
Armorum ſonitus. Sunt alta ſilentia Martis.
Denique plùs nimio fallaci creditur hoſti.
Ah nè fide dolis! Cælo perſæpe ſereno
Tempeſtas infeſta latet. Ridentis ab alto
Sideris aſpectus, rugatas tranſit in iras,
Præcipitíque ſatas peſſumdat grandine fruges.
Nî monitis jam ſtare velis, fortíque cavere,
Dum mora tuta favet: glomerati ſanguinis imbres
In tua fata ruent, & tecta procella furoris
Obruet incautum, proprióque cruore natabis
Nominis opprobrio, quod ſæcula nulla tacebunt,
At rupi loquimur. Sequitur ſua fata Philotis.
Perge ergo, quò vota citant. Diſcrimen adibis
Corporis, ac unà veniet jactura ſalutis.
Jámque dies præſto eſt, quo ſæva libido nocendi
Votis mille petita venit; quo pectoris æſtum
Reſtinguat Thaſius, rabidámque attemperet iram.
Fortè Philotis adit rurſus fatale theatrum,
Quo jam fata ſedent, nullis inſtructus ab armis,
At ſolâ comitante fide, ſincera daturus
Munera amicitiæ. Prô! quæ jam ſcena paratur?
Vix verus Pylades hoſtilia limina tangit:
In diras agitur vetus inſidiator Erinnes,
Jámque animo ſancit, flammam ſub corde flagrantem
Sanguineis placare vadis. Sed tecta Sinonis
Fabrica in apricam necdum prorumpere lucem

Feſti-

Feſtinat. Solers priùs omnia digerit actus.
At quid agit fallax Thaſius? Per amica Philotin
Baſia, & ambroſiâ labris ſpirante ſalutat,
Officióque capit fraudis. Jam ducit in ædes
Appoſitâ technis dextrâ, cêu conſcia mentis
Abdita prompturus. Jam primâ ſigmatis alâ
Collocat, urbanóſque vafre perſolvit honores,
Ac miſcet varias, aulæ pro more, loquelas.
O ſævum ingenium ſub amici nomine fallens!
Dúmque videt ſtudio teſtis ſua tecta carere;
Lethiferas animat palmas, ſceleríque patrando
Omnia componens, fatalia corripit arma,
Et tali affatur Sciron ſermone Philotin.
Non equidem, ùt remur, memori tibi mente receſſit,
Effluxítque animo; quæ quondam plauſtra cavilli
Volveris in noſtram per linguæ jurgia famam.
Nónne effuſa tuo redeunt convicia cordi?
Ridet ad hæc alter, ludos ratus eſſe. Sed alter:
Non capiunt tanti nos ſera oblivia probri.
Dixit, & ardenti ſimilis, cêu Mœnas in hoſtem
Irruit, & pedibus mirâ ſe ſe implicat arte,
Ac ſubitò terræ reſupinos abjicit artus,
Perculſi novitate rei, rabiéque Philotis.
Non ſic accipiter plaudentes nube volucres
Perſequitur, tacitóque inſontes obruit actu:
Cêu clandeſtinâ Thaſius fraude occupat hoſtem,
Prodroma fata parans. Prô! ſæva cataſtaſis inſtat.
Attonitum reddit crudelis techna Philotin,
Ignarum, quid mente agitet, dextráque Procuſtes
Apparet Oenotrius. Sed cùm ſibi proxima cernit
Funera; terreri, pallere, horrere, rigere.
Nec vanâ trepidat quaſſum formidine pectus.
Quippe Schinis valido proſtratos inſilit artus
Poplite, defixóque genu ſuperincubat, ardens
Lumine, deſpumátque iras, frendétque furore.
Qualis per Libycas bacchatur ſævus arenas

Ore

Ore fremente leo, pérque abdita luſtra ferarum
Proruit, exacuens avidos in pabula rictus:
Talis dente fremens, furiali percitus œſtro,
Ore neces ſpirat Thaſius, lethúmque Philotis.
Sic oculis, vultúque minax, ſe comparat hoſtis
Funeri, ut optati carcheſia plena cruoris
Hauriat, atque ſuam Buſiris temperet iram.
Prô Superi! quis jam feralis luditur actus?
Quid video? O cæli! video (ó miſerabile viſu!)
Horrida fata parat. Sitientem ſanguinis enſem
Liberat induviis; ferro per inane rotato
Præſentem horrificâ minitatur voce ruinam,
Ingeminans mortem, mortem. Deìn talia fatur.
Tandem opportunum, tandem mihi vota tulêre
Vindiciis tempus. Dilatum hucuſque furorem
Prodere jura volunt plectentià crimen iniquum,
Atque jubent æquas de noxis ſumere pœnas.
Sannio vivis adhuc, vitaléſque aſpicis auras?
An meminiſſe libet, quæ probra, ac nominis umbras
Obtrectante palàm quondam effutiveris ore?
Hæcne tenes animo? Quid ais? Quæ verba reponis
Ludio? Nónne reum te tanti criminis eſſe
Verba retenta probant? Sed non impunis abibit
Libertas noxæ. Bis quinis ultio luſtris
Corde ſedet, veteréſque jubet jam temporis ordo
Conſopire faces, odiíque extinguere flammis.
Non patiar linguæ ſannas. Hoc crimen inultum
Non patiar. Proprio terges hæc probra cruore.
Emorere opprobrium mundi, fædúmque catharma
Emorere, & ſtygias peſtis mergare ſub undas.
Dixerat. At ſtratos gravior metus opprimit artus.
Exanguis pallor diſcurrit in ore Philotis:
Corda pavore rigent: gelidus de corpore manat
Sudor, & attonitum Libitinæ reddit imago.
Sícque impos mentis, quò ſe, vallatus ab hoſte
Conferat ignarus, quæ verba precantia fundat,

Quíd-

Quídve paret, dubio curarum fluctuat æſtu.
Dúmque videt mortem ante oculos, ad vota recurrit
Anxius, ac veniam rogitat, multóque precatu
Demulcet Thaſium, defigítque oſcula mille
Hoſtili dextræ. Sed non popyſmata linguæ
Indomitas frangunt iras; nec commodat aures
Tiſiphone precibus. Per vulnera mille peroſam
Exturbare animam ſatagit. Quid ad iſta Philotis?
Jam certus fati, trepidantia tollit in altum
Brachia; Caucaſeas gemebundâ voce medullas
Emollire ſtudet, pérque omnia ſacra precatur:
Præcipiti nè iræ laxas permittat habenas.
Sed rapidis dat verba Notis. Jam barbara cordi
Imminet enſe manus. Ferrum in præcordia merget.
Denique in haud dubiam librari tela ruinam
Vitæ, perculſus cernit, trepidúſque Philotis.
Unde, licèt gelido conſtrictus membra pavore:
Vincla magìs linguæ ſolvit, lacrymíſque perorat,
Attollénſque oculos lugubria lamentatur.
Et tandem ad Thaſium mellita hæc verba profatur.
O animæ pars magna meæ! Jam diluo verbi
Dedecus effuſis oculorum fontibus. O me
Reſpice plangentem! Scelus admiſiſſe probroſum
Non equidem inficior; ſed raptæ gloria famæ,
Si faveas vitam, reparari jure valebit.
Ah noſtræ miſerere domus, multíque nepotis;
Munere qui jugi Thaſios ornabit honoris,
Sanguinéque agnatos recolet, reddétque quod error,
Aut furor effrenis temero profudit ab ore.
Si non iſta movent, fatuum locuplete refundam
Ære nefas, totúſque tuo devinctus honori,
Me, mea cuncta ſacro. Si quæ miſeratio tangit,
Parce pias temerare manus; quêis baſia mille
Figimus, æternúmque tibi ſpondemus amorem,
Ac fidei nunquam violabile ſacramentum.
Accipit hæc Thaſius. Revocat ſua tela Phrynondas,
Devi-

Deviſtam ſimulans mentem, fraſtúmque furorem;
Certiùs ut ſtygias hoſtem transmittat ad oras,
Fiſtiſque affatur labris, ac talia reddit.
Hæc, equidem fateor, noſtram facundia mentem
In tua vota trahit. Vitam, Pyliiſque ſeneſtam
Indulgere lubet, ſi non deferre recuſas
Nobis, quæ petimus, ſociali jure tenenda.
Hic ſibi, cêu vitæ reddi, ſortíque Philotis,
Spéque bonâ fretus, vovet inviolabile pignus,
Omniáque, ut tantùm provivat, fœdera ſe ſe
Faſturum ſpondet. Quæ jam ſe ſcena revolvet?
Ergo age, ſubjungit Thaſius, ſi gratia vitæ
Te retinet: Numen, toti quod præſidet orbi,
Ut commenta ferunt Latii, ludiſque ſophorum,
Hoc, inquam, Numen jam deteſtare, negando:
Eſſe DEUM quemquam, totum qui temperet orbem,
Imperióque regat mentes, nutúque gubernet
Indigenas terræ. Figmenta hæc ejice corde.
Fabula ſit poſthac, quam rauco tuſſit ab ore
Romuleus Flamen; quæ peſtus ludat anile,
Ac vano rudium percellat corda timore.
Hæc nî continuò myſteria fiſta negâris;
Confeſtim ſtriſto rimabor viſcera ferro.
Mitte DEI pariter Matrem; quam ferre levamen
Deblaterat fatuus myſtes, Divíſque remitte
Nuntia; non ſacris poſthac adſcribe ſalutem
Signis; nec Fidei ſint ludicra dogmata curæ.
Sic tibi longævos ſpondemus Neſtoris annos.
O ſcelus æternâ Cocyti ſorte piandum!
O Phlegetonteas mergendum fœdus ad undas.
Quò te jam vertes curâ trepidante Philotis?
Ecquid agis? quæ verba refers hoc fulmine taſtus
Sacrilego? Dubiæ quæ ſtat ſententia menti?
Anne DEI Numen non ſit tibi charius ævo
Mortali? An Superûm ſpernes fortaſſe favores,
Æternámque paras Diti ſacrare ſalutem?

Ecquid

Ecquid ages? Animi quo ſiſtes carbaſa portu?
Hêi me! ſacrilegum manifeſto crimine fœdus
Pangit: amor vitæ ſuperat. Formido triumphat
Extorrem pietate animum? Jam nuntia mittit
Naturæ authori; jam pectore, & ore recedit
Numen: perjurus Fidei, Cœlóque rebellis,
Omnia Chriſtiadûm ſacra myſtica deteſtatur.
Prô ſcelus immenſum! Vah execrabile crimen!
Hoc peperêre nefas perituræ munera vitæ.
Crediderim averſo tantum ſpectâſſe piâclum
Lumine Titanos jubar, horrentéſque jugales
Eoas rurſus Phœbum revocâſſe ſub undas.
Sed quid ad hoc facinus Superi? Stupet ipſe Deûm Rex,
Attonitúmque hæret perculſum crimine cælum.
Cur non ſacrilegas irato fulmine noxas
Plectitis: aut ſaltèm terræ mandatis hiatu
Sorberi immenſum, tellure tremente piâclum?
At differt meritas Cæli clementia pœnas,
Penſatura illas ſtygiis, quas apparat, oris.
Poſtquam fœdifragum Superis videt eſſe Philotin
Æmulus; æternos hoſtem miſſurus ad ignes,
Accingit ſe ſe ſceleri. Dum quippe timere
Deſinit extremam, fatis cedentibus, horam,
Et ſibi deſpondet lumen vitale Philotis:
Lethum infert Thaſius, ſubitóque præoccupat aſtu,
Atque repentinum demittit in ilia ferrum
Perſcrutans latus, & capulo tenus imprimit enſem
Pectori; ut hoſtili detergat probra cruore.
Indè ait: emorere, ô ſtygio devota Tonanti
Victima, & ignivomis refer à me nuntia regnis:
Tandem vindiciis metam, finémque furori
Eſſe datum, ac Erebo nos ſátque, ſupérque litâſſe.
O ſcelus, aut ſi quid fert pejus crimine tellus!
At quid lethifero ſtratus mucrone Philotis?
Ecce volutatur ſpumanti ſanguine, terra
Palpitat, extremas miſer in conamina vires

Colligit, ac fatis certat. Sed nulla ſalutis
Spes reliqua affulget. Jam frigus membra pererrat,
Atropos invadit lumen, vultúque triumphat,
Omnia vicinant letho. Metanœa fugatur
Corde, animóque ſacrum fugit omne chariſma.
At tandem exangui fugiente è corpore vitâ,
Purpuream vomit orco animam, plaudentibus umbris.
Hoc ferale egit diuturnior ultio fatum.
O furor effrenis, nullo ſpectatus in ævo!
O crudele nefas! O deplorabile factum!
Quod Phalaris ſtupeat, Diomedes, atque Procuſtes,
Ac omnis ſtygio rabies excuſa camino.
Ergóne non ſatis eſt, ardentes corde furores
Sanguineo relevare lacu? Non ſufficit iræ,
Ætatis ſtamen funeſto abrumpere ferro;
Nî probrum æternâ (prô crimen!) morte pietur?
Sannam equidem tergis, cordiſque furore levaris;
Sed majora manent te quondam probra piâclo
Debita; quæ infamem reddent cælóque, ſolóque;
Quando tuum rigidâ prodet ſcelus Æacus urnâ.
Crimina nulla latent. Nec juſtas effugit atrox
Flagitium pœnas. Rhamnuſis plectit iniquos.
Interdum ſceleri connivent aſtra. Sed æquas
Tandem ſacrilego ſumunt de crimine pœnas.
Æterno Nemeſis penſat mala facta rigore.

DA-

Digitized by Google

DAVIDIS
Pœnitentia
Ab iniqua Uriæ internecione.

2. Reg. 11. & 12.

David ſceleri inchoato cum Uriæ conjuge, ſecuriùs deinceps indulturus, conſilium à crudelitate capit. Perſcribit literas Joabo Rabbatham tunc obſidenti; quibus demandat, Uriam acerrimo loco certaminis pro fronte conſtitui, deſtituíque à commilitonibus, quò in pœnam malè actorum intereat. Joabus imperata exequitur. Urias fortiſſimè dimicans, deſeritur, & cadit. David in delicti ſui contemptu pergit, oblitus Numinis, pudoris, famæ. Adeò non cæca tantùm, ſed ſurda, & vecors eſt libido. DEUS miſertus Davidis, Prophetam Nathan ad eum ſubmittit; qui ſceleris admiſſi fæditatem in conſpectu Regis ponat, pœnáſque denuntiet. Hic morem gerens Cælo, per ænigma geminorum civium, à fortunis diſparium, aggreditur Davidem, ſuperadditâ graviore parænesi; quæ lacrymas, & pœnitudinem elicit ex Principe. Accipit DEI benignitas contriti animi ſpecimen, pœnáſque crimini debitas attemperat.

IMpuram ſceleris labem, conchilia Regis
Fædè aſpergentem, Pimpleis caſta paveret
Heroo cantare metro: nî crimen iniquum,
Atque animi maculas, acri ſapone doloris
Tolleret,ac tepido lacrymarũ tingeret imbre.
Jeſſiades documenta dabit, per fáſque, nefáſque
Pravâ libertate ruens, fœdóque Diones
Immerſus barathro. Sed rurſum emerget in altum
Numinis auxilio, portúmque ſalutis adibit.
Hæc dum Mœonio ſatagit depromere verſu
Calliope, ab ſacro robur, nervóſque Poëta
Flagitat; ut puro percurrat barbita plectro.
Poſt domitas ferro gentes, ſtratúmque furorem
Hoſtium, & illuſtres, mundo applaudente, triumphos:
Poſt tot victrices laurôs, bellíque trophæa,
Inclytus Iſacides Paphiis ſuccumbere telis
Occipit, ac Cypriis palmam malè porrigit armis,
Opprobrio comitante Ducem, quod nulla tacendo
Sæcula tranſibunt unquam. Sic nempe ruinis
Vel juga ſumma patent hominum, lapſúmque minantur
Præcelſæ ſolii turres, Regúmque coloſſi.
Ut verò Idalium Jeſſeïa gloria probrum
Obvelet peplo fraudis, nè publica gentis
Lumina perſtringat: per crimina condere crimen
Nititur inceſtum. Tetris Cythereidos umbris
Obſitus, in varias cæco ruit impete noxas.
Unde Dionæis ſe poſthac tradere caſtris
Veſanus cupiens Princeps; obſtacula amoris
Atque omnes remoras tædarum auferre laborat,
Non citra ſævum crimen. Clàm cæde cruentâ
Uria diſpereat, trabeatus ſancit Apella.
Et verò innocuum ſubleſtâ perdidit arte
Thariadûm Rector, technam comitante ruinâ.
Fortè Ammonitem ferro, flammáque premebat
Imperio ſolii Joab, vicóſque, domóſque
Obruit armorum funeſto turbine, & urbem

De

De Rabath dictam ſtrictâ obſidione coronat:
Quò belli infauſtam ſegetem radicibus imis
Vellat, & Odryſias Martem depellat ad oras
Pacis amans Princeps. At non pax corde triumphat.
Bella ſtrepunt animo; quêis Uria Martis alumnus
Occidet in fraudis circo. Prô fœda Regentûm
Gloria, quæ ſolii partitur ſceptra Phrynondæ!
Hic regit Abramium cum Cypridos arte Monarcham.
Sed quid agit Princeps? Crudeles fortè tabellas
Exarat, atque Ithaci graphio non verba ſalutis
Exprimit; at ceræ conſignat nuntia fati,
Talia damnoſo deducens pollice verba;
Quêis fido obſtringat ſubjectum munere Joab.
Quæ tibi de noſtro venit internuntia Conſu
Litera; juratæ fidei argumenta repoſcit,
Penſanda affectu ſolii, magníque tributo
Nominis, ac æris. Te par eſt Principis æqua
Servum juſſa ſequi, quæ præſens pagina mandat.
Hæc ſequere effectu. Cùm primùm Martis arena
Poſcet in adverſas ſua mittere tela phalanges:
Uriam adaptari plenâ diſcriminis alâ
Præcipit Iſacidûm Rector, bellíque moneri
Aſſeclam: ut armorum medio certamine, ſolum
Hoſtili extradat ferro. Sic jure peremptus,
Commeritas pendet magno pro crimine pœnas.
Hæc tibi, cêu notæ fidei, devinctus amore
Jeſſiadûm Princeps David.
Atque hanc Hetthæum properis deferre tabellam
Demandat ciſiis, quaſi belli grande foveret
Molimen gremio, partúmque datura ſtupendum
Litera miſſa foret. Nec ſegnis vota Monarchæ
Uria proſequitur. Jam quadrupetante per arva
Ire, volare gradu, facturus juſſa fideli
Munere, próque ſuo ruiturus in arma Regente,
Ignarus, quò fata ferant, aſtúſque maligni
Principis Abramidûm. Fidus putat omnia fida.

Bellerophontæi fuit olim fabula ſcripti,
Portantis fatum latoris, & horrida mortis
Nuntia: jam citra commentum funera defert
Ipſe ſibi Hethæus, maleſani victima amoris.
Legit ùt auguſtam ſubtorvo lumine dextram
Joab: per varios verſat ſua pectora fluctus;
Sed citra indicium vultu, geſtúque probari
Haud rarò ſolitum. Tacitâ jam mente ſtupeſcit:
Ad pœnas alias pigrum, nullóque furori
Subjectum Regis genium, per juſſa tyranni,
Irarúmque rapi flammas. Jam corde revolvit,
Excelſæ Martis virtuti fata parari
Ultima, & immeritis fortaſſe accedere pœnis.
At cùm ſic tacitis jubeant commiſſa tabellis
Imperia, & ſolii decreta faceſſere ſervi
Obſtringat ratio: ſancitam mortis arenam,
Quamvìs invitus molitur in acta referre.
Servum etenim ſervire decet, dum crimen apertum
Non patet, ac fidam Regnanti pôrgere dextram.
Vix ſe Memnonium tulit alter Phœbus in ortum:
En videt armorum gnarus, fraudúmque Gradivi
Conſcius, adverſas in bella reſurgere turmas,
Et clypeata virûm vaſtis denſarier arvis
Agmina, in Iſacidûm ruitura fero impete caſtra.
His, ut Thariaco generoſior obviet auſu:
Illico ſigna citat lituis, atque ære canoro
Agglomerat Martis ſegetem, ſiſtíque manîplos
Æquore camporum, ſolitóque ad bella reducit
Ordine, in hoſtiles moturus tela cohortes,
Ut ratio belli poſcit. Cuî prima Gradivi
Cura datur, cautum priùs urget in omnia lumen.
Poſtquam jam campo Martis videt agmen aperto:
Circumfert vigiles oculos pro munere Joab,
Obſervaturus ſolers, quà maximus imber
Ingruat armorum, quámque Ammonita furor is
Turbine, belligeram primo marte obruet alam.

Dum

Dum videt in lævum feralia tela Gradivi
Inclinare latus, jámque hoſtica ſigna moveri:
Protinus Hetthæum, Joab Mavortis honoro
Nomine compellat, geſtúque, oculíſque furores
Spirantem Odryſios, cuneóſque invadere Martis
Præcipit, heroíque notam præbere vigoris.
Nec mora: in hoſtiles ſe ferre, volare phalanges
Urias impavidus. Jam Judæ ſigna præire,
Atque acies rabie chalybis perrumpere, ſtrages,
Edere, & ingentem Martis ſuccindere meſſem.
Strenua bella gerit, perculſúmque attonat hoſtem.
Non ſic Æacides Danaum fortiſſimus, arma
Dardanidûm inſequitur. Non ſic Telamonius heros,
Atridéſque furit vaſtâ Mavortis arenâ:
Cêu ruit intrepidis Chananææ gloria telis
In cuneos hoſtis. Nec ſe, ſed Regis honorem
Duntaxat quærit, ſolióque adferre quietem,
Non ſua, ſed regni verus Dux commoda ſpectat.
Interea ſociam, dum fervent prælia, dextram
Imperio revocat Joab, ſolúmque relinquit
Martis in orcheſtra Martem, tradítque furori
Hoſtis, & Hetthæum certis occumbere fatis
Optat; ut Iſacio ſua ſtet ſententia ſceptro.
Et verò heroum robur Mavortis ad aram
Occidit: aut ſatiùs Cythereæ fæda recumbit
Hoſtia; quæ ſævis inſontem tradidit armis.
Elyſias equidem Mavors deſcendit ad oras,
Innocuos portans manes; at mittet Averno
Æacus ultrices in regia crimina Diras,
Aut potiùs Cælum. Noxas Rhamnuſia plectit.
Quid quod jam Nemeſis ſuperâ demittitur arce;
Quæ meritas ſumat de fuſo ſanguine pœnas.
Sed jam fama volat patratæ nuntia cædis,
Non luctum allatura throno, juſtámque doloris
Materiem, at multis quæſita, optatáque votis
Gaudia Regnanti. Magnum fert fama minerval.

Nè tamen in patulam procedant jubila lucem:
Mœrentem vultu, fucatâ fraude, colorem
Ducit Jeſsides. Simulatâ voce doloris
Munera teſtatur, frontémque in nubila triſtis
Contrahit, ac gemitus ficto de pectore trudit:
Cùm tamen interea ſe toto corde volupta
Explicet, atque animum mirâ dulcedine paſcat,
Penſatura favos mellis per fella doloris.
Sic quoque lena ſui deplorat fata mariti.
Indice fallaci. Lacrymarum prolicit imbres
Aſſumens oculis Niobem, fingítque dolore
Penelopem, ducens alto ſuſpiria corde,
Iphiademque vafre ſimulat. Quin nocte, diéque
Erudit in luctum malas, optátque, vovétque
Jugiter, Hetthæâ pariter tumularier urnâ,
Atque animam miſcere animæ conſortis eodem
Funere, & immenſum Phryne mentitur amorem.
Sæpius in vafras conſurgit fæmina technas.
Ut verò aſſiduo Roſimunda immunda dolore
Thariadùm imponat genti; lugubria ſumit
Tegmina, & atratam cum pullo ſyrmate pallam
Induit; ut luctus everrat perfida Procris.
Verùm amor haud patiens funeſtum ferre colorem
Longiùs, atque diu verſare infeſta doloris
Spicula: funereum ponit Pyrrha impia cultum,
Ac croceo inceſtum circumdat corpus amictu.
Indè ſtolam aſſumit, quam pronuba Juno paravit,
Atque aptavit Hymen: jam ſe ornat murice, nec non
Flammeo, & externis nivea illinit ora venenis,
Depingítque genas ſtibio, ſpumáque rubentis
Purpurat in ſpeciem nitri, decus omne Diones
Aſpergens malis, nulli ceſſura dearum.
Vertice turrita eſt Cybele, fulvúmque comarum
Aurum diſpeſcit cyrrhi ſtatione; theatrum
Cypridos, aut ſatiùs laqueos expandit amanti.
At nè quid deſit, quod formæ dote triumphat,

Conſulit haud rarò ſpeculare oraculum, & omnem
Inſumit mundum muliebrem Laodamia
Saraidùm, ut captum devinciat ampliùs Hebri
Principem, & auguſtos ſibi Phaſias aptet amores.
Et verò Iſacium ſibi terrea Juno Tonantem
Obligat, in vetitos flagrantem turpiter ignes.
Non ſic Hippomenes ſequitur Schœneïda flammis
Percitus Idaliæ. Non ſic Ledæa placebat
Tyndaris Idæo juveni. Non Lesbia vatem
Aut Neſſum Oetolis, nec ſic Briſeïs Achillem
Vinculat: ut teneros hæc Deidamia favores
Occupat, & Paphiis ſuccendit pectora tædis.
Ergo ſibi ſolio per ſacra jugalia nectit
Fœdere Saraidûm Glyceren, meliore Corinna
Dignus Jeſsîdes; ſi lampada pronuba virtus,
Ac divinus Hymen genialia jura tuliſſet.
Si dotem quæris, quam Regis fortè thalaſſus
Obtulit: eſt uteri vitium. Si quæris in arrham:
Conjugis eſſe puta funus crudele prioris.
Ac ſic conveſcens ſceleri ſcelus, atque jugali
Devinctum nexu, bis quinis menſibus inter
Illecebras agitur. Jam (Muſa dolore labaſcit)
Effluit ex animo Numen, muréxque pudoris
Exulat à vultu, tantáque è mente recedit
Virtutis pretium. Non unâ quippe morantur
Sede malum ſceleris, nec non Virtutis amores.
Nec jam fama animum, nec honoris corda ſubire
Cura thronum Judæ. Fædo provivitur aulâ
Idalis arbitrio, Paphióque litatur alumno.
Sic nempe haud ſolùm viduatur cæca Diones
Lumine, verùm etiam famam, legéſque Tonantis
Abjicit, atque ſuis malè ſubjicit omnia votis.
Hanc ego. Sed motas jubeor compeſcere diras;
Nè ſe fortaſſis Permeſſidos unda mephiti
Inquinet, ac fædâ Cythereis labe notetur.
Dum vacat effreni Princeps Amathuntis amori:

Interea Cœlum clemens miſeratio tangit;
Nè veteris fœnus meriti vaneſcat in auras,
Diſpereátque decus Virtutis ſæpe probatum
Numini, & infernis David cadat hoſtia ſceptris.
Quare ad præteritæ probitatis caſtra laborat
Immemorem revocare Ducem, Cœlóque, ſibíque
Reddere propitium Numen. Clementia nempe
Ætheris eſt major, quàm ſint delicta Regentûm,
Ergo fatidicum decernit mittere vatem
Ad Judæ ſolium; qui magni criminis auſum
Jeſsidi ante oculos ponat, juſtóque timoris
Fulmine percellat. Pœnarum quippe timores
Multos ad recti callem, Cælíque reducunt.
Fortè DEI interpres Nathan, myſtéſque ſacrorum
Indulget placidæ, naturæ lege, quieti,
Atque ſoporatos Morphêus ignavior artus
Occupat, & riguum ſpargit per membra papaver.
Hic juſſu Cæli, non vanas mente figuras
Noctícolore manu pingit; quêis phaſmate Vatis
Has veri effingit ſpecies, ſimulacráque verbi.
Eja age, continuò regales viſe penates,
Ac fædam ſcelerum faciem, quam præſcia cernent
Lumina, per claros ſolio depinge colores,
Nominéque irati Cæli hæc fatalia ſceptro
Nuntia confeſtim defer. Ní Rector Idumes
Noxarum ſordes lacrymarum diluat imbre:
Protinus horrendas excudi ſidere pœnas.
Vix à temporibus Vatis removere papaver
Morphêus, ac tacitis ſe noctis Dædalus umbris
Condere juſſus erat: detergere pollice ſomnum
Attonitus viſis Nathan; portenta ſtupere
Noctis, & excuſſo penitus de mente ſopore,
Perlegere expreſſas in claro phaſmate formas.
Nec dubiis undat curis, Cælum eſſe locutum
Talia, non rarò, per amica ſilentia Lunæ,
Expertus Superûm monitus, veríque Tonantis

Juſſa

Juſſa ſacer Vates. Mandata capeſſere Cæli
Illico decernit. Nam impunè reſiſtere nunquam
Decretis Superûm fas eſt. Parere ſtat aſtris.
Nec mora: ad auguſtas ſe plenus Numine ſedes
Ætheris imperio defert, laturus ab alto
Nuntia; queîs ſcelerum trabeatos corrigat auſus,
Ac jam ſancitas irato ab ſidere pœnas
Dictet; ut in juſtos accendat corda dolores
Principis inceſti. Fungetur munere Nathan.
Nè verò abreptum flagranti Cypridos igne
Principem, in ardentes verborum fulmine diras
Excitet, atque animum mollem fortaſſis acerbet
Sæviùs: in placidum ſe ſe componere vultum
Interpres Divûm. Stat lene parare malagma
Vulneri, ab Idaliis concepto pectore telis.
Sæpe Machaoniâ clarus magè proficit arte,
Molli, ceu uſus docuit, virtute medendi,
Quàm ſævo ferri, flammæque rigore Melampi
Sævities, non tam ſanans, quàm vulnus acerbans.
Quare nè crudo medicatu putida tractet
Ulcera divinus Chiron: per fraudis obarmat
Inſtrumenta animum. Quid agit? Mellita Suädæ
Dona labris aptat; licitis ſe ſe aſtibus infert,
Atque per ambages ſcelerata ferire Monarchæ
Pectora, & obliquè maleſanam tollere plagam
Conſtituit melior Pœon, animíque Machaon.
Ut verò auguſtum, pro libertate, tribunal
Attigit, in tales effundit pectora voces.
Iſacidûm Princeps, cui jugiter aſſidet æqui,
Ac Conſi ratio, paucis tua ſenſa requiro:
Quò veri pateant leges, ac notio juſtæ
Accedat Themidos. Lis verò talis in altam
Regnantis trutinam cadit æquo jure libranda.
Hac mundo celebri geminus provivit in urbe
Civis, fortunis diſpar, ac divite cenſu
Longè diſſimilis, quantum Lucullus ab Iro

Fortè,

Fortè, aut Pygmalion Codro diſtare putatur.
Alter lanigerum felicibus agmina campis
Innumeris paſcit numeris, armentáque ducit
Bucera, & ingentem captat de jugere cenſum.
Alter ad exilem fatis damnatus agellum,
Unam duntaxat tenet inter tecta bidentem;
Quam propriâ cibat ipſe manu, gremióque benignè
Confovet, atque omnes in paupere vellere gazas
Collocat infelix Biton. Eſt cetera Codrus
Nudus opum, loculis vacuus, Crœsíque cavillus.
Forſitan ad ditem peregrinis viſit ab oris
Hoſpes, pro veteri jam dudum cognitus uſu.
Illum, quò urbano civis ditiſſimus agri
Officio acciperet, ceu munus poſcit amicum:
Unam Telemacho crudelis Cinna bidentem
Per ſervos abigit; jugulari præcipit, atque
Inferri lautis obſonia congrua cœnis.
Jam ſolium appello, Themidóſque tribunal ab æqui
Ordine vulgatum mundo: quêis crimen iniquum
Debeat extradi pœnis? Quâ morte piandum?
Vix ea fatus erat Vates, cùm protinus æquus
Thariadûm Princeps juſtas conſurgit in iras,
Ac deteſtatur facinus raptoris iniqui,
Atque reum damnat capitis, quadruplúmque referre
Præcipit è trutina juris. Nec ſegne tribunal
Principis, emeritas jubet illico ſolvere pœnas.
Hoc ubi non dubium Vates ſacer auribus hauſto
Arbitrium: extemplò divino percitus œſtro,
Hæc in Jeſsîdem verborum fulmina mittit.
Tu, tu, inquit, Princeps es ſonticus ille virorum.
Tu dives raptor, pecudis jugulator iniquus.
Tu ſævæ reus es mortis, meritúſque tuopte
Judicio, rigidas pro noxa pendere pœnas.
Jam (ſic aſtra jubent) verborum ænigmata ceſſent.
Te video civem, cui copia divite cornu
Immenſas effundit opes; cuî mille coloni

Arva

Arva ſecant, ac mille boves, totidémque bidentes
Funduntur latè campis, omníque bonorum
Affluis uberie Princeps. Sed civis egenus
Uria erat gazis orbus; cuí tota ſupellex,
Unica duntaxat balans devincta jugali
Fœdere, & in caſtas obſervantiſſima tædas.
At qui longinquis advenerat hoſpes ab oris,
Officio ſolii cultus; protruſus Averno
Idalius fuit ille puer, præcordia fœdis
Ignibus accendens, flammáſque per ilia ſpargens,
In vetitum alterius thalami conſortis amorem.
Huíc malè geſſiſti morem. Quid? túne ſupremi
Numinis oblitus? Vah! quò te Cypridos ardor?
O ſcelus ingratum! Veteris num gratia facti
Excidit, ac tanti cœpêre oblivia doni?*
An non à petaſo, te Cælum ad nobile gemmis
Evexit diadema Ducem, regníque creavit
Iſacidûm caput excelſum? Quid nónne gregale,
Atque agreſte pedum, virgâ mutavit eburnâ,
Ac juſſit ſolium miſſis conſcendere campis?
Quis te tantarum exemit diſcrimine rerum?
Ecquis tot cædes, tótque hoſtica tela fugavit,
Vitæque inſidiis ſubduxit? Fare, quis ille?
Quis Judæ regna, & cultas Chananitidos oras
Tradidit, ac omnem ſubjecit faſcibus Hebri
Abramidûm gentem? Quis claram duxit in aulam?
Quis? niſi Thariadûm Numen, tibi mite, benignum,
Sempérque effuſum donis, & plura paratum
Fundere, ſi legis divinæ ferre lupatos,
Atque pati ſuperas voluiſſes Rector habenas.
Et tu (prô cæli! quæ te vecordia cœpit?)
Et tu (vah atrox, horrendum, immane piâclum!)
Non ſolùm innocuum violâſti leno cubile
Proximi; at inſonti Chananæus Sulla cruore
Fædâſti ſolium, non unâ labe notatus,
Haud dignus ſceptro Princeps. Sed vindicis ira
Numi-

Numinis, atque ultrix juſtas Rhamnuſia pœnas
Exiget, ac parili plectet tua crimina fato.
Oppreſſiſti aliam tantorum mole malorum
Pravâ lege domum: ſurgent de Principis æde
Atque tuâ de ſtirpe ſati; qui regia multis
Involvent delicta malis, & pluribus unam
Cædibus exſolvent cædem. Tu crimen opaco
Noctis texiſti velo, caligine mentis
Obrutus, atque oculis captus: jam crimen apricam
Proruet in lucem, totúmque excurret in orbem
Garrula fama, tuum mundo ſparſura piâclum.
Tu diſtrinxiſti dextris immitibus enſem
Ammonitarum; qui te mandante, fidelem
Hetthæum infernas truculentè miſit ad oras;
Cùm tu crudeli tranſmitti ad Tartara ferro,
Ac pro flagitiis meruiſſes ponere mille
Vitas, tot ſcelerum, cêu nôſti, ſonticus author.
Jam divina manus tingendum cædibus enſem
Exerit, atque domum David vaſtabit, & omne
Jeſſiades de ſtirpe decus diſtricta ſequentur
Fulmina mucronis. Scelus hoc regale piabit,
Qui ſe Davidico profuſum ſanguine gaudet.
Sic quandoque ſolent unius fata rependi
Per plures etiam Regum, ſoliíque ruinas.
Unam extinxiſti crudeli funere Judæ
Gloriam: in opprobrium totius originis ibit
Hetthæi cædes. Ultrix jam pœna per omnem
Serpet progeniem, decimóque infeſta nepoti
Ultio, eò rigidam ſumet de crimine pœnam;
Dum tota in nihilum Jeſſeïa propago fatiſcat.
Hæc ubi, ſepoſitâ ſceptri formidine, Vates
Edidit; uſque adeò feriit præcordia Regis
Fulgure verborum, tantóque dolore peruſſit,
Ac necis adſcitæ confudit corda pudore;
Ut ſe ſe ingenui diffuderit ore ruboris
Ignis, commiſſæ teſtis clariſſima noxæ.

Jám-

Jámque etiam crebros ſingultus ducit ab imo
Pectore, & irriguus lacrymis in plena doloris
Verba fluit. Nec enim potis eſt frenare procellas
Corde tumeſcentes. Unde hæc gemebunda profatur,
Peccavi Domino! Peccavi. Perbreve verbum
Peccavi eſt equidem; ſed acerbi lemma doloris,
Demiſsíque animi ſpecimen, de mente profuſum
Integra, adumbratas haud celans pectore technas.
At veluti Libycis rugitus edit arenis
Percuſſus jaculo princeps, terrórque ferarum:
Non aliter telis verborum ſaucius Hebri
Rector, in effuſas Metanœæ pectus habenas
Laxat, & irrugit gemitu. Vox iſta Tonantis
Continuò penetrale ſubit. Nîl atria Cæli,
Atque fores citiùs Virtute dolente ſubintrat.
Nec dolor, ac planctus per deteſtabile crimen
Volvitur: aut maculam penſat, quæ nomen honorum
Principis inceſtat. Non vulgi infamia terrent
Murmura, in auguſtam ſe ſe ſpargentia famam.
Nec delibrandæ abs irato ſidere pœnæ,
In lacrymas, queſtúſque citant, veríque doloris
Argumenta trahunt; ſed læſi jura benigni
Numinis, à cujus divino fonte bonorum
Flumina dimanant, quíque omnem, jure Creantis,
Vendicat à proprio ſibi plaſmate ſemper amorem.
Hoc Numen ſpretum, tantóque à crimine læſum,
Excit duntaxat juſtos de corde dolores
Principis, ac meritos citat alto pectore planctus.
Nullo hìc, quod ſtupeas, prætexit nomine culpam.
Nec ſolio plùs, quàm vulgo fortaſſe licere
Aſſerit; ut Regum maleſvada licentia cenſet;
At caſtigantes monitus, & acerba Magiſtri
Verbera dictorum, pacato corde Monarcha
Accipit, atque cupit juſtas dependere pœnas.
Peccavi Domino, exclamat. Sed cætera mente
Exprimit, ac tacitus ſecum permulta volutat;

Quæ

Quæ nequeunt oris ſupreſſa dolore profari
Verba, per immenſos diffuſa in pectore luctus.
Audiit hæc Cælum, quod pronam jugiter aurem
Advertit mentis foribus, cordíſque gementis,
Ac contriti animi fremitus, dulcedine mirâ
Nunquam non recipit. Quid quod ſint fortia Cælis
Arma, ſalutares, Metanœâ inſtante, dolores.
Et verò in veniam ſuperum inflexêre Tonantem.
Quippe à propitiis miſeratio protinus aſtris
Deſcenſum facit, & teneris complectitur ulnis,
Atque fovet gremio Regis luſtrata dolore
Pectora, & inceſtos detergit molliter auſus.
Hic eſt nempe DEI, Cæliſque benignior uſus.
Vix reus agnoſcit culpam; cùm Judicis urna
Ætherei indulget veniam, ſcelerúmque reatus
Eradit penitùs. Divinum quippe tribunal
Auſcultat cordis gemitus, non verba diſertis
Effuſa eloquiis vitali caſſa dolore.
Nec ruit in ſævos Cælorum Aſtrea rigores;
Quando in patronam veniunt ſuſpiria vocem,
Pertractátque ſuam dolor, ac pia lacryma cauſam.
Sic ad ſideream Rector Chananæidos urnam
Cauſæ momentum peragit, flectítque ſtateram
Ætheris irati. Magna eſt clementia Cæli.
Cònſcivit crimen, quod amat proclivior uſus
Principum, at ingemuit ſceleri, lacrymáque fideli
Inceſtum terſit facinus; quod ſumma poteſtas
Quidlibet audendi, nunquam, vel rariùs edit.
O utinam pariles veniant poſt crimina Reges
Jeſſiadi, veniam noxis, certámque ſalutis
A miti Cælo meriturî æqualiter arrham.
Necdum finierat tacitos ſibi reddita virtus
Iſacidis planctus: cùm Vates Numine plenus
Ad lacrymas ſolii converſus, talia fari.
Cùm te patrati ſubeat Metanœa piâcli,
Ac verus dolor ima urat præcordia: ſummus

Arbiter iratum ſuſpendit fulmen, & omne
Delicti genus infandum poſt terga reponit,
Concedítque malo veniam, vitæque reducit
Gratiam, & in longam tua ducet ſtamina vitam.
Æternam fueras pœnam Phlegetonte daturus
Commenſuratam ſceleri; nî parcior iræ
Æther, in pretium contriti ritè Monarchæ
Æternas aliis mutâſſet tempore pœnis.
Jam Regis jugulo diſtrictum fulmen ab hoſtis
Ferro impendebat, ſurrecturúmque rebelle
Agmen erat, quod te vitâ exturbare Tonantis
Debuit imperio. Siccâ te Numen obire
Morte jubet, placidíſque tuos concedere fatis
Manes, non ullo fœdandos ſanguinis imbre.
Quod reliquas clades, quæ têque, tuóſque manebant
Attinet: indulgens facilis miſeratio Cæli
Temperat; aſt aliis plectet tua crimina pœnis.
Nam licèt æqua Themis Superûm inclinata doloris
Pondere, conſcitis veniam concedere noxis
Haud invita velit; pœnæ tamen illa reatum
Ex animo nunquam delet. Sic alta Tonantis
Jura in perpetuo nunquam non robore durant.
Atque ubi pœnarum ſeriem recto ordine Vates
Prodidit; auguſtas Chananæi Principis ædes
Deſerit, atque locum Virtuti extradit aruſpex
Ætheris, Iſacidémque ſibi, votíſque relinquit.
Hic nova enimverò Metanœæ cura ſubire
Principem, & irriguis lacrymarum currere rivis
Lumina, lamentíſque ſuum penetrale ferire,
Atque lares Regum mæſtis complere querelis.
Jámque inter planctus vigiles deducere noctes,
Atque oculos, laſſúmque animum fraudare quiete,
Aſſiduúmque ſibi pro noxa indicere bellum
Pervigil in pœnas Princeps. Hinc ſævior æquo,
Artubus exeſis macie, ventríque negare
Regales de more dapes; jejunia ſolo

Paſcere Jeſsîdes lacrymarum rore, ſuâſque
Attenuare fibras duro, nimióque rigore.
Si tamen interdum (vetito nè jure ſupremum
Fortè ſibi accerſat fatum, legémque Tonantis
Involet) urgentem eſuriem placare jubetur :
Conſpergit cineres dapibus ; carcheſia fletu
Temperat ; appoſitas commiſcet luctibus eſcas,
Salſóſque effundit triſti de lumine fontes ;
Quêis ſolùm Virtus ſe ſe contrita fovere
Aſſolet, & labes delet. Jam rurſus amico
Virtutem Iſacidûm Princeps ſibi fœdere jungit.
O ſi hoc in ſpeculum lacrymarum multa Regentûm
Crimina demittant lumen ; qui mille rigandi
Inveniunt cauſas hoc ſalſo flumine malas.
Rarior à noxa vel guttam lumine mittit,
Quâ ſordes animi tollat, ſcelerúmque mephitim,
Hócque ſalutifero perſânet vulnera ſucco.
Nemo, quantumvis regali murice fulgens,
Hoc ſinè, ſtellatâ radiabit clarus in æra.
Ergo qui ſuperis rutilare ſerenior optas
Sedibus ; Iſacidem lacrymis delicta piantem
Sectari lubeat, parilíque dolore reatum
Criminis, & pravas confeſtim dilue noxas.
Nec reputa abſumptam, ſupereſt dum vita, ſalutem.
Quippe viatoris ſortem, pro munere vitæ
Conſequitur meritum. Cêu ducit quemque voluntas
Propria, & arbitrium : ſic Cæli deſtinat ordo
Aut pretium, aut pœnas. Vero luſtrata dolore
Crimina diſſimulant Superi, mentémque coronant ;
Quæ ſe Virtuti renovatis moribus aptat.
Nemo cadit, qui non rurſum conſurgere poſſit,
Quem ſcelus oppreſſit, Metanœa extollit in altum.

SI-

SIGISMUNDUS
Burgundiæ Rex à parricidio filii pœnitens.

SIGISMUNDUS ducta Theodorici Longobardorum Regis filiâ, Sigericum ex ea ſuſcepit. Quâ è vivis excedente, aliam de gynæceo, conditione generis haud parem in thalamum admittit. Ejus animum ſupra fortunam faſtoſum indignè ferens Sigericus, dicaciùs fortè quàm decebat, conviciis ſemel atque iterum eſt inſectatus. Mulier impotens animi, novercalem vindictam coquit. Prima ad tollendum è medio privignum machina, affectati regni calumnia, & inſidiæ Patri, ac diademati collocatæ. Sed lentior fides adhibita delationi novercæ. Quare criminatione non exauditâ, ad notas fœminarum artes confugit; quibus molliorem animum mariti ità expugnat; ut filio primo juventutis flore vernanti, vitam laqueo eripuerit. Perpetrato ſcelere, ſera Patrem ſubit pœnitudo, audiente Cælo preces ſupplicis. *Baronius ad annum 526.*

SÆva novercalis plùs quàm monimenta furoris;
Ac patulas odii flammas, quas Colkhide creta

Phaſias, aut Phædræ rabies vix edere poſſet,
Immanéſque Patris furias (ſi nomina Patris
Degener ira meret) fuſúmque Lycaone Patrem
In dilecta ſibi truculentum viſcera nati,
Caſtalis uda canit lacrymis. At crimen iniquum
Purpureum luxiſſe Patrem, mœſtóque rigâſſe
Imbre oculi facinus, fluido depromere verſu
Calliope celera, manans Aganippidos undâ.
At tu, qui ductus Metanœâ, ſanguine penſas
Progenitor cædem ſobolis, proprióque cruoris
Flumine ſidereas tranâſti Martyr ad oras;
Da Muſæ, facili decurrant carmina rivo.
Burgundionum clarâ de ſtirpe creati
Quos de Tevtonico poſtrema Boruſſia tractu,
Ad Rhodani miſit flumen (velut acta vetuſtæ
Ætatis perhibent) duntaxat quinque ſupremos
Imperii faſces rexêre. Hos inter, eburnâ
Sede Sigiſmundus, prognata Thuiſtone magno
Gloria, jura dedit, Sigerico proxima nato
Regni ſceptra parans; quem vaſtæ ſemina mentis,
Ac ſpes ſolliciti genitoris in ampla refingens
Munera Regnantis, patriis inſignibus aptant.
Verùm alia æternus Cælorum deſtinat ordo.
Fortè Sigiſmundo nexu ſociata jugali
Longobardorum clarâ de ſtirpe marita
Occubuit letho, fatali lege ſororum
In trabeas etiam Regum, quos funebris urna
Par Iro remanet. Sublatæ ſceptra capeſſit
Paſiphaeïa nurus, genere, ac virtutibus impar
Principis, ambitione tumens, & turgida faſtu
Æolis, à regni ventoſus nomine follis.
Nil pejus ſorte eſt humili, cùm ſcandit in altum
Nominis, & vilem per honores deſerit algam.
Non valuit tantum Sigericus ferre tumorem,
Elatum ſupra fortunæ jura, genúſque
Imparile. Hinc odium nutrit cane pejus, & angue,
Ac mille inſanam diris addicit Agaven, Offi-

Officiúmque negat; quod juſtâ lege repoſcit
Aſſumptæ matris ratio; quod jura novercæ
Lance æquâ ſtatuunt. Hirquo ſæpe ille tuetur
Lumine Minoin; medium crebrò exerit unguem,
Intempeſtivis deludens Thyada ludis.
Nec Phædram latuêre ſales, quêis natus adunco
Suſpendit matrem naſo, averſatus heriles
Althææ faſtus. Hinc ſævas pectore flammas
Perniciale genus ſumit; furor ardet acerbo
Corde, novercales ſparſurus tempore diras,
Sanguineáſque neces. Inſanit Mænadis inſtar
Fæmina tacta probro, læſúmque tuetur honorem
Aut paribus ſannis: aut acta ultricibus iris,
Exſuperat ſalſæ mordacia jurgia linguæ.
Si negat huic vires accíſa potentia, robur
A Phlegetonte capit, pœnæque in imagine tota eſt;
Donec ad optatam ſe porrigat ultio metam.
Atque ità lymphato maleſana effervuit œſtro
Cadmias, in certum Sigerici concita fatum,
Non captura ullam noctúque, diúque quietem;
Dum tandem ſtygias privignum mergat ad undas.
Aut amat, aut odit mulier. Sed meta furoris,
Ac odii eſt major, cêu Phaſias iſta probabit.
Feſtus fortè dies aularum more refulſit,
Indictâ celebri pompâ, quâ Regia plaudit
Purpureis incincta choris. Hac Juno novella
Regali ſplendet luxu, Tyrióque ſuperba
Syrmate, & Aſſyriâ diſtincto murice pallâ
Verrit humum, croceo Reginæ ſchemate fulgens.
Quidquid Erythra vehit pretii, vel dives Hydaſpes
Baccarum exonerat; vel quod felicibus undis
Naſcitur; elato circumfert turgida collo,
Séque unam à cunctis optat, ſolámque videri.
Non ſic aurato procedit comica tergo
Iunonis volucris; cùm ſe miratur euntem,
Et rotat in gyros oculata volumina caudæ:

Ut nova nupta tumet regali cyclade gemmis
Illitâ, & in varios torquet veſtigia greſſus,
Cêu foret illa Jovis conſors. Rutilantia cocco
Tegmina nonnullis ſuperaddunt pondera faſtûs.
Ut videt aurifero Sigericus matris amictu
Gnoſſiacam radiare nurum: flammatur in iras
Haud patiens frenum rationis, teláque linguæ
In probra exacuens, ardenti hæc fulminat ore.
Quorſum vana Paphis te regni nomine jactas?
Eccur vile genus nimiùm ſublata ſecundis
Colla geris, tumido deſpectans omnia faſtu?
Túne ſupercilium tolles, Coóque rubebis
Murice; quo genitrix mea ſceptri nomine digna
Claruit, & meritos ceris portavit honores?
Non decet Oebalio viliſſima corpora ſucco,
Lucéque Sardoâ niteant. Non aurea probrum
Frontis ſerta juvant. Nunquam velamen herile
Congruit ancillæ. Regnantûm tegmine fruſtrà
Simia turgeſcit. Non baccis conſita cyclas,
Non diadema, eboríſque decus, ſoliíque lacunar
Reginam pariunt; ſed pulchræ gloria mentis,
Virtutum comitante choro. Non pectus inane
Robore conſilii, non fœta tumore, furore
Tiſiphone, auguſtum nomen, cidarímque meretur.
Hæc puer effrenis. Prô! quò te prælia linguæ
Præcipitem rapiunt? Quid agis? Compeſce labellum
Puſio, libertæque ſilens impone capiſtrum.
Non hæc Narciſſum præpoſtera copia fandi
Addecet. Ora premat Virtus. Nam cardo ſalutis
Vertitur, ambiguámque parant hæc jurgia ſortem.
Ergo tace, Sigerice tace. Me conſule, frenum
Admittat linguæ coluber; nè ſerpat in auſus
Majores, ac damna ferat. Sit ſanguinis ortu
Fortè noverca minor; ſed Patris ſceptra favore,
Ac regni ornamenta gerit. Sit turgida faſtu
Fæmina, plùs æquo ſapiens: tu vince tumores

Demiſ-

Demiſſæ mentis ſtudio. Sed diſplicet illa?
At placet illa Patri. Patri pietatis honorem
Naturæ ſancita jubent. Toleranda novercæ
Imperia, obtentu Patris. Sed forſitan irâ,
Atque odio ſequitur Sigericum more Mimallis
Enthea? Sed Patrem grato devincit amore.
Non ergo hoſtili venit illa petenda calore;
Non odiis ſuperanda tuis; quam Patris amori
Obſtrictam noſti: meritos nisì jure furores,
Atque Patris ſævas accerſat filius iras.
Hæc equidem decuit Sigericum expendere cauto
Pectore, ſi pacis ſtudium, ſoliique favores
In votis habuit; quos præceps copia fandi
Jacturâ vitæ ſubvertit. Quippe furorem
Excitat indomitus ſermo; quem mollia verba
Frangunt. Illecebrâ fatalis concidit ira.
Interea Thias diris muliebribus acta,
Irarum volvit fluctus, ceu percita Phœbas,
Dentibus infrendet; micat acri lumine flamma;
Igne ardent malæ; toto ſe corpore prodit
Burgundionum Mænas. Furit, ardet Erinnys.
Caſpia ùt amiſſo bacchatur concita fœtu
Bellua per ſaltus errans: aut ore fremente,
Concuſſáque jubâ Libycis deſævit arenis
Sylvarum terror, venantûm ſaucius ictu:
Haud ſecùs in rabidas hæc Evmenis æſtuat iras,
Vindicias animo texens, maleſvadáque verſans
Conſilia; ut læſum vel ſanguine tergat honorem,
Pentheáque è medio tollat. Nec ſegnis Agave eſt.
Huc omnes mentis vires, huc perdia, pernox
Intendit curas; quêis fuſa opprobria ſævis
Exſolvat pœnis, ac propugnacula honoris
Quaſſa levet dejecta probro, ſurgátque ruinâ
Cadmias illius, qui famæ vaſta theatra
Diruit, ac labem regali nomini inuſſit.
Quare fæmineis, conſo non impare, technis

 Ex-

Expugnare animum Regis, mollíſque mariti
Nititur Æætis. Simulatos induit ori
Vafra modos; mæſtos præſefert fronte dolores;
Erudit in lacrymas oculos, vocíſque figurat
Chromata, quæ Nioben ſapiant, Ithacíque Calypſo
Moribus, ac linguà fingit, Regíſque tribunal
Leucothea accedit fallax, & talia fatur.
Burgundionum Rex maxima gloria Regum.
Ad ſolium Regina tuum, quin ſervula labor
Cernua, mancipium ſceptri, juſtæque bilancem
Appello Themidos Nec me fortaſſe repellet
Clemens Regnator; qui vel viliſſima miti
Excipit affatu cauſarum pondera, & aure
Dignatur facili Codros, ac ruris alumnos.
Hoc, inquam, ſolium appello, juríſque ſtateram
Non in ſanguineas exſurgere flagito pœnas;
At defenſorem læſi duntaxat honoris
Quæro: nè nocuis Auguſti gloria probris
Unà aſpergatur, turpémque bibat tua Princeps
Purpura dedecoris labem; quæ poſtera forſan
Pignora defœdet. Sed nè per multa vagetur
Diffuſus cauſæ ſermo, ſuccincta tribunal
Accedit fandi brevitas. Non ſceptra gravabo
Verborum phaleris. Sigericus lumine nobis
Charior, ac vità, (prô! qui dolor ima reſorbet
Pectoris) hic, inquam Sigericus (lacryma verba
Præpedit. At lacrymas vincat, timidique pudoris
Prælia juris amor.) Sigericus mille licenter
Nos onerat probris; convicia multa profundit
Reginæ in maculam; deſpectam præparat aulæ,
Infamémque orbi reddit, ſolióque pudendam.
An non auguſto cadit ingens dedecus oſtro,
Ac pudor æternus Regi, quod probra jugali
Fœdere juncta ferat? Sceptrum hæc patietur inultum?
Sed toleranda forent inhonoræ jurgia linguæ;
Queîs primæ ætatis non rarò proditur æſtus.

Verùm

Verùm quod ſequitur, mentem pernôſſe Monarchæ
Juverit; ut propriæ valeat ſuccurrere ſorti.
Forſitan (hêu mæſtus vocem dolor intercludit!)
Forſitan (ò meliora DEUS!) non ampliùs auras
Carpere vitales Regi, Patríque licebit.
Nè verò hìc quiſquam reputet, nos crimine falſi
Ludere, & hoſtili ferveſcere corda furore:
Teſtor Majorum cineres, ac conſcia teſtor
Numina: verba dedit, quêis ſe per fáſque, nefáſque
Sceptra erepturum ſtatuit, Patríſque coronam.
Jámque per inſidias regalem inſcendere ſedem
Auſu non uno ſatagit, regníque capeſſet,
Invadétque decus. Non falſi crimine ludo.
Nunc ſolii eſt, totam trutinâ diſcernere cauſam.
Hæc, lacrymis perfuſa genas, ubi protulit effrons
Colchis, defectum ſimulans, ſubſidere ſenſim
In terram prono vultu, mentita doloris
Pondus, & Halcyonis luctus. O nata Sinonis!
O fallax mulier! quas non correpta furoris
Ignibus accendit fatales pectore fraudes.
Hìc ubi defectam jam viribus eſſe maritam
Attonitus cernit Princeps: jubet illico ſervas
Ire, volare manus, medicatu fracta levari
Corpora, & auguſto poni Acheloida ſtrato.
Interea vario curarum fluctuat æſtu,
Ancipitéſque movet Princeps ſub pectore ſenſus,
Talia ſecum agitans. Quid? num diadema paterno
Vertice divellet nati immatura cupido
Imperii? Inſidias vitæ, ſceptríſque propago
Apparat impubis? Nos iſta feremus inulti?
Haud dubiè hæc læſæ ſunt crimina Majeſtatis,
Ultricéſque petunt Aſtreâ vindice pœnas.
Infeſtum Patri pereat genus. Iſta piari
Sanguine facta juvat. Non eſt immane, cruorem
Fundere, ſit quamvìs altâ de ſtirpe profuſus;
Quem ſcelerum infamat probrum, ſolióque rebellem

Jura probant Themidos. Pietas eſt noxia regno,
Crimina non merito, ceu par eſt, tollere ferro.
Adraſtea vetat terris mala ſerpere, quæ ſe
Interitu unius frangunt. Æquum ergo tribunal
Sæviat in ſobolem. Non poſthac dicere natum
Stat Patri. Pereat per funera mille nefaſta
Vipera, regnorúmque lues, & nominis umbra,
At Phlegetonteas mergatur crimen ad undas.
Continuò pereat. Sed quò nos ira furore
Præcipiti rapuit? Non eſt hæc æqua Monarchæ
Regula, neç confuſus. Spatium legum exigit ordo,
Ac cunctatricem ratio jubet eſſe ſtateram.
Non fruſtrà geminas habet æquus cognitor aures.
Partem utramque decet Minois ventilet urna,
Quem juris devincit amor. Non ergo tribunal
Fulminet actutum pœnas; quoad Æacus omnem
Delibret ſeriem cauſarum, ac crimina diſcat.
Hæc porrò ſecum rationis verſat in arce
Exule jam furiâ Princeps. Quæ vana ſubit
Suſpicio pectus? Sigericus pulchra juventæ
Gemmula, flos ævi; qui vix elementa regendi
Prima bibit, pubéſque trocho magis aptior: ille
Ambitione petat regnorum jura, Patrémque
Deturbet ſolio impubes? Obnuntiat ætas,
Ac placidi mores. Non unquam neſcia flecti
Corda dedit; nec præfractam minimo indice frontem
Obtulit, aut nobis obvertit luminis orbes;
At Patri morem geſſit, velut alter Iulus,
Amphinomúſque ſacer. Non Patri denegat ullum
Obſequii ſtudium; quod nati jura repoſcunt,
Ordóque naturæ. Quis credat triſtia nobis
Funera moliri? Sunt hæc commenta novercæ,
Quæ nunquam adſcitis favet æquo lumine natis.
Si ſuperinductæ matri deferre recuſat
Obſtrictum officii munus, probríſque laceſſit
Fæmineos faſtus: leviori hæc ſorte pianda.

Jur-

Jurgia verborum, quæ primo ſanguine fervens
Spargere ephebus amat. Non ferrum, aſt ulmea grando
Hanc intemperiem linguæ frenare valebit.
Et temerum quandoque viris, quos alta gubernat
Conſilii ratio, verbum propero excidit ore.
Si quæ fortè dedit maleſanæ prælia linguæ:
Authores facti prodat; quos flamma juventæ
Audiit, in cæcum non ægre ductilis auſum.
Hos Themis inquirat ſolii, plectátque rigoris
Ordine, nè innocuus plectatur vindice ferro.
Eſt equidem Regina, nefas quæ detulit, icta
Opprobrii telo; verùm ſimul illa noverca eſt,
Rarò privignis affectûs munera præſtans.
Eſt, verbo, mulier, facile irritabilis irâ.
Lentior ergo fides accedat. Cognita nati
Eſt nobis virtus maturi criminis expers.
Hæc prudens ſecum Princeps. At Gorgone creta
Irrita verba videns Phorcis, cêu Parthica tigris
Infremit, indomitos verſans in corde furores,
Accerſénsque animo furias, ſubdénſque Megæram
Pectori, in ardentes rurſum ſe concitat iras.
Purpureum ſitit ira imbrem. Jam nulla quietis
Pars animo reſidet, dum multâ ſanguinis undâ
Exſatiet rabiem, videátque in morte natantem,
Immerſúmque ſuo Sigericum Phædra cruori.
Unde iterum ad vafras Æætis confugit artes;
Quêis demum expugnet mollis præcordia Regis.
Nil ſinit intactum. Fraus ultima tela miniſtrat
Fæminæ, ab Alcmenæ genito latura triumphos.
Hinc rurſum mæſtos gemitus deducit ab alto
Pectore; deciduis rigat ora vaferrima rivis;
Planctibus agglomerat planctus, querulóque ululatu
Regia tecta implet. Quid quod tria jura ſororum
In ſua fata citat, tædáſque peroſa jugales,
Extremam fingit verſuta Libyſtias horam.
Atque ità devinctum plùs æquo Regis amorem

In ſua vota trahit, Patrémque in ſæva tyranni
Conſilia inclinat, nati effuſura cruorem.
Hæc damna ob læſum mulier furialis honorem
Efficit, ac ſolo rivalis funere ſarcit
Gloriam, & à fatis ſibi vitam reddit honoris.
Plùs mulier ſubleſta valet, quàm Martis aperti
Fabrica, & Ajaces. Quos vult, mala fæmina perdit.
Jam ſe ſe evolvet funeſti ſcena tragœdi,
Aularúmque ſolum mœſtâ inſternetur arenâ;
Quæ bibet innocuum Sigerici ſanguinis imbrem.
Tempus erat, terræ quo torridus incubat æſtus,
Icariúſque canis ſævis ardoribus orbem
Corripit, ac hominum recoquit cum meſſibus artus,
Siccóque excruciat fervens ſitis ora palato.
Hæc urit pariter Sigerici labra calore
Arida, & inflammat. Quare ſpumantia Baccho
Cymbia depoſcit, nimium queîs temperet æſtum.
Hic opportunum tollendo funere nato
Tempus adeſſe ratus genitor: jubet illico largum
Infundi Bromium, & medicato Cæcuba ſucco
Præcipit extradi; quæ conciliare ſoporem,
Atque altos valeant ſomnos. Formidinis expers,
Securúſque ſui impubes, ſe proluit auro,
Indulgénſque mero, plenis rigat ora culullis,
Haud gnarus liquido ſua fata natare Lyæo.
Jam conſanguineus lethi ſubit atria Morphêus
Regia, & in Niſum fœcunda papavera ſpargens
Fracta mero longæ componit membra quieti.
Prô! quid agis Morphêus? Frontis duo ſidera cæcas
Illuſtri Evryalo? Quid pullo lumina velo
Obtegis, & lucem nunquam viſura recondis?
Rumpe ſoporiferum divûm placidiſſime nexum.
Pollux iſte meret longævos Neſtoris annos
Ducere; quem virtus, altæque capacia mentis
Semina deſignant cidari, quem civis amore,
Officióque colit. Sed ſurdo fabula Morphêo.

Diſti-

Diſtinet ille oculos, graviori victus Jacchi
Imperio, ſpargítque ſuas ſuper omnia vires
Membra, ac evictos penitùs ſibi ſubjicit artus.
Dúmque videt genitor, nati proſtrata ſopore
Pectora, jam ipſe gravi mentis dejectus ab œſtro:
Innocuam aggreditur ſobolem, Patrem exuit, atque
Tortoris ſubit ipſe vices, ſævúmque miniſtrat
Carnificis munus. Prô! quò furor abripit oſtrum,
Ac regale decus? Quò ſe diadema ſuperbum
Abjicit? Anne ſatìs Tyrio non ebria ſucco
Purpura, ab inſonti magè vult fulgere cruore?
Ergóne Sidoniæ maculas aſpergere pallæ,
Nominis opprobrio, quod utrumque emanet in orbem,
Non horret ſolium? Quid de te poſtera dicent
Sæcula? Te nunquam Burgundia ſubdita Regem
Chriſtiadûm de gente colet, mitíque profuſum
Eſſe canet genio; qui nati fata requiris,
Inque tui raperis crudeli funere partem.
Sed quid ego ſurdum verbis compello furorem
Quò ſe præcipiti ſemel infert Armena curſu
Bellua, in obſtantes pleno ruit impete turmas,
Perrumpítque obices, nullâ placabilis arte.
Sic ruit indomitâ Princeps malè ductus ab ira
In genus auguſtum. Sopito taurea adaptat
Vincula circumdans jugulo, ſolíſque miniſtris
Præcipit extemplò, in diverſum flectere lora,
Adductóque viam vocis præcludere vinclo,
Ac vitam inſonti truculentè tollere nato.
O dira in ſobolem veniens à Patre tyrannis!
Quo te jam Princeps compellem nomine? Tigrim?
Aut de Marmaricæ projectum ſtirpe Leænæ?
Sævior Hyrcanâ tu es Tigride; ſævior ipsa
Immani feritate Leâ. Nam Caſpia quamvìs
Bellua, in externum, naturâ urgente, cruorem
Inſano flagret rictu, ſitiátque, petátque:
Non tamen in proprii generis prædantia ſtringit

Ora

Ora neces; nec cognato ſe ſanguine paſcit.
Et tu (prô crimen! Quæ te crudelis Enyo
Occupat?) humano rabiem ſedare cruore
Pergis, & in ſobolem, quâ te miſerata beârunt
Æthera, deſævis. Quid? túne extradere fatis
Natum, ſanguineóque jubes transmittere letho
Ad triſtes Erebi ſedes, umbráſque ſilentes?
Non hæc Chriſtiadûm reputem, ſed regna Gelonum.
At vix funeſtâ Sigericum morte peremit:
Neſcio, quo Superûm illuſtratus lumine, dirum
Agnoſcit facinus, ſceleríſque horrenda revolvit
Auſa Sigiſmundus. Jam poſt patrata furore
Crimina, quæ cæco Regi perſvaſit Erinnys,
Sera ſubit pectus Metanœa, dolórque perurit
Ilia, & in tales effundit pectora queſtus.
Ergo jaces Sigerice mei ſpes unica regni?
Auguſti columen generis, Patríſque voluptas
Maxima, delicium populi, præluſtris avorum
Gemmula, túne jaces? Vah! quò nos fæda Dione
Impulit, orcheſtram Themidos, legéſque profanans?
Si reus in noſtram peccâſti nate coronam:
Cur non audiimus crimen, quod prævius ordo
Poſtulat Aſtrææ. Priùs omnis cauſa ſeverè
Delibranda fuit: quò vel convictus atrocis
Eſſe probarèris ſceleris reus: aut tua poſſes,
Ut ratio legum depoſcit, jura tueri.
Si verò innocuus, ſinè fraude, dolóque fuiſti:
Ecquid inauditam ferali funere cauſam,
Præcipitíque fui non cognita lege ſecutus?
Antiſtes Themidos partem diſcernat utramque,
Qui ſtudet eſſe æquus. Non jura furore reguntur.
Hêi me! quò, rabido mentem correptus ab œſtro,
Lymphatus Princeps abii? Sigerice! (doloris
Pondera verba negant.) Sigerice! (quis ima reſorbet
Rurſum corda dolor?) Sigerice! Quid ætheris auras,

Quidve dediſſe juvat pergratæ munera vitæ;
Si rurſum eripui tibi vitam more Procuſtis?
Linguam intercepi laqueo, vociſque ligavi
Munia; ne poſſes licito ſermone tueri
Momentum cauſæ. Quò nos rea detulit urna?
Sed nimis, ah nimis eloquio vehemente cadaver
Injuſtum loquitur facinus, Patrémque piâcli
Arguit, authorémque necis proclamat iniqua.
Ergo ille auguſtæ frontis, ciliique ſerenus
Majeſtatis honos, hæc vaſtæ gloria mentis,
Regia progenies, Regéſque datura nepotes,
Ergo jacet, proprióque jacet tumulata cruore?
Hêu! plùs quàm temerum Patris, Regiſque furorem,
Quo non majorem Siculi invênere tyranni,
Maſſagetúmque plagæ. Veh dictum, immane piâclum,
Quod vel Theromedon, ſævúſque exhorreat Atreus;
Quod Phalaris, Sciron, Buſiridis ira, Sciníſque
Sauromatúmque genus reprobet, Numidæque, Scythæque.
O crimen ferale nimis, quod poſtera narrent
Sæcula, & infamem reddant toto orbe Monarcham!
Sed quis erat nobis author, quis cæde cruentâ
Juſſit florigerâ natum depellere vitâ?
Quis? memorare pudet. Varium, ac mutabile ſemper
Fœmina, dimidium Junonis more capeſſens
Imperium. Illa Jovem blando deluſerat aſtu.
Faſcinus hujus amor nobis erat. Illa venenum
Miſcuit, & philtro Colchis potavit, iniquum
Judicio reddens Patrem, ſobolíſque tyrannum.
Hoc tantum pepérere nefas maleſvada novercæ
Jurgia; quam faſtus, & magni nominis ardor
Impulit in cædem. Prò ſceptri dedecus ingens!
Hæc ficto illicio lacrymarum, ſanguinis imbres
Naribus elicuit ſobolis, laqueóque peremit,
Parcarúmque dedit regalia pignora regnis.
At nos, prò pudor eſt, nullo delebilis ævo,

Ceſſiſſe illecebris, & amoris jura, furore
Commutâſſe Patrem, natóque tuliſſe feretrum
Mænados impulſu. Vah! quò nos arte Pelasgâ
Veſanus deduxit amor? Quò fæda Diones
Abſtulit, ut natum magnorum lumen avorum,
Spémque unam regni, cui poſthuma ſceptra parabam,
Ad Phlegetonteas legarem barbarus oras?
O crudele genus Patris! O crudelia Regis
Sceptra, Procuſtæo jure accenſenda theatro.
Hæc ubi dicta dedit Princeps, & plura profundo
Edixit gemitu: lacrymarum flumine vultum
Irrigat, & tepido perfundit corpora rivo.
Perge rigare genas lacrymis. Cùm juſta dolendi
Cauſa intercedit, non eſt pudor ora virorum
Imbribus affundi mœſtis, veróque doloris
Indice teſtari luctus, qui corda peretrant.
Et verò ingentes impellunt lumina guttas.
Qualis per valles rapitur pernicior amnis;
Ut ſolvit niveas Riphæo vertice lanas
Auſter, & ignivomus diſrupit flumina Phœbus:
Gurgite ſic pleno facies dimanat, & altum
Princeps teſtatur per corda meare dolorem.
Atque ità perfuſus lacrymis, ſuper ora recumbit
Frigida, & exanimos nati multùm irrigat artus;
Fortè novam ut tribuat vitali flumine vitam.
Verùm agis in caſſum. Jam manes portitor Orci
Devehit ad ſtygias nunquam remeabilis oras.
Dum natat in lacrymis Princeps, ac penè dolore
Occidit, immenſóſque gerit ſub pectore luctus:
En ſubit Auguſtal conſperſus tempora canis
Maturâ gravitate ſenex; quem lumina nunquam
Conſpexêre Ducis. Tithonum, aut Neſtora poſſet,
Vel Pylium reputare thronus. Verùm ecquid in aula
Feſſus agit ſenio? Se triſtia ſiſtit ad ora
Regis, & attonito Regnanti talia fatur.

Eccur

Eccur jam vano Sigerici funera luctu
Proſequeris Princeps? Quid ſalſum lumine rorem
In natum exoneras? Non planctus reddere vitæ
Exanimes poſſunt artus, revocaréque manes.
Te lugere ſuper noxas, rabiémque tyranni
Addecet, & proprium lacrymis abolere piâclum.
Hæc placant Numen. Ni læſi jura Tonantis
Integret ex animo procedens arrha doloris,
Et tergant fœdas rorantia lumina labes:
Jam te fulmineis ſequitur Rhamnuſia telis,
Intentátque flagrum. Nemeſis delicta flagellat.
At ſi vera ſubit Regem Metanœa patrati
Criminis, & tantis quærit medicamina plagis:
In meritas offerre juvat crudelia pœnas
Pectora, & æthereis ſe pronum ſiſtere flagris,
Atque piis veniam Superûm depoſcere factis.
Quare age, jam Cælos rurſum tibi redde faventes
Placari faciles; dum tempus, & hora doloris
Definit ſpatium. Si mitia negligis ultrò
Sidera; quæ ſceleri connivent, quæque morantur
Demiſſæ mentis ſtudium: te proxima pœnis
Fata manent; quæ te regali ſede revellent,
Atque Acheronteis mergent tua crimina regnis.
Vix ea fatus erat graviori fictus ab ævo
Aliger; altivolas rurſum tenuatur in auras,
Deſtituens firmum meliori Numine Regem.
Ergo Sigiſmundus manantes denuo ducit
Ex oculis fontes lacrymarum, & pectora plangit,
Submiſſóque genu ſupplex, ac cernua terræ
Lumina demittens, ſe vaſti criminis eſſe
Flebilis authorem cognoſcit. Jámque repoſcit
Promeritam ſceleri mittendam abs æthere pœnam;
Quam leges juſtæ Themidos decernere vellent.
Indè rogat Numen, quò jam pro more paterno
Sæviat in dirum facinus; modò parceret olim

Ut rigidus ſcelerum vindex: dum lege ſupremâ
Arguet hunc mundum, plexurus crimina Regum.
Accipit hos Cælum planctus, veríque doloris
Argumenta capit, lacrymáſque per ora ruentes
Aſpicit, & veniam defert immanibus auſis.
Hæc eſt nempe DEI clementia, prona moveri
Ad veros animi gemitus, teſtémque doloris
Lachrimam, & effuſos contrito pectore queſtus,
Non eſt delictum, quod non Metanœa recîdat.

DA-

DANIEL
ſuperſtitioſo Dracone occiſo, ad leones damnatur.

Dan. c. 14.

BAbilonii, draconem in ſubterraneo quodam ſpecu immani corpore ſtabulantem, pro Deo coluêre. Rex pari cum populo amentiâ, ad ejus venerationem non dubitavit invitare Danielem. Hic verò ſuperſtitionem abſurdam dedocturus Regem, petit ſibi fieri poteſtatem ejus Dei interficiendi. Annuit petitis ſceptrum. Daniel offam medicatam conjicit in os hiantis beſtiæ, ſimúlque diſtendit, & diſrumpit ejus viſcera. Interempto ſerpente, omnes ordines tumultuari, ſolium precibus, miníſque adoriri, peteréque occiſi draconis vindictam. Rex ſaluti ſuæ conſulturus, Danielem furentium arbitrio concedit. Illi, correpto actutum ſacro Vate, in antrum horridum, ſeptem leonibus formidabile, eum demittunt, à famentibus belluis diſcerpendum. At innocentia impaſtas inter feras degit incolumis, unà DEO per Habacucum captivo ſuo de commeatu providente. Septimâ pòſt luce Rex ad ſpeluncam revifit, chariſſimo capiti lacrymis pa-

 ren-

rentaturus; cui Daniel medius conſpiciendum ſe offert. Hìc Princeps laudum præconiis celebrato Hebræorum DEO, exemptóque è cavea leonum Daniele, facinoris, & ſeditionis authores lege Talionis damnat, ac rugientibus beſtiis in pabulum objici jubet.

NOn mihi monſtrorum domitor de gente Pelaſga
Amphitryoniades, mundo Tyrinthius heros
Cognitus in carmen properat, ſinuoſa draconis
Heſperidum impavido proſternens corpora ferro,
Commentum Argolico vati. Mihi verus Apollo
E tripode aſtrorum veri argumenta miniſtrat,
Heroo cantanda metro; quæ vidit Idume,
Inſeruítque ſacris Jeſsidum dextera faſtis.
Thariacum decus, ac columen, virtute supernâ
Inſtructum Vatem, tumidum domuiſſe ceraſten
Mœonio referam numero. Nè verò labaſcat
Calliope gravitate rei, colubríque timore
Fracta cadat; validos depoſcit ab æthere nervos;
Quêis domuit mirum Vates fortiſſimus hydrum.
Aſſyriæ celebres populi, gens merſa profundo
Errorum cœno, Fideíque orbata ſereno
Lumine, deturpans cæcâ caligine mentem
Vanáque conſectans figmenta, ùt vota tulêre
Obvia, in amentes ſe relligionis honores
Præcipiti rapuit lubitu. Quippe edita terris
Numina, & è propriis exciſum ſculptile lucis;
Aut è viſceribus terræ, nigróque receſſu
Eruta Tænariis vicina metalla caminis,
In probroſorum conflat ſimulacra deorum,
Aptam materiem cultûs. O dedecus orbis,
Inque Semiramiis probrum execrabile terris!

Ergò

Ergóne molitor rerum, mundíque ſupremus
Conditor, infami Belo; quem veſtra refinxit
Dextera, & in fœdam juſſit migrare figuram,
Primas concedat? Num ſummo cedere jure
Factorem deceat facturæ, quíque metalla,
Ac homines imo nihili de fonte levavit;
In nihilum vobis veniat, deſpectus, inanis,
Ac nullâ virtute potens? Pro crimen iniquum!
Ergóne, qui totum vel ſolis nutibus orbem
Dirigit, eliſóque valet de nubibus igne
Sacrilegas quaſſare aras, ſcelerísque reatum
Plectere, & in ſtygias cum Belo mittere ſedes,
Illéne devotis contemptus cedat ab aris?
O ſcelus innumeris plectendum jure flagellis!
Ecquid ad hæc Babylon? Cantatur fabula ſurdæ.
Non videt errorem. Sed nec diſcrimina veri,
Falsíque in ſenſum veniunt. Stat dura voluntas
Pro rectæ mentis trutina. Namque edocet uſus:
Plus idola animi, quàm Numina vera placere.
Aurea ſaxa colit proprio fabricata labore,
Panchæámque cremat lacrymam, totámque vaporat
Thurilegam fumo meliore halante Sabæam.
Atque ut Oronteo fuſcatur odore deaſter:
Sic oculos Syriæ vitiante volumine cæcat
Error; ut in verum nequeat ſua tollere Numen
Lumina; ſed terræ duntaxat plaſmata ſpectet.
Nec, quod mireris, ſe devius error in uno,
Ridendóque deo ſatiat; ſed pluria honoris
Pabula diſquirit. Non caudex mutus in auro,
Immotúſque placet ſemper. Vitalia rident
Numina, quæ motu præſentent munera vitæ.
Forſan inacceſſum Phœbo grave rupibus antrum
Occupat immani diffuſus corpore ſerpens,
Naturæ, annorúmque labor, crepitantibus horrens
Squamarum tabulis, rupes, ſpelæáque terrens.
Emicat ex oculis tremulum jubar ignea ſpargens

Fulgetra, & obſcuras urit, torrétque latebras.
In caput immenſum criſtæ diadema colore
Exſurgit croceo, frontémque ſerenat honorâ
Luce, ſupercilium altâ majeſtate coronans.
Horribiles pandit rictus, atque oris hiatum
Explicat in prædam. Serratis dentibus ordo
Conſurgit triplex, ſtrepitu, fremitúque minarum
Plenus, lethiferum promptus defigere vulnus.
Lingua biſulca hamo ſimilis curvatur, aduncum
Fulmen depromens, intentat ſpicula mortis,
Fataléſque ictus. Collo palearia pendent;
Porrigitur mento barba hiſpida, livida ſtillans
Toxica, Cantharidum ſuccos, Neſsíque cruorem.
Quid referam molem, quid cetera membra relatu
Horrida, quæ poſſent faſtidia multa creare,
Et ſtomachum teneris fortaſſe evertere Muſis?
Atque hoc anguineum, fædum, aſpernabile monſtrum,
Naturæque probrum rationis lumine caſſum,
Mens cognata DEO, cuî Cælum tradidit amplos
Terrarum faſces, pecudúmque indulſit habenas:
Divino (ó labes Syriæ!) dignatur honore.
Nec ſolùm Aſsyriæ proceres, vulgique myrica
Supplicibus recolunt fædiſſima numina votis;
At regni Cedrus, ſummæque potentia ſortis,
Regnatórque Aſiæ lunato poplite diro
Sacra facit colubro. Vah! quò ſe regia mittit
Gloria, ut abjectæ divinos ſolvat honores
Belluæ, in opprobrium ter magni Numinis? O quò
Se primum diadema orbis, terræque, maríſque
Abjicit Imperium! Prô! quæ veſania ſceptrum
Diſtinet, ac regnum mentis, faſcéſque Monarchæ
Deprimit, ut fædo ſubmittat jura chelydro?
Sed queror in caſſum. Populus quandoque Regentes
Dirigit, ac mores plebis vel ſumma poteſtas
Combibit, aut tales ſimulat, placitura ſceleſtis
Gentibus, ut fragiles ſolio mercetur amores.

Hoc

Hoc inclinatus rationis pondere vanus
Sceptriger, in ritus populi ſe format, ab aſtu
Suppetias quærens. Aut quod confine putârim
Vero, divinum criſtato Numen ineſſe
Serpenti reputat Princeps. Nam ſæpe veretur
Demiſſo colubrum ſtudio, pecudúmque cruore
Placat, & obſtreperâ veneratur voce chelydrum.
Quid quod Jeſſiadûm columen, veróque Tonanti
Omni parte ſacrum Danielem munere Vatem,
Conſimili cultu ſtudet informare, rogátque
Crebriùs, in pariles ſecum deſcendat honores,
Reddátque horrifico ſolennia vota ceraſti.
Nec citra cônſi rationem hæc legiſer urget.
Quippe idolothytum, Princeps ſvadere laborat
Abramidûm claro decori: sêu fortè periclum
Facturus Fidei, quam Vates prædicat orbi:
Sive poteſtatem pertentaturus in hydro
Numinis; aut forſan, quod vero congruit, aulæ
Reddat ut acceptum. Non rerum neſcia Princeps
Corda gerit, qualis Primorum corde ſimultas
Ferveat in Vatem. Tollenda eſt funeris anſa.
Sunt equidem extinctæ non pridem cordis iniqui
Flammæ, livoríſque faces; quêis ſæva flagrârunt
Pectora Summatum, in dirum eruptura furorem.
At facilè in flammas redeunt, quæ lividus urit
Corda rogus, majórque venit livoribus ignis.
Hoc fidum cupiens exſolvere fortis Achatem
Turbine, ad illicitos Regnator ducere ritus
Verborum illicio, Suadáque laborat herili.
Sed quid ad hæc Myſtes Superûm? Quæ pectore verſat
Conſilia, aut quænam Regnanti ſenſa reponit?
Quæ decuêre virum Cælis ex aſſe dicatum.
Sic etenim fatur. Quis te Rex maxime cæcus
Error habet? Mentem quis faſcinus obruit? An te
Vera fugit ratio? Num degenerantis abortus
Naturæ, & Colcho turgeſcens bellua ſucco,

Illitáque Atraciâ ſanie, de Gorgone fuſum
Serpentis lethale genus, de ſtirpe ceraſtes
Protruſus Libyæ rationis lumine caſſus,
In verum Numen veniat, quod præſidet orbi?
An te ſupremis regnorum faſcibus, hydrus
Infamis terræ partus, donare valebat
Regaliíque aptare thoro? Quid ſceptra reponunt?
An poterit diadema tibi compactus in orbem
Tollere, & in vilem plebis detrudere ſortem?
Hocne valet coluber? Quæ ſunt jam ſenſa Monarchæ?
An mundum è nihili barathro conſurgere juſſit
Anguis cœnoſus, limi compago, lutíque
Illuvies, fædum quondam rediturus in ortum?
Illéne corpoream molem, fuſúmque per artus
Spiritum, & æthereo prognatam ſemine mentem
Nullis ſubjectam fatis, poſt buſta vigentem
Corporis, æternæ donabit munere vitæ?
Hæcne chelydrus aget? Quæ ſtat ſententia Regi?
Illéne in umbroſo concluſus carcere ſerpens,
In crimen mortale queat vibrare triſulcum
Fulmen, & infernis noxam damnare tenebris?
Illéne Virtutis meritum, rectique tenorem
Ordinis, ac nullo pollutas crimine mentes
Æthereis ornat donis? Utque omnia paucis
Eloquar; an quoquam ſpectatum thaumate monſtrum
Attonitam tenuit Perſin; niſi fortè, quod amplo
Projecta excipiat confeſtim pabula rictu?
Hócne meret barathrum, pecudumque immenſa vorago,
Carníſque humanæ gurges, decreta Tonanti
Munera, & innumeris cumulata altaria donis?
Hæcne meret coluber? Quis ſanâ hæc mente probârit?
Si non Regnator noſtris fortaſſe repugnat.
Sancitis animi, fixa eſt ſententia menti:
Spiramenta atri intercludere protinus hydri,
Inque chaos nihili, fluidámque reſolvere tabem
Concretum cœno monſtrum. Sit copia nobis

Illi-

Illicet anguineum vitâ privare deaſtrum.
Hæc myſtes Superum, ac Chananitidos ornamentum.
Ecquis Achæmeniæ Summatum talia fari
Præſumat ſceptro? Quis res, ac dona ſecundæ
Sortis, & eximios aulæ, Regíſque favores,
Curriculúmque ævi, pro vero exponere geſtit
Numine, cêu Vates Daniel? Quis ferre Tonanti
Religionis opus, ſolique placere laborat?
At jam Primorum eſt error, ſcopulúſque frequenti,
Naufragio infamis; perituri dona favoris
Quærere Regnantûm, ſolidóque chariſmate Cæli
Poſthabito, vanis duntaxat paſcier auris.
O quot temporibus cedunt, ſtudiúmque Potentûm
Per fas, atque nefas, ſudore, labore perenni
Noctes, atque dies quærunt. Virtutis honores
Rarior inquirit. Solùm præſentia captant
Aulæ, Virtutem poſt ſæcula quæſituri.
Cùm ſortis ſpirant Zephyri, lenéſque Favonî
Aularum, ac Phœbus ſolii placido ore renidet:
Immodico inflati, elatíque tumore thraſones,
Vela ſpei faciunt, pacémque tenentibus Auſtris,
Portum ſollicitant, prenſantes littus honoris.
Aſt ubi ſors gravior nimbos, ac grandinis iras
Depluit, adverſíque ferunt ſua prælia Cauri,
Miſcéntque aulai Pontum, Phœbúſque Monarcha
Contrahit in nebulas frontem, torvúmque tuetur:
Ac fortè irato diſpergit fulmina labro,
Imponens, quæ jura vetant, legéſque Tonantis
Ætherei: id curant unum, nè gratia ſceptri,
Cum ſorte abſcedant alio; nè ſævior aura
Principis exſurgat. Quare præfertur honeſto
Utile, Virtutíſque decus poſt terga recedit.
Non ità Thariadûm Vates fugientia captat
Munera Regnantûm, ſolium poſtponere certus
Numinis imperio. Præſtat delicta Regentûm
Corripere, ac fatuos verbis expungere ſenſus;

 Quàm

Quàm ſe participem plectendis reddere noxis.
Dedocet erratum Daniel, vanæque daturus
Exemplar fidei, fieri ſibi Principis optat
Jure poteſtatem : lutulentum morte deaſtrum
Opprimere, ac certo ſerpentem tollere fato.
Rex ubi libertam nullâ formidine tactam
Conſpicit, atque fidem technâ, fucóque carentem :
Attonitus primùm cunctatur, votáque ſacri
Miratur Vatis. Tum veri Numinis hydro
Exploraturus ſpecimen, deſcendit in amplam
Jure facultatem perimendi protinus anguis,
Si tantum Virtute queat. Vix facta poteſtas
Tollendi è medio latebroſâ ſede colubri :
Nec mora, Jeſſiadûm Vates in fortia ſe ſe
Auſa parat, Cæli nunquam non robore fultus.
Jam vitam eripiet non digno munere vitæ
Gorgoneo generi, cæcíſque è mentibus omnem
Auferet errorem. Jam claram pectore lucem
Accendet Fidei, populúmque, Ducémque Tonanti
Haud dubio reddet. Sed quodnam funus adornat ?
Illicet in funus medicatam præparat eſcam
Abramidûm Calchas, vili compagine ſtructam.
Atram nempe picem miſcet pinguedine, forſan
Arvinæ ſimili, ſuperaddens vile pilorum
Induvium, atque omnem maſſam confundit in unum
Oſtenti fatum. Nè verò bellua longum
Ætatis ducat ſpatium ; ſe protinus infert
Spelæo, colubri vaſtâ ſub mole gementi,
Inque hydri patulos rictus, ſævúmque minantes
Dentibus horriſonis, fatalia pabula mittit,
Monſtrum in ſubjectas exporrecturus arenas.
Jam lethum appropiat chelydro. Jam diffluet anguis.
Vix ſenſêre offam latè diſtenta draconis
Ilia, in immanes abeunt, ſurgúntque dolores ;
Pérque artus omnes diffuſi fata minantur
Ultima, & oſtendunt rumpendum protinus hydrum.

Nec

Nec patiens jam ferre malum, quod membra perurit
Intima, langueſcens ſe partes verſat in omnes.
Sibila rauca vomit, ſtridetque immanè refractis
Dentibus, & Lernæ ſaniem deſpumat ab atris
Faucibus, atque animam jam nigro penè natantem
Toxico, in afflictos revocare adnititur artus.
Sed quia vis major porrectæ prævalet offæ
Viribus anguinis, properátque tumentia monſtri
Viſcera, ſquamoſúmque hydri diſrumpere corpus:
Senſim enervatos artus, totámque ſupinat
Molem reſpirans ægre. Jam languida colla
Dejicit, ac oculos ſubitâ caligine merſos
In mortis ſtatione tenet, totúſque moveri
Deſinit, exanimis. Tandem diſrumpitur alvus
Turgida, & horriſonum, cryptâ reboante, fragorem
Edit, Achæmenias percellens murmure ſedes.
Non ſic terrificis immugit ferrea bombis
Machina, nitratis violentè excuſa favillis:
Aut cùm præruptæ rupes, & ſcrupea motu
Telluris ſaxeta crepant, vaſtúmque per oras
Protrudunt ſtrepitum, vicino rure pavente.
Atque ità concretus ſanie, taboque deaſter,
Lernæâ de ſtirpe ſatus, turgénſque aconito,
In chaos antiquum rediens, cœnoſa reviſit
Principia, ac omnem limóque, lutóque volutat
Gloriam, & oblatos tumulat reſolutus honores.
Vix immortalem, cêu retur turba, draconem
Nuntia fama canit, mortalia jura ſubiſſe,
Diſruptúmque aſtu Danielis prædicat anguem:
Continuò Aſſyriæ populi, regníque Dynaſtæ,
In ſtreperos ſurgunt motus, urbémque tumultu
Inſano miſcent. Plangunt, ululántque putatum
Fatis conceſſiſſe deum, Danielis ab arte
Impia, & Æxtis cantu. Sic nempe retuſum
Autumat arbitrium. Quapropter fata ceraſtis
Ulciſci parili fato, pœníſque laborant.

Ut verò extempſò confectum vindicet hydrum
(Tiſiphone ultrices animo ſubdente favillas)
Arſaciæ lymphata cohors: auguſta Monarchæ
Tecta petit celeri greſſu, ſolioque propinquat
Armatis precibus, ſævâſque à crimine pœnas
Sumere, & extremis Chananæum perdere Vatem
Suppliciis poſcit. Dubio hic mens fluctuat æſtu
Principis: an populi votis, quæ lividus ardor
Incitat, ac veteres iræ per nota furoris
Jurgia præcipitant, regni concedere lumen
Debeat, ac properis inſontem extradere fatis.
Sic etenim ſecum Princeps ſervantior æqui
Aſtreæ ductu reputat, ſic pectore fatur.
Nullum crimen habet facinus, cui ſumma poteſtas
Jus facti tribuit, pœníſque exemit acerbis.
Sed quod patravit facinus Jeſſæius heros,
Illi jus facti tribuit ſuprema poteſtas,
Omníque exemit pœnâ; nullo ergo tenetur
Crimine patratum facinus. Rectè intulit æquo
Adraſtea foro. Nam præmia jure merentur
Heroi portenta animi, laudíſque tributum.
Dum notat ambiguam populi veſania mentem
Principis: in patulas confeſtim vertitur iras,
Vultúque in flammas agitur, cordíſque furorem
Haud dubiis prodit ſignis. Jam torva tuetur,
Exagitátque caput rabie, ſolióque minatur
Funus, & exitium. Tandem de Principe cenſu
Quidam, hæc ad ſceptrum verborum fulmina librat.
Aut in vindicias nobis, pœnæque rigorem
Debitum, ùt Arſaciæ Themidos decreta repoſcunt,
Tradatur Daniel: vel cedes illico fatis
Victima, & in ferrum ruet omnis ſtirpis avitæ
Surculus, opprobrio generis. Sic percitus œſtro
Aſſyriæ Magnas, populo fera dicta probante.
Ecquid ad hæc Rector circumdatus undique plebe,
Ac rabie Procerum? Quæ ſtat ſententia menti?

Vellet

Vellet enimverò percharum ſemper Achatem
Eripere ardenti populo, pœníſque ſolutum
Reddere libertæ, ac Pyliam provivere vitam.
Sed cùm vis major turbæ, ſtudiúmque Potentûm
Arſaciæ faſces ſuperet, frangíque recuſet
Viribus Imperii præſentis turbo furoris;
Ac tangat propriæ Regnantem cura ſalutis
Anxia: in Iſacii conſentit funera Vatis
Quamvis invitus Princeps. Quare illico Myſtem
Inclytum, Achæmeniæ decus immortale coronæ,
Arbitrio Procerum tradit, populíque furori.
Sic amor ætatis ducendæ cedit iniquo
Ordini, & in leges Themidos formido malorum
Imperium exercet. Virtute eſt charius ævum
Sæpius, æterníſque ſolet præferre caduca.
Vix in Saraidum Vatem permiſſa poteſtas
Principis, actutum furiali concitus æſtu,
Cum Procere Aſſyriæ populus, livore jubente
Involat, ùt gratas fœdæ Stymphalides eſcas,
Captivátque virum, raptáique, trahítque latronis
Inſtar, & opprobriis cumulat, cêu criminis omnis
Authorem. Hic Vates divino Numine plenus
Æquam conſervans mentem, virtute, DEóque
Nixus, verborum nimbos, & probra ſerenus
Excipit, haud verbis quidquam, geſtúque reponens
Aſperum, inurbanum. Dos veri nempe Prophetæ eſt,
Reddere pro illatis benefacti munera damnis.
Huc infracta malis patientia, fortis ad omne
Tormenti, probríque genus, nullíque labori
Ceſſura adduxit Vatem, mala ferre paratum,
Nulláque arcendum ſortis, mortíſque procellâ
A recti ſtatione virum. Stat firmus, & idem.
Et velut auricomus tetrâ ferrugine Titan
Nimborum tectus, nullâ caligine vultum
Obrutus, in proprio nativæ lucis honore
Nunquam non idem remanet, ridétque ſereno

Ore, ſibi conſtans, glomeratas æthere nubes:
Haud aliter Daniel nullâ mutabilis atrâ
Fortunæ nebulâ, nullíſque movendus acerbis
Caſibus, immoto ſpectat convicia vultu,
Mortémque, ac vitam parili libramine mentis
Ponderat è ſenſu Cæli. Quod deſtinat ordo
Numinis, id pullus probat, acceptátque Sophiæ.
Altior eſt mundo Virtus innixa Tonanti,
Deſpiciens, quidquid mortali vertitur axe.
Sed jam Virtutis lubeat ſpectare theatrum.
Antrum erat horrendum, vaſtóque immanis hiatu
Barbaries caveæ, fabri, trullæque labore
Spelæum in muros ductum, potuítque videri
Cecropii ſudoris opus, doctíque Philonis
Arte laboratum. Sed formidabile viſu
Effecêre truces Libycâ de ſtirpe leones.
Septem omnino, ſpecu circi referente figuram,
Majeſtate ferâ, ac torvâ gravitate vagantur
Sylvarum immites domini, regéſque ferarum
Impavidi, audaces animis, oculíſque vibrantes
Fulgura, & armato crudeli dentis acuti
Ordine, ſævitiem ſpirant. Prô! dira minantur
Funera, vulnificóque ungui lanianda repoſcunt
Pabula, & in prædam ſurgunt horrore jubarum,
Verticéque excuſſo, furiosâ fronte duellant.
Ore fremunt rabido, bellúmque in neſcio quales
Exercent epulas, rictúque immanè patente
Expectant avidis mittendas faucibus eſcas.
Utque abſumendam majori ardore ſaginam
Rictibus excipiant animata ſepulchra leonum:
Extenuat diuturna fames, impaſtáque torquet
Ilia, & in fauces furit ingens ardor edendi
Pabula præſtolans avidè. Dúmque ampla ferarum
Guttura in eſuriem, Proceres, ac plebis amurca
Conſpicit expandi: Vatem jam fata ſubire
Promptum, continuò arripiunt, rabidóque leoni,

Pro-

Projiciunt eſcam. Sic tollere nempe peroſum
Heroëm exoptant, non tam decreta macello
Pectora, quàm invidiæ feſtiva alimenta daturi,
Viſuríque ſtatim diſcerptos corporis artus.
Verùm inſons Vates Getulos miſſus in hoſtes,
Incolumis degit, validâ virtute ferarum
Fortior, atque truces animos, rictúſque triumphat.
Ac cêu Marmarici flammâ propiore leones,
Viſóque exili quantumvis luminis orbe
Toti externantur, multóque pavore gravati,
Viribus edomitis, deponunt ſæva tumore
Pectora cum ciliis, majeſtatémque refringunt:
Haud ſecùs ad lumen Vatis de Lumine primo
Participans, miro quaſſi fulgore Leones,
Deponunt iræ rabiem, cum ſyrmate magni
Roboris, erectámque altâ cervice jubarum
Promittunt placidè ſeriem, vultúmque, oculóſque
Abjiciunt humili terræ. Jam nulla minantur
Fata, ſed eſuriem, repreſſis faucibus, eſcæ
Plùs avidam nimio, mandante timore repellunt,
Munúſque obſequii præſtant, pronóque verentur
Corpore, non proprio, ſed motu cælite ducti.
Nôrunt cuî domino famularia jura leones,
Officiúmque ferant. Nulli fera bellua ſævum
Infigit dentem, ſi Cælum ſub juga mittat
Indomitos aliàs nemorum, pecudúmque pavores.
Ac ſic in cavea Daniel, cêu Rector Idumes
Aurato reſidens ſolio, ac ſpectabilis oſtro,
Magnanimos inter graditur, plaudítque leones,
Juráque non populis, ſed regibus, atque ferarum
Præſcribit dominis. Hoc Virtus cælica præſtat.
Tradit enimverò Vates, præbétque Magiſter
Haud gnaris documenta aulis; quàm nobile regnum
Poſſideat rebus perituris major, & ægros,
Degeneréſque metus ponens: nec poſſe perire
Quemquam, pro ſupera cupientem lege perire.

Atque

Atque ut ſiderei fulgent vaga lumina mundi
Clariùs in piceis, ſubducto ſole, tenebris:
Haud ſecùs innocuus Daniel circumdatus umbris,
Ac probri barathro, Virtutum lumine mundo
Clarior effulget. Lux hæc Virtutis honoræ
Jugi etiam damnat liventia pectora nocte,
Ac ſolium illuſtrat; quò claro in lumine cernat;
Quantùm intercedat diſcriminis inter inanes
Arſacidûm, Regíſque deos, ludibria mentis,
Et veri cultum cælo, terráque potentis
Numinis, in media tutantis morte clientes.
Interea quem ſæva cohors laniare leonum
Dente truci nequiit; violenta oppugnat edendi,
Atque gravis rabies. Hæc quippe in viſcera dirum
Exerit imperium; tenuat fataliter artus,
Totùmque in maciem vultum deformiter ire
Præcipit, ac animam de corporis æde laborat
Pellere, & immiti confectum extradere letho.
Bis terni jam nempe dies abiêre cibatu,
Ac potu vacui, fatis alimenta daturi.
Nec tamen arcta fames Libitinæ jura miniſtrat,
Nam Cælum annonam dilecto ferre clienti
Deſtinat, impranſúmque cibo recreare laborat.
Fortè Habacuc Divûm interpres per rura vagatus
Jeſſiadûm, agreſtes eſcæ mercede labores
Penſaturus erat Cerealia dona metentes,
Pultémque alveolo clauſam pro more ferebat.
Cùm miſſus ſuperis citò devolat aliger oris,
Arreptúmque comâ Vatem formidine mirâ
Obrutum, in excelſas attollit protinus auras,
Suſpenſúmque tenet citra tormenta doloris,
Cæſarie illæsâ penitùs, nullóque pilorum
Vertice divulſo. Hic pernicibus ocyor Evris
Aliger, Iſacio ſublatum rure Propheten,
Defert Aſſyrias Babylonem verſus ad oras,
Siſtítque in domito Vatem feliciter antro,

Ac pultem Vati Vates deferre jubetur.
Vix hoc officio Cæli defungitur ales;
Se cum mole levat, remeánſque per aëris oram,
Rurſus Idumæos Vatem demittit in agros.
Non ſic Pegaſeo rapitur per inane caballo
Bellerophon. Non ſic victor Danaeius heros
Æthereæ celeri pennâ ſe credidit aulæ.
Quidquod Atlantiades, magni Jovis, atque deorum
Nuntius, haud paribus ſe præpes concitat alis:
Ut cæli genius properis ſecat aëra pennis,
Ac ultrò, citróque volans commiſſa faceſſit
Imperia, ad nutus Superûm ſtare, ire paratus,
Jam verò appoſitis ſolvit jejunia menſis,
Ac vires revocat Daniel, ſpectante leone,
Nulláque invidiâ tacto. Sic ordinat æther.
Vilem equidem pultem Cereali munere miſtam
Transmiſit Numen, facili, exilíque paratu
Confectam, ſed quæ ſaliaria fercula longè
Anteit, ac Latii luxus. Eſt gratior eſca
Sigmate Perſarum, Superûm quam gratia condit.
Nam verum rebus ſuperaddunt aſtra ſaporem.
Sobria ſunt, Cæli quæ mittunt prandia, victu
Opportuna tamen, longævæ congrua vitæ.
Et ſic, non aliter Divûm paſcuntur amici.
Quas verò grates, quæ vota rependerit aſtris
Compreſsâ eſurie; fando quæ Muſa referre,
Ut par eſt, valeat, Suadæ licèt uncta lepôre?
Septima jam nitidum terris Matuta revexit
Purpureo axe diem; cùm Rex ſpelæa reviſit,
Percharo capiti lacrymis, veróque dolore
Juſta ſoluturus. Sed ut in cava luſtra ferarum
Lumina demittit, veſtigia fortè cruenti
Funeris indagans, diſperſáque corporis oſſa:
Ecce tibi Daniel jam tempore conclamatus
Plurimo, in auguſtum lumen ſe ferre ſuperſtes,
Vivens, atque vigens, necdum laniatus aduncis

Unguibus; aut aliquâ mutilatus parte leonum
Rictibus, incolumis totus, cêu rector ovilis,
Innocuas inter plaudens, modulánſque bidentes.
Attonat hoc viſum regalia pectora, ſive
Prodigio ſuſpenſa novo; sêu tacta liquente
Gaudio ab oſtento. Sed nè quis faſcinet error
Regnantem, cautum demittit in omnia lumen.
Ut verò ſenſus omnes errore ſolutos
Perſpicit, atque animum non ullo phaſmate ludi
Advertit Princeps: linguam in præconia ſolvit
Numinis, & tales depromit pectore voces.
Agnoſco Iſacidùm Numen, verúmque Tonantem,
Supremum mundi Dominum, juſtáque colendum
Relligione DEUM, quà ſe ſe porrigit orbis
Machina, & ignivomo decurrit Cynthius axe.
Hoc unum cælo, terráque, maríque verendum
Imperio Numen, quisquis per probra laceſſit
Impia, veſanóque audet contingere labro;
Sive negat factis, meritam ſibi ſideris iram
Advocat, & rigidas æquæ dependere pœnas
Debet Achæmeniæ Themidi. De lege rigorem
Sentiat Aſtreæ, ter magni Numinis oſor.
Vix ea dicta dedit, cùm ſævo protinus antro
Servatum evelli divino thaumate vatem
Imperat Aſſyriæ Rector. Dum verò levatur
Horrificâ Vates, ſceptro exſpectante, cavernâ;
Ac rurſum ſolio percharus ſiſtitur heros:
Continuò Princeps lætis complectitur ulnis,
Non tam gratando heroi, domuiſſe leonis
Indomitos aliàs rictus, fatíque rigorem
Ferreum, & immites ſuperâ virtute ſorores
Subjeciſſe ſibi; quàm vero prædita conſo
Pectora, & Arſaciæ gemmam, columénque tiaræ
Reddita, & Imperii fulcrum. Quò verò perenni
Annorum curſu fidus perduret Achates:
Livorem è medio decernit tollere, corde

Bacchan-

Bacchantem Procerum; nè rurſus grandia Vatis
Facta ſequi valeat, dentéſque inſigat honori
Obliquâ rabie, cuî ſidera ſuffragantur.
Quare confeſtim (ſic legum maxima dictat,)
Talio in authores ſceleris decernitur, æquâ
Aſſyriæ Themidos trutinâ. Damnatur iniquum
Crimen in horrendum ſtructæ telluris hiatum;
Quò meritas pendat pro falſo crimine pœnas,
Inſontíque cadat Virtuti, lege jubente,
Victima, & ultrices agnoſcat Numinis iras.
Nec mora: decreto ſolii comprênſa nocentûm
Corpora tortores raptant, ſancita daturi
Funera; quæ rabidis ſint grata leonibus eſca.
Ac has jam meritas optat fera bellua menſas.
Quippe exul violenta fames jejuna reviſit
Ilia, jámque iterum vacuatâ latrat in alvo,
Inſumítque avidas fauces. Hinc efferа pandit
Guttura, frenatóſque acuit in pabula dentes,
Ac juſtum repetit poſt tot jejunia penſum.
Dum famis impatiens fera præſtolatur hiante
Rictu exoptatam ſeptenis ſolibus eſcam:
En Procerum tremulus fatalem livor ad oram
Conſiſtit caveæ, mortíſque theatra tuetur
Infuſus lacrymis, & inevitabile plangit
Funus, quod meritum citat in tormenta piâclum.
Hìc verò tortor, ſceptro mandante, lacertos
Expedit, ac validis crimen complectitur ulnis,
Illico in horrendam deturbans livida cryptam
Corpora, jejuno victum oblatura leoni.
In ſævam excuſſos Primores more pilarum,
Aut jaculi caveam, necdum fera ſtrata tenentes,
Aëréque in medio volitantes, excipit amplo
Ore leo, eſuriéque fremens demittit in alvum
Ac tumulat vivis aulæ delicta ſepulchris.
Sic ſcelus authores repetit, plectúntque piâclum
Sidera, & in proprias vertunt malè ſtructa ruinas.

DRACONTOMACHIA *Deodati de Gozon.*

RHodum inſulam draco formidandæ magnitudinis, multâ hominum, & jumentorum ſtrage infeſtabat, virulentóque halitu ità aërem corrumpebat, ut nemo hominum, citra præſentaneum vitæ diſcrimen, hanc oram adire poſſet. Quare Magnus Ordinis Magiſter edicto cavit loci acceſſum, Equitibus etiam ſub pœna capitis, & privationis habitûs interdixit. Eo tempore, Rhodi Eques Deodatus de Gozon, ex Gaſconia oriundus, percitus amore nominis immortalis, conſilium capit ad tanta damna auſu generoſo ſarcienda. Negotium ratione orditur, formam monſtri clandeſtino loci acceſſu obſervans. Indè ſub obtentu curandæ rei domeſticæ, Magni Magiſtri veniâ, in patriam abit. Ubi draconem Rhodenſi per omnia ſimilem fieri fecit, comparato unà equo pugnæ peridoneo, & validiſſimis ex Anglia moloſſis. His inſtructus, ſerpentem ſtupeum ſimulato marte identidem aggreditur. Sic ritè ad monomachiam exercitus, continuò inſulam repetit, animi molimen in lucem daturus. Nec mora: dato priùs famulis rerum agendarum negotio, melioris notæ armis indu-

tus,

tus, colubrum adoritur, equo, ac canibus munus ſuum agentibus. Vibratam lanceam perduræ draconis incruſtaturæ validè impingit, ſed ictu fruſtrato. Quamobrem pedeſtri certamine invadendum ratus hydrum, molliori parte colli compertâ, gladium omni vi adigit, ingentémque ſanguinis copiam, ac vitam, non ſinè periculo ſuæ, educit. Proſtratâ felici marte belluâ, rem, ùt geſta erat, Magno exponit Magiſtro, à quo in præmium ingentis facinoris, habitu Equitum privatur, diróque carceri mancipatur. Sed laude Deodati univerſâ Rhodo perſonante, redditur denuo honori priſtino. Quo inſigniter quadriennio perfunctus, cedente fatis Ordinis Magiſtro, in ejus locum votis omnium ſufficitur. *Athanaſius Kircherus in mundo ſubterraneo.*

INgentem herois famâ ſuper æthera notam
Decantare animam, Virtute, armiſque per orbem
Inclytam, & æternâ donatam nominis arrhâ
Calliope geſtit. Non hæc per ſæva Gradivi
Prælia, ſanguineáſque feri ibit Biſtonis iras
Martis in adverſi cuneos, hoſtíſque ruentes
Funera; ſed mirum recinet certamen in hydrum,
Acriſioniados majus virtute; quod heros,
Ac vir ſemideus Celtarum ſidere cretus
Edidit, immortale decus, nominque Garumnæ.
Hoc robur, quò Muſa queat memorabile faſtis,
Aonio cantáre modo; te maſcula Virtus
Supplicibus poſcit votis; ut neſcia vinci
Pectora, Caſtaliis valeat percurrere nervis,

Gurgite Carpathio, Neptuni ſede, Thetíſque
Æquore nativo, tumidis circumflua ſurgit
Fluctibus undarum tellus, ſat nota coloſſo
Solis, clara Rhodos, Phæbæo munere quondam
Ornata, ùt Vates referunt. Quin fertilis auro eſt
Inſula, & emeritis ſedes optata carinis.
Hujus telluris dorſo ſe ſcrupea moles
Erigit, ac vaſtum latè circumſpicit æquor,
Ridétque effuſas bacchantis Nereos iras.
Hanc rupem cavat alta ſpecus, quam ſtruxerat ipſa
Ingenio natura ſuo, longóque receſſu
Per varios tractus cæcas denſatur in umbras,
Horroríque ipſi per concava tecta vaganti,
Horrorem latebroſa creant ſpelæa, metúmque.
At major piceis regnat formido latebris
Monſtrum immane, horrendum, ingens, de Gorgonis atro
Effuſum quondam gremio, tabóque tumeſcens
Theſalo, in exitium, ac mortalia funera natum.
Hoc lethale genus curvo ſe efferre receſſu
Sæpius, ac Rhodios miſerè vaſtare penates,
Ederéque immenſam pecudúmque, hominúmque ruinam
Sævitie plùs quàm Libycâ. Nec funera ſolùm
Funeribus cumulans, infeſtat regia Solis
Limina ad Eoas Phœbi vergentia terras;
Sed quà ſe latè Titania porrigit ora,
Aura fatali vitiat; contagia ſpargit,
Arboribúſque luem, peſtémque novalibus afflat,
Funeſtáque urit quàm plurima corpora tabe.
Cùm verò nemo prægnantes mortibus auras,
Citra diſcrimen vitæ, ſecurus adire
Mortalis valeat; quippe obvia fata vagantur
Undique lethiferis in ſtrages fœta venenis:
Imperium legale Rhodos, Melitéſque Magiſtri
Præcavet edicto: temere nè ductus ab auſu
Quiſquam ſubjectûm fatales viſeret oras.
Unà etiam Rhodiæ pubi, quam ſtirpis avitæ

Glo-

Gloria, Mavortíſque genus, virtúſque cruoris
Prodiga, & ætatis claram diſſeverat orbe,
Indicit pœnas, pro ſummo jure Regentis,
Pendendas juſtæ Themidi, ſi fortè propinquet
Lernææ peſti. Quid quod nudare Gradivi
Schemate, & emeritis non uno tempore ſignis,
Vitæque uſurâ privare ſeverior æquo
Decernit Princeps. Claris natalibus ortos
Stat ſervare diu, rebúſque aptare ſecundis.
Illâ tempeſtate heros, ac Martis alumnus
Impiger, haud uno ſub ſignis fortè merebat
Carpathiis luſtro. Si poſcis nomina: cretus
Gozonâ de ſtirpe fuit, ceríſque Priorum
Inclytus in longam deſcendit lineam avorum,
Ipſe decus generis ſummum, virtutis honorâ
Luce ſuperfundens Proavorum lumina geſtis.
Non ſic immenſi Titan lux publica mundi
Princépſque aſtrorum flammatâ cyclade fulgens,
Subjectum vulgus ſtellarum luce ſerenat
Aureâ, & ardentes cælis aſpirat honores:
Cêu è Liligero clarus Gozonius orbe
Editus, illuſtri virtutum lumine, totam
Majorum ſeriem, famæ, laudíque perenni
Tranſmittit celebrem mundo. Si illuſtria cordi eſt,
Factorum heroi Martis ſpectare theatra:
Unum duntaxat referet perculſa ſtupore
Theſpias, attonitis facinus memorabile ſæclis.
Hic animo invictus Tydêus, pullúſque ſagatæ
Pallados, in tantas fuſum de Gorgone monſtrum
Ire hominum clades cernens, pecudúmque ruinas
Jugiter; in varios verſat ſua pectora ſenſus,
Ac ſecum tacito meditatur talia conſo.
Prô pudor, ac Rhodiæ diſpendia maxima famæ!
Ergóne de tanta Martis virtute, timenda
Boſphoro, & Odryſiis metuendâ gente tyrannis,
Nullus adeſt tumidum qui ferro perdomet hydrum?

Nullus adeſt? Nullus. Vah! quantum dedecus orbi
Proditur, & noſtro labes accedit honori,
Multigenæque probrum ſtirpi. Non iſta ferendi
Par animus nobis ſurgit. Stat tergere labem
Nominis, ac tantæ jacturam tollere famæ.
Ipſe ego funeſtâ decertaturus arenâ,
Bella in feralem colubrum, ferrúmque movebo
Nobile, vel properis ruiturus victima fatis:
Aut telo domiturus hydrum, lethóque daturus,
Æternaturum per ſæcula poſtera nomen
Miſſurus faſtis. Pulchrum molimen adornat
Pectore, quem veræ titillat gloriæ famæ.
Hæc ſecum herous pubes in bella paratus
Ardua, & immanem aggreſſurus Marte ceraſten.
Interea conſum pugnæ verſante ſub alto
Senſu Celtarum Pyrrho; ſe maſcula Virtus
Indomito conſtans animo, majórque furore
Martio, ad heroos de Cælo ferre penates,
Ac talem ante oculos Gozonis ſiſtere formam.
Duratum callo corpus, nullíque labori
Ceſſuros artus, fulgentes unguibus aurêis
Exuviæ inſumunt Maſsyli fortè leonis.
Has zona incingit ſtellato adamante coruſca,
Baccarúmque nitor. Virtus quoque fulget Erythrâ.
Tempora Olympiacæ, victorum præmia, palmæ
Robore Chaonio mixtæ, ſempérque virenti
Daphnidos implexæ frondi, ſertóque coronant.
Defluit Herculeis, bellantûm more, lacertis
Baltheus, hoſtili tinctus, proprióque cruoris
Murice reſplendens. Latus ambit jaſpide clarus,
Fulmineúſque mucro, ruiturus in arma Gradivi,
Cùm ratio tulerit Martis. Lævam æreus umbo
Occupat, innumeris bene ſuffecturus aheni
Objectu telis. Dextram prælongus obarmat
Haſtæ amentatæ conus, millena daturus
Funera, ſi hoſtiles cunei Mavorte laceſſant

Virtu-

Virtutem aſvetam bello. Quid cætera fando
Proſequar? E vultu robuſtæ mentis honores
Proſpiciunt, magnúmque animum, fortémq; loquuntur.
Hæc dea Liligerum Ajacem Virtute potentem
Reddere molitur; quò tandem ſæva colubri
Progenies fatis cedat, terrámque pavore
Eximat, & ſtrages ceſſet cumulare, necéſque.
His verò affatur mavortia pectora dictis.
Heroum ſanguis, Virtute, armíſque Gradivi
Nobilis. Audendum eſt aliquid, quod poſtera narrent
Secula, & attonitum ſuſpendat gloria mundum
Magnanimo emanans facto. Tibi maſcula Virtus
Suppetias feret audenti, ſummíque Tonantis
Gratia ſufficiet vires in fata colubri,
Si modò non renuas. Fortes DEUS adjuvat ipſe.
Eja age, lethalem conceſſis viribus anguem
Protere, prævalido haud dubiè Mavorte domandum.
Hìc immortalis famæ, laudíſque theatrum
Vertitur, ac juges Gozonæ ſtirpis honores.
Nec ſe ſe melior mercandæ occaſio famæ
Obtulit hìc unquam. Virtus eſt Marte probanda.
Eſt equidem hic anceps fortuna, graviſque periclo
Proxima, perdendíque ævi diſcrimen apertum
In colubri rictu expectans. Verùm inclyta Virtus
Per vitæ, mortíſque gradus faſtigia ſcandit
Gloriæ; ut æternam comprêndat nominis arrham.
Nè dubita anguigenum Mavorte laceſſere monſtrum,
Inque vetus revocare chaos, putrémque referre
Materiem cæni; quò fatis libera degat
Inſula, & hoſpitii rurſum det jura, fidémque
Indigenis orbata Rhodos. Sí damna labore,
Virtutíſque operâ reparas, hydrúmque trucidas:
Stabit apud memores æternùm gratia cives
Tanti operis, Solíſque tibi ſacrare coloſſum,
Citra commentum, Rhodiorum grata voluntas
Eliget, atque volet regni ſubmittere faſces.

 Quare

Quare age, & impavidâ monſtrum illicet opprime dextrâ.
Hæc ubi dicta dedit, firmatum robore Celtam
Deſerit, ac liquidas ſe rurſum mittit in auras,
Ad proprias remeans Virtus interrita ſedes.
Hic Ligeris decus, atque Rhodos concurrere ferro
Certum, propoſitíque tenax, verſare diurnâ,
Nocturnâque animi trutinâ; qui Marte laceſſat
Serpentis fatale genus. Stat morte chelydrum
Auferre, ac viduam populis per funera terram,
Tot, tantíſque malis oppreſſam, peſte nocenti
Eximere, ultricíque domare hæc noxia ferro
Toxica, Gorgoneámque luem demittere ad oras
Tænari, & Herculeæ ſerpentem jungere echidnæ.
Dum firmata tenet mentem ſententia, in actum
Ducere molimen cordis, Lernáque profuſum
Exſtirpare malum: magni ſe jura Magiſtri
Obvia ferre animo, cœptum prohibentia conſum,
Sub certo deperdendæ diſcrimine vitæ,
Schematéque heroo, quo plaudit nobilis ordo.
Nominis opprobrium revocat. Quis magna parârit,
Ceſſura in labem generis, meritíque ruinam?
Ecquò ſe dubio rerum Gozonius æſtu
Vertat, in ambiguo eſt. Hinc quippe ſevera Magiſtri
Imperia, in facinus meditatum exire morantur,
Suppliciíque minæ retrahunt: hinc publica rerum
Cura citat, certámque jubet prævertere cladem,
Exitiúmque Rhodi, miſeram quod dejicit oram.
At bene librato dubiarum momine rerum,
Publica privatis, rationis lege, jubentur
Commoda præferri. Lubet ævum offerre rigori
Decretæ mortis, rigidíſque accedere fatis
Unum; quò plures, confecto fortiter hydro,
Indigenæ longum deducant leniter ævum.
Quare iterum firmata manet ſententia, nullis
Infringenda minis pœnarum, ac cedere duris
Neſcia, in immanem convertere ſæva ceraſten

Præ-

Prælia, cêu Virtus ſvaſit. Tentanda Gradivi eſt
Alea. Vel properis vult cedere victima fatis,
Lethiferóque dapes colubro præbere: vel anguem
Sternere, & in dirum pro libertate Rhodorum
Supplicii ſe ferre genus, quod lege Magiſtri
Ordinis edictum eſt. O mens æquanda Quirinis
Mentibus heroum, nullis ceſſura Metellis,
Æacidi Danaum nulli. Sed mente paratam
Arcanâ belli ſeriem jam exire volentem,
Maturè gentis Rhodiæ Torquatus adornat.
Nè verò temeris in pugnam proruat armis;
Verſutam orditur fraudis contexere telam;
Quâ tandem valeat mentis ſancita parare
Certiùs, ínque trucem ferri ſecurior anguem.
Hinc primùm tutas, nullo arbitrante, latebras
Eligit in technas, exploraturus echidnæ
Corporis horrendam molem, variámque colorum
Artubus infuſam ſeriem, totámque draconis
Indagaturus vigilanti lumine formam.
Provida bella gerit. Digeſtus mente Gradivus,
Conſóque inſtructus, victrici fine beatur.
At quæ ſe heroi ſpecies tetra objicit hydri?
Ingens membrorum compages, vaſtáque moles
Corporis, à multa nutritum ſæpe ſagina,
Longiùs exſuperat taurum: vel forſan obeſum
Cornipedem tumidâ coluber pinguedine vincit.
Ardua colla levat variè protenſa trabali
Ordine; quæ veluti nodoſo robore cortex
Aſperat, atque atro pingit natura colore,
Cæruleáſque addit jugulo, miſcétque coruſcas
Auri luce notas. His cervix inſidet, atque
Horrendum viſu caput, ac mirabile dictu,
Gorgoneam ſpecie referens livente figuram,
Quod geminas inſtar mulorum exporrigit aures.
Evomit ignitas rutilanti lumine flammas,
Ingentéſque hinc, indè oculorum projicit orbes

In

In prædam vigiles. Patulis è faucibus ignem,
Atque unà ſaniem tetro confuſam aconito
Depluit, ac trepidas exurens enecat herbas,
Lætáſque abſumit meſſes, Ceteríſque trucidat
Regna immitis hydrus. Linguis micat ore triſulcis,
Vulnificóſque acuit, ſtridore immanè crepante,
In paſtum dentes, tabo ſpumante fluentes.
Inſtructus quatuor pedibus procedit, acuto
Ungue recurvatis. Quod ſyrma, ac cætera membra
Attinet, à Phario vix quicquam diſcrepat angue
Niliacis infeſto oris. Verſatile corpus
Mirè incruſtatum, ſquamis crepitantibus horret,
Duritie innatâ luſuris ferrea quæque
Spicula, & hoſtiles in metam funeris enſes.
Ampullare latus geminis protuberat alis
Cartilagineis; quis ſuppar fortè colore
Branchia Phocarum eſt. Has format parte ſupernâ
In glaucas natura notas, ac cærula Ponti.
Purpureo infernè rutilant, luteóque colore
Miſcentur pennæ, reflexo Sole nitentes,
Atque exſternantes auras. Prô qualis echidna!
Quam nunquam mundo vidit Tyrinthius heros,
Cùm forſan coluber ventoſas explicat alas;
Uſque adeò celeri defertur in obvia motu;
Ut partim denſum videatur inane volatu
Scindere, & uncatis partim procedere plantis.
Hoc rapido curſu, ac Cauros æquante volatu,
Omnia prævertit; quæ in pinguia cedere poſſunt
Pabula, quadrupedes omnes pernicibus alis
Longiùs exſuperans. Non anguem præpes Achillis
Xantus, vel Balius, nec non Pollucis habenâ
Cyllarus immitis domitùs, bijugéſque caballi
Præcipites Martis valeant prævertere curſu.
Dum certam ſerpens properat contingere metam:
Squamarum ſtrepitu, teſtáſque imitante retuſo
Murmure, & horrendo ſtridore, ſtupentibus auris,

Sibili

Sibili inane petens, longè, latéque per ora
Diffuſo Melites, vicinas attonat urbes,
Ac penè exanimat trepidas formidine gentes.
Hanc colubri horrifici formam, varióſque draconis
Obſervans actus exterſo lumine Gozon :
Illicet ad magnum ſe ſe conferre Magiſtrum ,
Atque poteſtatem fieri ſibi ſupplicat heros
Impiger, ad proprias remeandi protinus oras ;
Quò ſe ſe exſolvat curis, quæ jura repoſcunt
Patria, componátque domum, rebúſque futuris
Ordine proſpiciat Themidos. Nec vota fefellit
Princeps Aſtreæ fautor. Sed ſtirpis avitæ
Surculum in immenſas venturum tempore gazas,
Viſere natales patrio pro jure penates
Præcipit, ac proprium ſcitè curare tributum ;
Quod fortunâ favet ſtirpi, generíſque nepoti.
Hoc ſub commento, quod publica fingere juſſit
Cura Rhodi, patrias confeſtim viſere ſedes
Heros, ac ingens molimen pectoris alto
Nocte, diéque animo, curâ vigilante, agitare,
Viſurúmque diem facinus. Vix Celtica tangit
Limina, natalémque ſubit Gozonius aulam :
Continuò mentis prægnantem effundere conſum
Sollicitis ardet ſtudiis, tacitíſque parare
Sedibus horrendum, quamvìs umbratile bellum.
Conſilio eſt felix Mavors, laudémque meretur.
Daphnida lucratur citiùs, qui prævìè adornat
Bella domi. Nunquam dubiis Prudentia rebus
Se temerè extradit. Bellorum eſt alea ſemper
Anceps, quæ caſum ſequitur. Solertia mentis
Omnia prævertit, quæ fortè obtingere poſſent.
Atque ità ſe cautus componit in ardua Gozon
Prælia, conſilio prudentem Neſtora vincens.
Quî verò occeptum pugnæ molimen adaptat ?
Fortè è Niliaca vili de ſorte papyro,
Ac floccis ſtupâ enatis, ſimulacra Rhodenſis

Effor.

Efformat colubri, portentum imitantia vivum,
Membrorúmque omnes tractus. Hos Francus Apelles,
Ac Zevxis vario fingit, tingítque colorum
Ordine, & æqualem prorſus, parilémque ſtaturâ
Phidiacum format ſcalprum, fædúmque torevma
Fabricat; ut verum nemo non eſſe chelydrum
Arbitrio ſano reputet, ſi munere vitæ
Intus gauderet. Conflato Mentoris arte
Immani oſtento, generoſum protinus alto
Comparat alipedem pretio. Vix Thracia talem
Effudit Rhæſo. Cervix ſublimior armis
Exſurgit capite arguto, tergúmque rotundat
Prævalidum robur; deſcendit curtior alvus,
Et pectus ſolidâ ſtructum compage reſultat.
Hic velut Adraſti frenis aſvetus Arion,
Arrectâ cervice fremit, pulchróque jubarum
Ordine luxuriat per colla jocante, per armos.
Omnibus in pugnam tremit artubus, armáque poſcit
Seſſori in dextram veniant. Hinnitibus auras
Complet, præſagum jam cantans voce triumphum.
Cornipedi impavido ſpiranti nare Gradivi
Munera, & effuſis volitanti in bella lupatis,
Adjungit geminos fidâ virtute moloſſos,
Nebrophono cretos Britonum, validóque tororum
Robore præſtantes. Hi rictu, ac dente minantur
Vulnera, & in Domini nunquam non juſſa parantur.
Hoc ritè inſtructus gemino Mavortis alumnus
Præſidio, in larvam pugnæ ſe protinus aptat.
Ac fidum primò famulantûm munus in aptam
Deſtinat officii partem, vacuámque ſubire
Arte efformati ſerpentis præcipit alvum,
Ac variis animare modis, ſenſúmque draconi
Addere, & anguineo monſtrum procedere greſſu.
Jámque huc, ac illuc doctis oſtenta moventur
Servorum ſtudiis; per ſpartea vincula vita
Fingitur, ac ductrice manu, nunc horridus oris

Rictus

Rictus hiat: modò ſyrma hydri torquetur in omnes
Appoſitè partes: ſtreperas jam concutit alas,
Miráque ceu vivus coluber ſpectacula præbet.
Hic verò Gozon vectus pugnace caballo,
Jam gnaro officii, ferrato calce ſubire
Præcipit orcheſtram Martis, ſimulatáque ducit
Prælia, & in luctam confictum provocat anguem,
Inſultans variè monſtro. Deìn fida lyciſcæ
Obſequia, in fictum rabidos defigere dentes
Urget hydrum, ac certis morſus inferre draconis
Artubus, immotúmque loco firmare valenti
Robore, & in metam telorum aptare ceraſtem.
Atque hoc larvato belli molimine, binos
Inſumit Dictynnæ orbes, uſúque frequenti
Comparat ad pugnam fidos Mavortis achates,
Ferre recuſantes freni moderamina, viſâ
Ficti mole hydri. Jam pugnæ ardore tenentur,
Non porrò ſtupam, ſed carnea membra petentes.
Unde exoptando molimen fine beandum
Jam minimè ambiguus Gozon, ſimulata relinquens
Prælia, continuò Rhodias reflectit ad oras,
Quadrupedem doctis jam gnarus flectere loris,
Servili comitante globo, ac ſtipante moloſſo
Sedulè utrumque latus. Sic Martis adibit arenam.
Vix ad Carpathium littus, notámque coloſſo
Solis, Mavortíque ſacram remeavit in oram;
Conceptum dudum facinus jam cordis opaco
Ampliùs haud patiens velari, tradere luci
Publicæ, in auxilium Rhodiorum protinus ardet.
Nè verò in dubiam temerè deſcendat arenam
Numinis auxilio caſſus; vicina draconi
Delubra inviſit vero ſacrata Tonanti,
Oraturus opem Superum. Nil cælite caſſus
Robore, præclarum quicquam deducit in actum.
Hinc ſupplex cadit ante ſacras Mars Celticus aras,
Cælicoláſque in vota citat, robúrque domandi

Flagitat ardenter colubri; quò dedita Cælis
Pectora Chriſtiadûm ducant immunia fatis
Sæcula, & expertes vitæ diſcrimine cives,
Perſolvant aſtris grates, cultúmque frequentent
Numinis, ac Pietas veteres reflectat ad oras.
Hæc, & plura ſacras effundens pronus ad aras:
Sentit in adverſam validas ſibi creſcere vires
Infamem necibus Lernam. Jam fata parantur
Belluæ in exitium natæ. Ferro occidet hydrus,
Nec mora, progenies Divûm Gozonius heros,
Robore Cælorum fultus, ſe protinus armis
Induit, in nocuum moturus bella colubrum.
Ærifono thorace artus, ac vivida Marte
Pectora præmunit ferro, rigidóque Gradivi
Tegmine, Lemniaco nuper ſudore polito.
Arboreâ, ferróque gravi corroborat haſtâ
Dextram, non anceps funus mucrone minantem.
Fulmineum lateri, fidúmque accommodat enſem,
Sæpius Odryſii jugulo Mavortis acutum,
Haud dubium monſtri fatum. Tum terga caballi
Mole equidem gravis armorum, ſed perlevis arte
Inſilit, immotúſque ſedens, in bella paratus,
Hoc famulatricem affatur ſermone coronam.
Fida cohors, nobis non uno cognita luſtro.
Continuò aërium ſcopulis pendentibus antrum
Tuta ſubi, luctæque modum, quem prævia pugnæ
Digeſſit ratio, ſpectantis more tuere,
Non animis trepidans, oculíſque horrentibus atrum
Deſpectans funus; quod nobis fata, vel hydro
Ordine decrevêre æterno. Si mihi Cælum
Deſtinat extremam pro multo crimine metam
Florentis licèt ætatis, rictúſque chelydri
In noſtrum referat lethum, præbétque draconi
Pabulum, & illuſtrem ſerpenti porrigit eſcam:
Terga fugæ date continuò, pedibúſque ſalutem
Quærite: nè ſævi pœnarum fortè rigores

In vos conſurgant, Rhodii quos Principis urna
Sanxit: vel forſan vobis vicinior hydrus,
Prævertens curſu perimat, rictúque feroci
Sorbeat ignavos. Si verò fata propinquant
Carpathiæ monſtro; cêu nobis robur ab alto
Submiſſum, ſperare jubet, peſtémque tot annis
Sævius afflictis graſſantem tolleret oris:
Ac forſan colubro præſenti morte natanti,
Nos virus nocuum afflaret: Chironia ferte
Pharmaca, Apollineis recreantes illico ſuccis
Defectos artus. Id virtus veſtra, fidéſque
Afflicto præſtabit hero, penſanda favore
Plurimo, & aggeſto, quod bulgâ perſtrepit, auro.
His ritè edoctis, generoſo robore mentis
Se ſe præmunit, nullis ceſſurus iniquis
Fortunæ telis. Rarus Virtutis alumnus
Irruit in variam, miſſâ formidine, ſortem.
Unde iterum impavidos mittens in pectora nervos,
Bellerophontæo vehitur per inane caballo,
Fæda Meduſæi generis miſſurus in orcum
Germina, & immanem ferro domiturus echidnam.
Jámque cubile petit ſqualore, ſitúque draconis
Horridum, & intrepido ſpelæi informe barathrum
Marte ſubit, colubro belli indicturus arenam.
Siſtit. Sed cùm nec motum, nec ſibila Gozon
Arrectâ licèt aure bibit; clamoribus urget,
Ac ſtrepitu armorum, portentum fortè ſopore
Obrutum, & in martem, quo neſcio murmure linguæ
Provocat intrepidè, tacitíſque excire latebris
Nititur oſtentum. Repetito ſæpe fragore,
Bellua, cêu longum rupiſſet Morphea Gozon
Chromate perſtrepero, corpus, pennáſque jacentes
Erigere, & tumidos tabo feraliter artus
Excutere, ac ſtreperè cæco ſe evolvere luſtro.
Stridula vicinare ſibi, formidinis expers
Sibila dum ſentit Gozon, crepitúmque venire

Ac ruere è crypta, furiis comitantibus, anguem;
Quadrupedem flectens, in aperti jugera campi
Proſilit, appoſitáque heros conſiſtit arenâ,
Exſpectátque hydrum. Vix antri contigit oram
Gorgoneus ſerpens, ac primo lumine, flammas
Ejaculante, videt Mavortem terga prementem
Cornipedis; prædæ certâ ſpe ductus opimæ:
Præcipiti non tam curſu, quàm fortè volatu,
Remigio alarum adjutus, defertur in æquor
Camporum, atque fami præſentem deſtinat offam,
Exacuens vaſtos rictus. Prô plena periclis
Alea, quæ attonitam reddit ſpectando Camænam.
Interea bello inſtructos præmittit in hoſtem
Nebrophonos Gozon, nîl monſtri phaſma timentes.
Hi ſubitò invadunt colubrum, quâ parte dabatur
Innocuè, atque loco ſiſtunt Pythona furentem.
Certantem variè Ichnobati dum cernit Achilles
Francus ſerpentem: prælongam dirigit haſtam
Fatali horrentem ferro, rectoque volantem
Ordine quadrupedem, pronum Mavortis in auſus
Ducit, & objectam ſatagit contingere metam.
Poſtquam funeſtum propior jam contigit hydrum:
Advocat in dextram vires, librátque trabalem
Lanceam, & ingenti, furioſo percitus œſtro,
Robore, præduram colubri, reboantibus auris,
Incruſtaturam non uno verbere tundit.
At caſſo effectu. Nam ſquamis ære rigenti
Plùs ſolidis validus Gozonis luditur auſus.
Quippe abit in multas ferratum miſſile partes,
Atque ità præcipuo, cui plurima credidit, orbus
Præſidio armorum, jam aliò convertere mentem
Cogitur, ut cœpto veniat victoria Marti.
Ergo DEO, ac Superis in bella ſecunda vocatis,
Excuſſo pedibus ferro, delabitur alto
Cornipede actutum, certamen inire pedeſtre

Cum monſtro ſtatuens, meliori ſorte Gradivi
Forſan ceſſurum. Quare diſtringit acutum
Vaginâ chalybem, dextrámque hoſtiliter armat:
Ægide præmunit rutilâ fulgore ſiniſtram,
Hydrúmque accedit. Cernens ſua fata ceraſtes
Acceſſiſſe ſibi propiùs, ſuſtollit in altum
Illico corpoream molem, ritúque parati
In fera bella viri ſe ſe erigit, ungue tremendo
Occurſura hoſti, luſuráque tela Gradivi
Bellua terrificis, quæ natura attulit, armis.
Interea Rhodiæ non fictus Delius oræ,
Pythona aggreditur, firmatum dente moloſſi
Uno côdemque gradu. Cauto decurrit in omnes
Corporis obtutu partes, aptámque requirit
Mucroni irato metam; quâ immania figat
Vulnera, in haud dubium funus ventura colubri.
Et verò colli pars mollior apta probatur
Diſtricto chalybi; quâ jam ſuprema videntur
Fata ſedere hydri. Jam Erebo vicinat echidna,
Dúmque hæc uncatis pedibus comprêndere tentat
Gozonem, ac dextrâ peltam, corpúſque ſiniſtrâ
Comprimere herois: fatales effugit ungues
Solerti ſtudio, ferríque mucrone rigenti
Mollia transadigit colli, verſátque, rotátque
Ancipitem ſicam; dum vaſtum extundat hiatum;
Per quem vipeream exturbet cum ſanguine vitam.
Et verò haud modicum gladio foſſore cruorem
Educit ſanie mixtum, varióque fluentem
Toxico, & halantem nocuos per inane vapores.
At cùm per corpus diri tormenta doloris
Cauſati ferro excurrunt, vexántque, premúntque:
Bellua præcipites, rabidáſque exſurgere in iras,
Vindictáque ardens, fædam protrudere molem
Corporis immenſi, nigróſque exporgere dentes,
Hamatóſque pedes, Gozonem perdere tentans

Extremo anniſu. Sed quantò ſe admovet hydrus
Exitio herois propior, rabiéque propinquat;
Tantò is vulnificum defigit in ilia ferrum
Altiùs, ac veluti dentatæ munere ſerræ
Turgida percrebro lacerat præcordia ductu,
Ingentémque parat fatis, animæque meatum.
Hinc manat pleno ſanguis teterrimus alvêo,
Confuſámque vehit ſaniem, virúſque malignum
Halat, præſentémque necem. Dum plurimus atro
Gutture dimanat ſanguis, ſe vita, vocari
Nomine vitali non digna, è vulnere trudit
Unà, & cognatam viſit Phlegetonte Meduſam.
Atque ità jam vitâ orbatus, nervóque Chelydrus
Concidit, ac unà (prô Muſa horrore tremiſcit,
Avertítque oculos, & fandi munere caſſa
Obticet) ac unà Gozonem (Muſa reſume
Heroam extemplò virtutem) mole ſtupendâ
Obruit exhauſtum tanto certaminis auſu,
Vipereóque malo fractum, tetráque mephiti
Exſpirante necem. Prô fata recedite Martis
Corpore; cui vitam Cælorum deſtinat ordo.
Cùm penè exanimem vaſtâ ſub mole jacentem
Fida cohors ſpectat famulantûm: protinus alto,
Præcipitíque ruit clivo, celerátque, volátque,
Atque laboranti, mediáque in morte natanti
Illico ſuccurrit. Jam armis, ſudibúſque retrudit
Pergrave ſerpentis pondus; quò ſervus herile
Oppreſſum valeat corpus relevare, ſibíque
Reddere, victricémque animum revocare, merentem
Neſtoris, ac Pylii vitam; qui pluribus ævum
Attulit hoc facto. Submotâ mole colubri,
Relliquias, ac ſigna notant vitalia membris
Degere, ſpirantémque animam. Quare illico fidus
Officio ſervus, vicini fluminis orâ
Haurit villoſis præſenti ſorte galeris

Fri-

Frigidam, & in dominos effundit largiter artus,
Defectas reparare ſtudens per flumina vires.
Nec caret effectu laſſo circumfluus humor
Corpore; ſed nervos recreans, membríſque vigorem
Sufficiens, clarum vitæ facit argumentum.
Inde Machaoniis conſpergunt tempora lymphis,
Cardiacíſque levant phialis, Phœbæáque præbent
Pharmaca, lethiferum pellentia corpore tabum,
Ac nocuum virus. Lætum provivet in ævum.
Vix ſibi Pœoniâ Mavors eſt redditus arte:
Continuò firmos medicatu ſurrigit artus,
Atque animo plaudens de ſtrato fortiter hydro,
Alipedem inſcendit, volitátque per æquora ruris,
Clara reviſurus Rhodiorum pergama Gozon.
Perge bonis avibus, te fama ſequetur honoris,
Æternúmque decus. Virtutem hanc differet orbe
Haud fallax rumor, noménque in poſtera tradet
Sæcula, & excelſum generi, Celtíſque theatrum
Eriget in laudes, facinúſque ad ſidera tollet.
Deucalioneus ſit poſthac fabula ſerpens,
Thymbræi fuſus jaculis. Jam verior orbi
Arcitenens ſurgit; verum Pythona per annos
Bacchantem Rhodiis qui ſtravit fortiter oris.
Vix Melitæ aſſertor, Tegeæo vate triumphis
Clarior, ad notam cum plauſibus appulit urbem:
Supremi actutum, magníque ſubire Magiſtri
Limina, & officio revereri, ſéque Gradivi
Reddere muneribus, tandémque hæc pauca profari,
Magne Rhodi Princeps, quem Carpathos ora veretur,
Odryſiæque timent gentes. Si fortè ceraſtem
Hucuſque expavit tua mundo cognita virtus
Martia, jam poteris formidine vivere caſſus.
Hoc lateris fulmen, meritas quod Numen in iras
Accendit, nocuum tot luſtris contudit anguem.
Jam fera peſtis humum mordet, nigróque cruori

Innatat, haud ullo poſthac nocituta veneno
Gentibus, ac arvis. Nec Gozon plura locutus.
Accipit hæc Princeps. Tum talia fulminat ore.
Quò te cæca tulit, deménſque audacia pubes
Inconſulto animi voto? Temerarie, præceps,
Imprudénſque auſu, Martis duntaxat Ephebe?
Ergone effugêre tuam rigidiſſima mentem
Decreta, ac legum ratio, quæ cavit adire
Lethiferum colubri luſtrum? Quis talia ſvaſit?
Ergóne poſthabeat pubis liberta ſeverum
Principis arbitrium? Non ſic tibi crimen abibit?
Lex violata petit meritas de crimine pœnas.
Impune unîus delictum, ſyrma malorum,
Noxarúmque trahit connexa volumina. Juſtam
Legem abjeciſti; legi quoque pendere pœnas
Ordo jubet Themidos. Non te decor ille manebit
Ampliùs illuſtris chlamydis, quem ſacra Gradivo
Turma gerit. Te te pœnarum dira ſequentur
Fulmina, quæ temero præſcribunt jura piâclo.
Dixerat, & rigido virtutem carcere mulcat,
Compingíque cavo jubet, innectíque cataſtis.
Hæc ſunt virtutis nonnunquam præmia. Merces
Debita, quæ facinus ſequitur cum laude patratum,
Eſt illuſtris honos. At ſæpe intercipit illum
Dedecus, & claram tenebroſa opprobria famam
Crebriùs offundunt. Penſatur gloria probro.
Gozonem domito felici Marte colubro,
Spes obventuri haud vanè lactabat honoris.
Verùm aliter cecidit mutabilis alea ſortis.
Sed quæ differtur, tandem venit aucta tributo
Gloria, & opprobrium cumulato penſat honore.
Atque hæc expectant heroëm fœnora laudis.
Dum gemit adverſam ferrato carcere ſortem,
Lætatúrque unà ſtratum Mavorte ceraſtem:
Interea Rhodias volitans pennata per oras

Fama

Fama refert, domitum Gozonis Marte draconem,
Atque obtruncatam peſtem compluribus annis
Noxiam, & in proprio colubrum natitare veneno.
Carpathus hìc adhibere fidem. Nam rumor ab arvis
Nuntia confirmat famæ, viſúmque reportat
Sæpius oppreſſum ferro victrice colubrum,
In Panos regno ſtratâ procumbere vitâ.
Hinc tota in plauſus effundi Cynthia tellus,
Exultare animis omnes, Pœánque ſonare,
Undique, & innumeras feſtivè dicere laudes
Impavido heroi; regno qui ferre ſalutem
Edomitâ voluit, valuítque tyrannide monſtri.
Non talem, Heſperidum poſtquam Tyrinthius heros
Devicit colubrum, celebravit Achaia plauſum:
Qualem Carpathiæ læto de pectore fundunt
Ingeminántque oræ, terrore, timore ſolutæ
Infeſti regno monſtri. Dum ſpectat ovantem,
Jubiláque edentem populum; cui cura ſupremi
Ordinis eſt Equitum clarâ de ſtirpe ſatorum,
Maturóque animi ſecum libramine penſat
Heroæ virtutis opus, regnóque ſalutem
Enecto rediiſſe hydro, meritíſque venire
Præmia: confeſtim de cæco carceris antro
Eximit impavidum Celtam. Nam luce meretur
Gloriæ adornari; cujus virtute paratur
Lux multis vitæ. Quare inclyta facta reponit
Muneri, & illuſtrem, quâ plaudunt cætera Martis
Agmina, reſtituit chlamydem, veteríque remittit
Gloriæ, & inſignes geſtis diſpenſat honores,
Virtutis meritæ pretium. Nec maſcula virtus,
Quæ nocuum potuit ferro devincere monſtrum,
Unquam ſegneſcit; ſed ſpirat fortia ſemper
Prælia, & Odryſiam mirando robore Lunam,
Dum bellorum orcheſtra petit, de finibus arcet
Carpathos, innumeráſque refert de Biſtone lauros.

Poſtquam ità bis geminos armis felicibus annos
Gozonis virtus complet, Libitina Magiſtro
Ordinis indicit ſupremam funeris horam,
Lethæúmque jubet Mavortem carpere ſomnum.
Vix ſua in æternam concludit lumina noctem
Regnator Melites : mox ſuffragante popello,
Ac cunctis Procerum votis, Equitúmque corona
Adſtipulante, gradum ſupremi jure Gradivi
Occupat, atque capit faſces, regníque tiaram,
Dignus in Auſonios ſua geſta inſcribere faſtos.
Quis neget & Ligeri, Franciſque enaſcier oris
Amphitryoniades, in fortia quæque paratos
Prælia, ſi nullo vincendos Marte colubros
Celta domat? Sic eſt, Alcides Matrona gignit.
O utinam Ambracium ſternat quoque Vaſco chelydrum!

ABSOLONIS
Patri perduellis
interitus.

2. Reg. 18.

DAvid ritè ordinato adverſùs perduellem filium exercitu, dat militi in mandatis, à cæde Abſolonis manus abſtineat; ut ſervato pœnitentiæ locus detur. Explicatâ utrinque acie militari, calent in pugnam animi, his pro Virtute, illis pro ſcelere ſtantibus. Vix conſerto certamine, Abſolonis copiæ turbari, verti in fugam, & quò quemque ſpes evadendi ferebat, eò ſe non ſinè diſcrimine vitæ proripere. In fuga non erat ultimus belli primus incentor. Penetrat effuſo curſu ſubter condenſam quercum; cùm ventilante cæſariem aurâ, ſubitò hæret capillis implicitus ramo, tralabente jumento. Id accipiens Joabus militiæ Præfectus; inſuper habito, contemptóque Davidis imperio, ternas breviores lanceas in pectus defigit pendentis. Ducis exemplum ſecuti armigeri, pluribus vulneribus inflictis, palpitantem interimunt, ac quercu exſolutum, in profundam abjiciunt foſſam, ingenti lapidum acervo ſuper

 cada-

cadaver injecto. David intellecto Abſolonis funeſto interitu, planctu deperditam ejus ſalutem proſequitur.

DIvinæ Rhamnuſis opus, plectentis acerbo
Verbere commeritos maleſvadi criminis auſus,
Atque immorigerum fatali ſtipite natum
Triſte levantis onus, recinit commota dolore
Lugens Calliope. Nunquam delicta rebellis
In Patrem ſobolis, pœnæ effugêre reatum.
Aut vindex Numen rigidas in tempore pœnas
Exigit; ut ratio noxæ depoſcit, & æqui:
Aut ferit æterno natorum crimina flagro.
Has ritè expenſas Superûm libramine pœnas,
Ac juſtas Aſtreæ iras, quò Muſa calore
Heroo recinat; non Phœbi flagitat ignes,
At diæ Nemeſis flammas; queîs ferveat iræ
Caumate, & in meritos vertat ſua plectra furores.
Fortè Moachides, ſive Abſolo, nuntia famæ
Accipiens, patrium jam tranſmiſiſſe Gradivum
Jordanis flumen: non neſcius, omina lauri
Victricis celerem nonnunquam expoſcere Martem;
Ipſe ſuas pariter per nota fluenta catervas
Trajicit (indignante reor Jordane, rebellem
Ferre ratem) terrâque locat Galaditide caſtra,
Haud procul à ſepto, cuí ſe prudentia Patris
Credidit, ac Martis. Genitoris perfida proles
Appropiat fatis; ſed quæ Adraſtea reflectet
In caput authoris. Crimen Rhamnuſia plectet.
Poſtquam Jeſſiadûm Rector, præſentia nati
Agmina in obſidium, certo rumore, venire
Accipit: explorat maturum pectore conſum:
Quí belli ſubeat citra diſcrimen arenam.
O felix Mavors, cuî provida cura miniſtrat!
Quare continuò Princeps clypeata virorum

Agmi-

Agmina diffuſis decernit ſpargere campis,
Non expectatâ, quæ clauſtrum incingere ſanxit,
Hoſtili armorum furiâ. Jeſſeïus heros
Viribus eſt equidem inferior? ſed momine cauſæ
Longè Thariacum, quod perfida ducit Erinnys,
Exſuperat robur. Plùs virtus quippe Gradivi
Æquâ lege valet, quàm fretus crimine Mavors.
Hac ſpe Jeſsides lætatus, dividit arma
Confeſtim in ternas acies. Stat prima Joabo
Credere ſigna Duci, luſtris compluribus armis
Inclyto, & à fidei comperta laude probato.
Sarviadi ejus germano venit altera belli
Area, in adverſas ſcitè impellenda phalanges.
Tertia in Ethain, Gethæâ ſtirpe profuſum,
In paucis ſolio fidum cadit alea Martis.
Atque ità diviſis per munia terna catervis,
Ipſe unâ Princeps animo Mavortis arenam
Deſignans, tales effundit in agmina voces.
Eja agite Abramides, Cælo, regnóque ſacratæ
Viribus invictis gentes. E lege Tonantis,
Juréque Thariadûm, Superis, ſceptróque rebelle
Præcipimur frenare genus, chalybiſque furore
Frangere; quò noxam profuſo ſanguinis imbre
Expiet, ac meritas pendat pro crimine pœnas.
Præcipit iſta Themis. Nemeſis jubet arma movere.
Virtuti ætheræ populi confidite. Numen
Auxiliatrices non differt mittere dextras.
Fidite, victrices venient in tempora frondes;
Quas bonitas cauſæ nunquam non jure meretur.
Hac ſpe confiſi, vobiſcum Martis inimus
Aleam, & in primas hoc ferri fulmine turmas
Intrepidè irruimus. Pro ſceptro bella geremus;
Quod propenſa DEI conceſſit gratia nobis.
Hoc Duce Thariades in prælia juſta volate.
Dixit, & orcheſtram jam Martis adire parabat.
At verò populus metuens diſcrimina tanto

Prin-

Principi, in unanimem conſpirans illico ſenſum,
Chromate contento vocis, diadema ſubire
Ancipitem prohibet ſortem. Quare illico pubes
Martia proclamat: Rex non exibit Idumes.
Nos etenim bellare juvat pro Regis honore,
Incolumémque diu regno ſervare Monarcham.
Si fœdæ dare terga fugæ, pedibúſque ſalutem
Quærere, nos major vis fortè coëgerit hoſtis:
Atque metat noſtras furialis dextera turmas:
Haud magnos edet plauſus, parvíque ruinam
Ducet proſtratæ gentis. Victricia magnos
Signa perire volunt. Mavors per celſa vagatur.
Hinc ſi Jeſſiadûm caput opprimat ira Gradivi,
Atque Palæſtinæ columen ſubvertat in ora
Martis; feſtivos ducet per regna triumphos,
Inſolitum pæana canens. Non ergo fideli
Præſidio exibit verus Regnator Idumes.
Unus quippe venit pro denis millibus heros
Inclytus; à cujus dependet vertice, noſtra,
Regnorúmque ſalus. Vix iſta fidelibus auſis
Effudit populi affectus, teſtantis amorem
Principis Iſacidûm; quo cardo vertitur Hebri:
Actutum in gentis votum deſcendere Rector,
Et fidei populi paucas has reddere voces.
Quod vobis rectum, conſo dictante, videtur;
Id præſtare juvat veſtro fulcimine nixum
Judææ ſceptrum. Felix diadema, quod æquam
Subjectæ mentem gentis, dum commoda regni,
Diſcriménque petit, recipit, populúmque viciſſim
Obſequio facilem, ſolii pro lege gubernat.
Si Ducis, ac populi ſint mutua ſenſa, perenne
Imperium ſtabit, nullis penetrabile telis.
Atque hæc Thariacis fidei commercia terris
Davidem, ac gentes inter firmata manebant.
Dúmque Palæſtinæ Princeps ſtatione, fidele
Arbitrium ſequitur Chananæi civis, & urbis

Præſidio tutus remanet, ſe terna levare
Signa Ducum, in belli citò deſcenſura palæſtram.
Pergite, quò Cæli leges, veſtrique Monarchæ
Gloria jure citant. Victrix vos palma moratur.
Jámque cohors volitare equitum, peditúmque caterva
Ordinibus diſcreta gradi, labaríſque Notorum
Flamine criſpatis, certi fluitare triumphi.
Dum celerare videt, conſiſtens David ad urbis
Oſtia, Mavortis pubem, flammíſque Gradivi
Ardere, hoſtilémque avidè exoptare cruorem:
Summâ demandat curâ, obſtringítque ſeverè
Primos, atque imos: nè dextras cæde cruentent
Nati Jeſſiadûm Regis. Servare juventam
Soſpitem, & incolumem pietatis reddere caſtris
Optat; ut ad tutum Metanœæ currat aſylum,
Ac ſceleri veniam renovatis moribus oret.
Vix hæc præcepit; Bellonæ robora campi
Planiciem invadunt, meſſuri protinus arvis
Laurigeram belli ſegetem; quâ tempora cingant,
Atque triumphali decorent ſua ſigna virore.
Nec ſegnes duxêre moras, quos martius ardor,
Atque Moachidis fervens in bella, furoris
Excivit genius, certâ ſpe ductus honori
Nominis, ac ſparſæ per aprica novalia lauri,
Immerito capiti dandæ. Mars ſiſtit uterque
Campo. Verùm animis jam quiſque per æmula currit
Funera, deſignátque locum, ac in vulnera quærit
Metam, quò inviſam confeſtim corpore vitam
Exturbet ferro, ſtygiáſque immergat in undas,
Quam ſtyge plùs odit. Fervent in prælia utrinque
Sanguine conjunctæ gentes, ardéntque cruorem
Fundere, & immenſas campo diſpergere clades.
Hinc Ducis Abramidûm juſtiſſima ſceptra tueri
Fidus decernit miles, per danda cruoris
Flumina, pérque neces. Aſt indè adverſa Gradivi
Agmina, ſupremos ſtatuunt impendere nervos:

Nè victi rigidas ſolvant pro crimine pœnas.
Sed mox in lucem veniet, claróque pateſcet
Indice; cui Cælum victricem porriget herbam.
Bellum, quod Pietas ſtabilit, Virtute ſupernâ
Fortius evadit. Nunquam Mars cælicus, armis
Aſſiſtit ſcelerum. Bellum, quod criminis author
In campum ducit, ſtragi, fatóque propinquat.
Atque hanc injuſtam, ductore Moachide, cauſam
Pugnandi, ſequitur jam ſors vicina ruinæ.
Dúmque calent animis, bellíque exordia poſcunt
Jam pronæ in Martem turmæ, vultúque minantur
Pectore conceptas mortes, armíſque per auras
Fata inimica rotant: jubet illico rauca ſonare
Æra Joab, populíque animos accendere cantu.
Claſſica jam reſonant. Dubii citat alea belli.
Nec mora: diſtrictis concurrunt illico telis,
Tigridis in morem rabidi, rapidíque coronæ
Æmuli, & horriſonis peragunt fera munera dextris.
Excipit has primùm ſævas Mavortis Erinnes
Abſolo, & adverſis opponit ferrea telis
Tela, ac Iſacias ſtudet exarmare phalanges.
Sed cùm perculſæ non poſſent ferre catervæ
Prævalidam Abramidûm rabiem: ſuccedere caſtris
Confeſſim metus imbellis, terrórque per omnes
Serpere, turbaríque acies. Jam Daphnis honora
Perfidiæ crimen refugit. Confundier arma,
Omniáque in fædam faciem Mavortis abire.
Saltus erat nigrâ cinctus formidine, belli
Area, denſatis palmarum frondibus horrens,
Atque metum trepidis ſuperaddens Martis alumnis.
Hinc rigidi aſſurgunt colles capita alta levantes
Vertice frondoſo, tumulíque in fata parati;
Quéis in præcipitem ſe volvant arma ruinam
Perfida Regnanti. Caſum mala facta merentur.
Indè in planitiem decurrunt teſqua ferarum,
Sentibus, ac dumis, cæcáque voraginis umbrâ

Horri-

Horrida, & indubiis duntaxat pervia fatis.
Atque hoc diſperſi pleno formidine luco,
Accelerare fugam, ducente pavore, rebelles
Thariadûm populi; quò ſpes, vitæque ferebat
Dulcis amor, juſsitque ſtatus properare ſalutis.
Dum pedibus ſe ſe credunt perculſa timore
Agmina: Jeſsîdis turmæ, quêis tecta Dianæ,
Et Labyrinthei flexus, tractúſque viarum
Comperti apprimè fuerant; fugientia pleno
Impete Mavortis, ferróque, iráque ſequuntur
A tergo. Prô! quas ſtrages, ac funera ſaltu
Accumulant, nemorúmque domos, Triviæque penates
Sanguineis implent rivis. Sic nempe virori
Commiſcent coccum luci; quo nigra cupreſſus
Surgeret, aut taxus, funeſtáque creſceret arbor.
Quos verò ferrum per inhoſpita tecta volantes
Fatis non tribuit, ſaltus crudelior ipsâ
Mucronis rabie abſumpſit. Dum quippe leonum
Inſtar Jeſſiades palantia caſtra ſequuntur,
Herculeáque premunt dextrâ, chalybíſque furore
Inſtant: præcipites in cæca voraginis antra,
Atque altas proni foveas volvuntur, & imis
Infuſi ſcrobibus, propiori limite tangunt
Tartara, & infernis ſe demirantur in oris
Degere, jam exangues animæ, Ditíſque rapinæ.
Qui verò acclives tumulos, montéſque ſupinos
Præſidium quærunt, perque ardua, more ferarum
Culmina diſcurrunt, prærupto calle vagantes;
Hos metus in fœdas effundit rupe ruinas,
Mavortíſque decus ſcopulis, ſaxíſque volutat.
Quid memorem ſtrages alias, quêis propria ſe ſe
Arma petunt, cæco ſic perturbante pavore
Omnia, ùt in trepida fieri docet uſus arena?
Nam dum terga fugæ ſinè lege, ac ordine tradunt;
Alter in alterius cædem ruit, atque premendo
Opprimit armorum ſocium, ſibi mutua clades,
[illegible]

Atque

Atque ſepulchretum. Quid quod, cêu fama fidelis
E faſtis perhibet: non paucos improba ventris
Abſumpſit rabies, atque implacatus edendi
Ardor, & exhauſto torrens ſitis ora palato,
Atque aliæ mortes, quas Muſa referre paveſcit,
Bis dena omnino, Libitinæ, millia, ſaltu
Depoſuêre animas. Sed quid diſcrimine rerum
Tanto, tótque videns Lacheſis fera jura ſubire
Cura Moachidis? Quem verſat pectore ſenſum?
Ecquid agat jam expers conſi, cuî nulla ſalutis
In conclamatis ſpes emicat ampliùs armis?
Ipſe fugam incentor belli per teſqua ferarum
Corripit, atque ſcelus fidis mandare latebris
Nititur infelix pubes. Non ferrea crimen
Fata equidem, mortíſque rigor cum plebe ſequuntur;
At diæ Nemeſis flagrum, quod perfida plectat
Crimina, cêu par eſt. Sceleri quandoque morarum
Concedunt Superi ſpatium, rigidæque reatum
Suſpendunt pœnæ: quò vel delicta piante
Tergantur lacrymâ; vel quò graviore nocentes
Verbere, ſuppliciόque gravent, velut exigit ordo,
Juráque Adraſteæ. Nunquam fera crimina, Cæli
Impunita ſinunt. Atque hæc jam pœna rebellem
Inſequitur natum; quò mundus diſcat uterque,
Commerito plecti natorum crimina flagro.
Quippe ubi quadrupedi ſiſus, dumeta volatu
Tranſilit, & tutas circumſpicit undique pubes
Attonitus latebras: ſubter condenſa vireti
Effuſo penetrat curſu, rumpítque comanti
Luxurie denſam quercum, ſacrúmque Tonanti
Robur; cuî durus fatorum jam inſidet ordo,
Rhamnusíſque minæ. Dúmque obvia brachia frondis,
Ac Dodonæam ſatagit violentiùs umbram
Frangere: cæſariem, quam adverſus ventilat Evrus,
Implicitam ſentit ramis, ſubitóque capillis
Fuſiùs explicitis hæret; quos ipſa jubente

Numi-

Numine ſuſpendit Nemeſis, ſceleriſque reatus.
At ſonipes curſu cœpto incitus, ilicis umbras
Deſerto tranſit Domino, gaudétque levari
Pondere; quod terræ gremium non ferre valebat
Ampliùs, effreníſque ſalit per frondea lætus
Atria Latois. Nec jam reſpectat herilem
Gloriam, ab infami pendentem roboris ala.
Id ſibi nempe malum rapido devecta caballo
Ambitio peperit; cujus ſublata tumore
Cornua, & excelſas turgenti vertice criſtas
Dejicit, ac frangit ventoſi maximus oſor
Faſtus, omnipotens cæli, terræque Monarcha.
Hoc utique haud patiens freni, Patríque rebellis
Jure Moachides meruit; cuî juſta patrato
Crimini ab æthereo deſcendit pœna Tonante.
Commenſum ſceleri decernunt ſidera flagrum.
Purpureum Patris ſolium ſuperare tumenti
Calce ſatus ſtuduit, ſe ſe ſuper ardua Regni
Aſtra ferens, populis leges, ac jura daturus:
At Cælum infami ſuſpendit ſtipite noxam
Filii, & inſipidum depanxit in arbore fructum.
Gemmifero ambivit mala tempora cingere ſerto,
Atque exornari ſpectando Regis honore
Iſacidùm timor, ac terror. Sed vertice creſcit
Natale obrizum, meritis diadema daturum:
Aut ſatiùs laqueus; quo ſe ſe fraudis iniquæ
Implectat crimen. Talem fert frontis honorem,
Qui patriam affectat non æquâ lege coronam.
Cælum inter medius, terrámque Moachidos auſus
Arbore fatali pendet, non dignus ab aſtris,
Ac terrâ recipi, Cælóque, ſolóque peroſus.
Interea mæſtum funeſtâ roboris arâ
Pendet onus, luctans variè, multúmque laborat
Implicitos tremulis manibus divellere crines,
Atque enodato ſe vertice ſiſtere matri
Terræ; quæ ingratum pondus jam ferre recuſat.
O Verùm

Verùm agit in caſſum. Caput inter vincula nunquam
Exſolvenda egit Nemeſis, nodíſque ligavit
Plùs quàm Gordiacis, ſcelus implexura, ſupremo
Victima dum cedat fato. Nec jam procùl atræ
Sunt Clotûs, Lacheſíſque manus, ac nota rigore
Aſtropos; ut rumpat maleſanæ ſtamina vitæ.
Sed quid jam tibi mente ſedet, quem pectore conſum
Verſas infelix pubes? Num fortè reatus
Criminis in mentem veniens, tua corda dolore
Occupat, atque animum Metanœæ cura pererrat?
An patriæ forſan conformis vivere legi
Exemptus laqueo ſtatuis, veniámque rogare
Criminis, à genibus ſupplex decernis iniquum
Pignus; quò patrio rurſum reddaris amori?
Nil minus. Eſt durum durato robore pectus
Duriùs, in votum rediens, Patríſque ruinam,
Ac ſolii exoptans culmen. Nam crimen adultum,
Et radicatum, ceu plurimus edocet uſus,
Haud facilè à prima diſcedit ſtirpe malorum.
Firmatam citiùs valeat divellere rupem
Alcidis robur; quàm duro corde moveri
Conceptum facinus, luſtris compluribus altum.
Atque hæc veſano dementia ſumma, tenáxque
Mente Moachidis peritat. Jure ergo meretur
Commenſurandas ſceleri dependere pœnas.
Nec jam dia moras Nemeſis, pœnæque reatum
Protelare ultrà ſancit. Jam fata propinquant
Arbori, & haud dignam tanto Patre vellere ſtirpem
Decernunt. At quæ ſcelus iſthoc fata ſubibit?
Dum fortè Hippotades leve pondus ventilat, atque
Ludibrium Cauris hinc indè per aëra tradit:
Eminùs infamem ſublimi robore frugem
Dependere videt vili de ſorte Gradivi
Iſacius miles, Martis fulgore nitentem.
Miratur primùm Dodonæâ arbore ramum
Aureum, & ebriai quercu deſcendere glandem.

Tum

Tum propiùs ferro inſtructus ſe Martis alumnus
Ferre, vel in prædam; vel quò ſe notio veri
Explicet, ac rerum bene cognita ſcena pateſcat.
At quæ ſe ſe oculis non viſa obtrudit imago
De viridi pendens gabalo? Quæ forma? Quis inter
Frondea tecta latet? Celeres dum luminis orbes
Verſat in obtutum pendentis, & ora pererrat;
En virides inter foliorum promicat umbras
Terra Moachidis facies, ſuffuſa colore
Buxi, vel ſatiùs ſtygiâ fuligine tincta,
Demonſtrans parilem latitare in corpore mentem.
Tum verò tacito propiùs ſe miles adurget,
Suſpenſóque gradu, reliquæ veſtigia vitæ
Obſervaturus. Surrectis auribus adſtans,
Advertenſque animum, quid neſcio murmuris audit
In nigris crepitare labris, plenáſque minarum
Ructari voces, certi argumenta furoris.
Quid quòd luctantem manibus, pedibúſque fideli
Lumine deprêndit, libertatémque virenti
Ceſpite quærentem. Vitæ cùm ſigna probato
Teſte notat miles; fatales concipit iras
Pectore, & ingratam per ferrea tela lubeſcit
Exturbare animam. Jámque in præcordia telum
Evibrare parat, laterique impellere ferrum;
Cùm mentem ſubit imperium, ſoliíque voluntas;
Nè quis inhumanam regali ſanguine dextram
Polluat, ac tantum, violento funere, natum
Principis Abramidûm, ſtygias demergat in undas.
Quare lethiferum revocat Mars illico telum,
Præcepti memor, ac pœnæ, quam jura ſeveræ,
Inferrent Themidos. Sed quid, decreta ſecutus
Regis, agit miles? Celeri pede caſtra reviſit
Nuntia mira ferens ſecum, rectáque Gradivi
Primum munus adit, facturus verba Joabo;
Cujus ab imperio miles ſua dirigit arma.
Vix belli Rectorem attingit, & iſta profatur.

Invictæ Iſacidûm ductor. Captiva tenentur
Arma Moachidis, non ferri compede; ſed quod
Attonitum memet tenuit nova fata tuentem;
Luxuriante comâ implicitus, ſub fronde virenti
Ilicis, in vivis etiamnum, pendulus hæret.
Nec plura. Abramidûm Mavors hæc nuntia lætus
Accipit, & legem Jeſſæi Principis, actus
Imperio majore DEI, (ſic fata repoſcunt)
Abjicit, inviſúmque aſtris per funera pubem
Tollere decernit. Rhamnuſis nempe ſtatuta
Exequitur: poſthac ſoboles nè patria temnat
Jura, ac in cidarim regni ſua vota reflectat.
Quare confeſtim Mavortis percitus œſtro;
Aut ſatiùs juſtâ Divûm ſtimulatus ab irâ:
Corripit iratis manibus tria ſpicula ferro
Illita, directóque volat ſub roboris umbram
Alipede, in pectus pendentis miſſile telum
Abjiciens dextro annìſu. Quippe ipſa furentem
Direxiſſe manum Nemeſis ſacra jura videntur.
Hoc triplex meruit delictum. Nempe; libido,
Ambitióque throni, nec non mens neſcia flecti,
Sævitiéſque animi, nunquam ſaturanda cruore
Jeſſiadûm, fatúmque Patri, generíque datura.
Sed Phlegetonteas necdum tranſmiſit ad undas
Infelicem animam; quamvis jam terna pateret
Janua pro egreſſu. Vitam reſidere maligno
Corpore, non uno pendens probat argumento.
Hinc deni Ducis armigeri, quos fortè Joabi
Imperium accerſit, fatalia juſſa ſecuti,
Vulnere multiplici funeſtam pectoris æde
Proturbant animam, mittúntque rebellia Diti
Crimina, & infernis ſuperaddunt manibus umbram
Principis, Æaciâ librandam protinus urnâ.
Exanimum verò pendentem robore truncum
Illicet enodare ſtudent. Tum fronde ſolutum
Excipiunt trepidæ ſceleris ſub pondere dextræ.

Alta-

Digitized by Google

Altæque immittunt foveæ, ſævóque cubili
Dypſadum, & omnigeno tradunt mala facta chelydro.
Dein ſuperingeſto permultæ rupis acervo,
Infames tumulant artus, dirôque parentant
Carmine, & opprobriis ſaturant, capitique ſceleſto,
Atque haud morigero, quæque horrida fata precantur
Sedibus infernis. Jam Ditis ad atria tendit
Abſolo, ut æternis piet impia crimina regnis.
Ac ſic extinctâ belli face, rauca crepare
Cornua demandat jam feſſus Marte Joabus,
Armorúmque jubet finem, furiáſque refrenat
Nondum civili repletas ſanguine, plura
Funera quærentes hoſtis: ne parta Gradivi
Gloria ab immani feritatis labe notetur.
Ecquid enim Martis nomen, laudémque parare
Juverit, à ſævi corruptam nomine Cinnæ?
Sit viciſſe ſatis. Veniens ſinè ſanguine multo
Martis honos, famæ majora tributa reportat,
Ac ſe ſe in decimum transfert cum laude nepotem.
Interea Iſacio veniunt duo nuntia ſceptro,
Immenſam adverſæ gentis portantia cladem.
Fors tum Jeſsides dubiam Mavortis arenam,
In turris ſpecula, quæ portæ præminet urbis,
Ancipiti verſans animo, expectata moratur
Munia legati; quo decretoria pugnæ
Cognita ſit ſertes, bellique eventus in ora
Dictynnæ pateat. Dum præſtolatur Idumes
Regnator certam de belli nomine famam:
En volat Achimaas victricia ſigna reportans,
Nec non Abramiis tranſmiſſus Chuſius armis.
Vix Regem acceſſu lætante tabellio uterque
[illegible]venit, atque refert obtentam abs hoſte Gradivi
[illegible]riam, & horrendam per terga jacere Dianæ
Adverſæ partis ſtragem; cum protinus Hebri
Princeps ſollicitè indagat; quâ ſorte propago
Degat? An incolumis natus, ſoſpéſque perennet?

Quid rerum Achimaas agitat? quæ verba reponit?
Quæ timor, aut tanti ſvadet reverentia ſceptri,
Diſſimulat ſe noſſe ſtatum, ſortemque pudendam
Filii, adulantis ritu; cui triſtia Regum
Auribus haud deferre lubet. Verùm inſtat Idumes
Princeps percunctari alium; cui fida miniſtrat
Linguam, animúmque fides: quæ ſe fors obvia nato
Obtulerit belli orcheſtrâ, Martíſque furore?
Carpátne æthereas etiamnum filius auras?
Chuſius haud ficto velans ſua verba colore,
Pugnæ depromit feriem, fatúmque fideli
Munere commemorat nati, nil pectore celans.
Sed quid ad hæc Genitor? Mærori regia tradit
Pectora, & haud vani demonſtrat ſigna doloris.
Mavors Thariadum victor feſtiva triumphi
Carmina decantat. Ferali carmine David
Interitum plangit ſobolis, luctúque parentat.
Inde ſine arbitrio famulantûm, ſumma penatum
Scandit, & indulgens lacrymis, ſuſpiria corde
Imo deducit; gemitu laquearia rumpit,
Horriſonóque replet regalia tecta ululatu.
O ſi fata darent, vellet pro pignore vitam
Ponere, & immeritos revocare in munera vitæ
Jam ſtyge demerſos manes, Erebóque dicatos.
Ecquid funereo te Regum maxime tradis
Luctui, & indigno fœdas ſacra pectora queſtu?
Anne probas temeros veſani pignoris auſus?
Eccur ora rigas lacrymis, illúmque doloris
Materie ſequeris; qui tantum aſſumere Patrem
Immiti ferro voluit, ſoliíque ſedere
Eſſedo, & auguſtâ Genitorem orbare tiarâ?
Ergóne victricem populi, ſummíque Monarchæ,
Gloriam, & illuſtrem de regni peſte triumphum
Corrumpat ſceptri mæror? Quis fleverit hoſtem
Patriæ, in electi graſſantem viſcera regni?
Sed natus fuit ille tuus? Quin non fuit omnem

Nati

Nati deponens ſortem. Nec nomine tali
Gaudet, qui Patris ſanctiſſima jura profanat.
Non te, non ſolii juſſum delecta Gradivi
Agmina tempſerunt; queîs conſervare ſceleſtum
Imperio dederas. Sed quercus criminis auſus
Ulta fuit, læſúmque throni defendit honorem.
Hæc nunquam imperium viridantibus auribus ilex
Principis Iſacidûm accepit; ſed vindice Cælo
Juſſa rebelle nefas ultrici plectere ramo.
Et verò inſolitâ juvat illum occumbere pœnâ,
Supplicióque perire novo; qui Patris honorem
Crudeli fato tumulare, probríſque laborat.
Verùm Calliope patrium detergere luctum
Nititur in vanum. Non is ſuper orba parentis
Jura gemit, roſeámque fati marcere juventam
Indolet: aut ferale genus ſubiiſſe cruentæ
Atropos, ac vili projecta piàcla ſepulchro.
Sed gemit æternum nunquam reparabile fatum,
Jacturámque dolet, poſt tot mala facta, ſalutis.
Quippe reum immanis noxæ, decedere vitæ
Tramite, & infernis nunquam non degere pœnis;
Hoc demum eſt damnum, quod ſæcula nulla valebunt
Deplorare ſatis. Manet ergo juſta doloris
Materies Patri; Genitoris vivere partem
In Phlegetonteis (prô fata infamia!) regnis.
Sic lugere licet Regi ſinè nomine probri.

CHRAMNUS
Clotharii Regis filius, perduellionis pœnas luit.

CHramnus Clotharii Francorum Regis filius, bello inteſtino Patrem ſemel atque iterum laceſſens, cùm machinas omnes in caſſum ire videt, in Britaniam ſe proripit, Regiſque inſignia, favente populo capeſſit. Pater acceptâ filii iniquâ regni ſui poſſeſſione, movet arma in rebellem. Nec ille adverſus Patrem egredi metuit. Copiis igitur in agro Britannico utrinque commiſſis, acriter dimicatur. Clotharius in ambigua belli alea, fuſis ad Cælum precibus, juſtum DEI adverſus ſeditioſum orat, exorátque auxilium. Quippe altiori virtute Franci roborati, Britannos in fugam agunt, magnâ eorum parte in fervore belli trucidatâ. Chramnus ſaluti quoque ſuæ conſulturus, dum naves in fugam paratas conſcendit, ingerunt ſe ſe menti conjux, ac filiæ in caſtris relictæ. Has dum libertati aſſerere nititur, à Patris exercitu comprehenſus cum ſuis, mandato Clotharii, agreſti tuguriolo concluditur, lorario ſugillatur, & ſubjectâ caſæ flammâ concrematur. *Baronius tom: 7. ad annum 564.*

Indo-

Indomitum nati genium per ſæva ruentem
Prælia, & indocilem patrium perferre lupatum,
Atque affectantem redimiri tempora, Patris
Auguſtâ cidari, Phœbo ſubjecta fideli
[illegible]re, Mæonio recinit modulamine Cyrrha.
[illegible] immorigeræ ſoboli Rhamnuſia pœnas
[illegible]to Superum ſtatuit, quoque noſtra referre
Pegaſis attentat; quò juſſa capeſſere Patris
Ducat in obſequium facilis; qui nomine gaudet,
Omineque exultat nati. Nam vindice flagro
In malè moratam conſurgunt ſidera ſtirpem.
Ut verò appoſito veſana protervia metro
Cantari valeat, ſacra Pieris obſequa Cælis
Flagitat à ſupero vires, nervóſque Tonante.
Inter magnanimos, quos tellus Celtica Reges
Protulit in lucem, ſemper fœcunda virorum,
Heroümque auguſta parens; profudit in orbis
Gloriam, & æternum celebratæ gentis honorem
Clotharium Marte invictum, claroque nitentem
Lumine Virtutis. Cujus ſi facta referre
Æternaturis ſcribi digniſſima faſtis
Caſtalides aveant; doctas Aganippidos undas,
Atque caballinos citiùs Permeſſia fontes
Sorbet, exhauſtis quæ volvit Niſa fluentis;
Quàm recinat merito geſta immortalia metro
Liligeri Regis. Sunt omnia laudibus ipſis
Majora Aoniis. Unum ſi fortè Camæna
Excipiat, quod non equidem liberta Monarchæ
In ſolii effudit probrum; ſed proxima ſceptro
Infamis ſoboles, non perleve dedecus orbis
Francigeni, ac labes fœdiſſima ſtirpis avitæ.
Degener à Genitore ſatus cecidiſſe probatur
Affatim, ab immodicis, queîs regnum polluit, auſis.
Sic placidi perſæpe patres, truculenta Neronum
Pectora, & immites cernunt in ſanguine Cinnas.

Patris ad exemplum non ſemper fingitur ætas
Filii, & a patriæ nonnunquam tramite famæ
Abſcedit natus. Vitiorum calle meare
Eligit interdum ſoboles. Nec quà ſit eundum,
Accurat, ſed quò maleſvada licentia ducit.
Hoc ivit pravo noxarum tramite Chramnus,
Clotharii infelix pignus, per ſontica quæque
Jure ruens proprio, patriâ jam lege ſolutus,
Haud ullum patiens Virtutis ferre capiſtrum.
Non ſic excuſſis Pelidis Xantus habenis
Præcipiti rapitur curſu; quò libera frenis,
Jura volare ſinunt, per devia, & invia largo
Effuſus greſſu: ceu jam monitoribus aſper
In pejora ruit Chramnus, quò magna poteſtas
Quidlibet audendi impellit. Sed criminis omne
Propudium longè excedit perfricta voluntas;
Quâ renuit patriis ſe porrò tradere votis,
Imperiúmque Patris pro lege faceſſere nati.
Sæpius in ſceptrum, pro libertate regendi
Seditione furit, Rhodanúmque, Ararímque doloſis
Artibus, ac gazis ſtudia in contraria ducit.
Edomitos equidem Ligeris diadema tumultus
Haud ſemel aſpexit, Martíſque ardore flagrantem,
Indocilémque ſatum compreſſit, frænáque juſſit
Mordere Imperii Patris, magnúmque vereri
Principem, & affundi genibus, veniámque rogare
Criminis, ac pacem. Sic res extrema petebat.
Verùm morigeri fucum duntaxat, & umbram
Prætexens animi, nova ſemper prælia mente
Ruminat; ut patrios Mavortis turbine faſces
Protinus eripiat, ſceptróque, oſtróque triumphet.
Quare continuò Caledonia littora viſit
Clam nutu ſolii, totámque in vota Britannim
Pellectare ſtudet, ſummóſque, imóſque laborat
Urbano officii ritu, ſibi reddere multum
Affectos Ithacus Franco. Sic pectore clauſus

Ef-

Effectum cernet conſus, lucémque, paterno
Infames probri tenebras laturus honori.
Poſtquam Brutiadas retur ſua juſſa ſequentes;
In Martis ſe ferre choros, bellíque crepare
Fulmina, & emeritum fictâ virtute Gradivum
Præ ſe ferre thraſo, regníque vacare ſaluti,
Et dilatando ſolers incumbere ſceptro
Celticus ille Sinon. Ac ſic, velut utraque Pallas
Foviſſet pullum gremio, ſe inferre togatis,
Atque unà gratum crebrò præbere ſagatis,
Quos tellus alit iſta viris. Plùs quippe Pelaſgis
Artibus, ingenióque valet fraus ſæpe parare;
Quàm vis, atque rigor legum, populóque timendum
Principis Imperium, Tradit ſibi ſceptra Phrynondas.
Cùm verò civis Caledon jam regna Garumnæ,
Legéſque abjiceret; queis tum ſubjecta Britannis
Martis jure fuit: defert regalia Chramno
Munera, & Anglorum moderandas exhibet oras.
Aſſyrio immeritos conveſtit Principis artus
Murice; quem tinget proprius, dum fata repoſcent
Sanguis, & ultrices venient à ſidere pœnæ.
Imponunt regimen dextræ, quod dentis eburni
Candicat à pretio, quódque evitare laborat
Tetram non unà ſcelerum fuligine dextram,
Infeſtámque Patri. Frontem diadematis alti
Gloriâ, & aurato circumdant tempora ſerto;
Quæ ſatiùs ferrum, vel ferrea fata merentur,
Ob tumidos animi faſtus, criménque rebelle
Vertice debacchans. Tandem ſuper ardua Regem
Extollunt ſolii Tyrio radiantia cocco;
Quem ſatiùs trabe ſublimem generoſa Britannis
Affixiſſet onus; nè terras crimen onuſtet
Perfidum, & in patrium ſceleratè ſurgat honorem.
Quis fando referat plauſus, ludóſque per urbis
Compita diſperſos, sêu quos mavortia pubes
Ducit per varium quamvìs umbratile bellum:

Sêu

Seu quos [illegible] turba lepore,
Fe[illegible] Jam tota Britannis
In [illegible] verſo munere partes.
Hæc di[illegible] populari gaudia regno
Conf[illegible] plagis, Ligeríſque ſonare
Cli[illegible] rerum novitate Garumnam
Reddere, [illegible] quæ ducant feſta Britanni
Jubila, [illegible] dies, lætóque frementes
Murmure [illegible] Ac poſtquam nuntia veri
Fama [illegible] implet ſermonibus auras,
Atque [illegible] Celtarum Principis aures
Inſolito [illegible] vulgatque Monarchæ
Munere [illegible] Chramni moderamen habenas
Invaſiſſe [illegible] regníque tiaram
Immerito [illegible] caput: conſurgit in æquas
Et Pater [illegible] iras, crimenque rebelle
Conſtitui[illegible] nato plectere pœnis.
Quare [illegible] jubet illico caſtra movere
Francige[illegible] quæ ſemper Martis aperto
Æquo[illegible] vigilanti lumine turmas
Ad[illegible] Vix claſſica belli
Ad [illegible] citant; delecta Gradivi
Agmina [illegible] mittunt tela Britannim.
Nec [illegible] Mavortis nuntia pennas
Fama [illegible] infert ſe protinus oris,
Ac primum [illegible] maleſani Principis aulam
Involat, [illegible] celerare Garumnâ
Nuntiat [illegible] Percuſſus ut igne
Cælite, [illegible] Chramnus rumore Gradivi,
Verſat [illegible] conſcia pectora conſum.
Quare [illegible] quicquam determinet auſu,
Tum ſibi, [illegible] populo nocuum; matura recoctæ
Mentis [illegible] quæ ſtet ſententia tali
Turbine [illegible] regni ſtudioſa ſaluti?
Omnibus [illegible] Gradivi fulmine Celtam
Bru[illegible] ferroque ſecare

Lilia

Lilia; quæ Britonis ſua latè germina terris
Rurſum inferre parant, tumidóſque infigere bulbos.
Hac conſi ratione novus, Procerúmque favore
Subnixus Princeps, confeſtim ſigna Gradivi,
Ac bellatrices aquilas, per criſpa fluentes
Carbaſa, in expoſitas appendi præcipit auras
Nuntia Mavortis. Tum bucera terga ſonoris,
Horrificíſque boare modis, æríſque canores
Invitare animos, populúmque ciere Britannum.
Hìc velut à longo pacis relevata ſopore
Illico ſe ſe armat Caledonia, Regis honorem,
Nec non defenſura ſuum. Pars ire pedeſtri
In bellum ritu, fido ſuccincta mucronis
Fulmine, & horriſonis inſtructa minaciter armis.
Pars ſuper alipedes in prælia ſæva frementes
Aſcenſum faciunt, ferróque induta propinant
Pectora, in adverſas jam jam ruitura phalanges,
Quadrupedéſque jubent laxis volitare lupatis
Ad definitam, quam Princeps mandat, arenam.
Dúmque per orcheſtram Martis ſe longa cohortûm
Explicat immenſùm legio, ſegetéſque Britannis
Ferreæ, echinatis campo mucronibus horrent,
Atque avidè belli ſignum, ſonitúſque tubarum
Accipere exoptant; quò pleno turbine in hoſtis
Fata ruant, pacémque throno, gentíque procurent:
En tibi ſe mediis Princeps Caledonius armis
Infert prætumidè, multâ ſpectabilis auri
Bracteâ, & Oebalio corpus circumdatus oſtro,
Atque ferox geſtu. Polynicem degere mundo
Credunt Brutiadæ, vel fortem Agamemnona. Quippe
Invictas animi vires ſpirare Gradivi
Pullus, & elato circumſpectare Britannos
Lumine, terribilis viſu, vocémque parare
Bellicrepis fœtam verbis, ac talia fari.
Invictæ Britonum turmæ, quas Marſpiter ipſe
In pugnam irritare pavet, totúſque tremiſcit,

Quà

Quà latè ſe ſe effundit terráque, maríque
Armis horreſcens mundus. Jam temporis ordo
Poſtulat, immortale decus, famámque parare
Æternaturis in veſtro nomine luſtris
Perduraturam. Mars Celticus aurea veſtræ
Libertatis avet rigido ſubmittere ſceptro
Jura, ac liligero ſatagit frenare capiſtro.
Quis veſtrum immeritis extradat colla lupatis,
Imperiúmque ferat, dominæque in vota Garumnæ
Semper eat, ſubeátque jugum, quod jugiter Anglum
Opprimat, ac jubeat nunquam non ferre tributa?
Hæc quis mente ferat placidâ? Quis? Nemo Britannûm?
Hinc ſi libertatis amor, quem jura requirunt
Patria, vos retinet; ſervum nè ferte deinceps
Opprobrium, at veſtræ duntaxat vivite legi.
Hoc Britonum Patres, Matréſque, ac tota Britannis
Flagitat à vobis; quêis regni cura, ſalúſque
Incubat, atque rei communis ſubjacet ordo.
Eja agite, & Scaldim non ſolùm mergite ſtagno
Nereos, at tumidum confundite ſanguine faſtum.
Hoc etenim ambitione fremens, Britonúmque metallo
Turgidus, ac vobis infeſtus Franco meretur.
Nec quiſquam ancipitem de certa Daphnidos arrha
Suſpendat mentem. Jam veſtro laurus oberrat
Vertice, victricéſque parat transmittere palmas.
Eſt forſan major numero Mars lilia geſtans;
At veſtrâ virtute minor; quem frangere robur
Brutiadùm haud ægre valeat; modò prima furoris
Tela inconnivo vultu, niſúque Gradivi
Perferat, intrepidóque auſu, pro more, reſiſtat.
Eja agite, impavidum revocate in pectora nervum,
Ac in vindicias conſurgite, juris iniqui
Obtentum ferro frangentes. Ite, necate
Lilia; quò regno ſuccreſcat pacis oliva,
Ac rurſum niveis repetat Caledonia bigis
Littora Brutiadûm libertas, pulſa Britannis

Jam

Jam dudum terris. Ite, horrida bella parate.
Vix ea dicta dedit, fatali ſiſtit arenâ
Se primum, ducitque globos Mavortis in hoſtem,
Haud procul à notis Britonum ſua caſtra locantem
Finibus, in validas jam jam ruitura cohortes.
Nec Celtam poterant, famâ præeunte, latêre
Agmina Brutiadûm. Celatur Marſpiter ægre
Cum ſtrepitu veniens. Reſonat per inane flagellum,
Dum rabioſa ſuos ſtimulat Bellona jugales.
Quare ſe tacitis fert obvia Matrona ſignis,
Indomitos Britonum ferro domitura furores.
At quando propiora videt pars utraque Martis
Carbaſa, & iratis ſe ſpectant eminùs armis,
Continuóque ardent ſtrictis concurrere telis:
Liligerûm Princeps firma ſtatione morari
Præcipit ardentes in proxima prælia Francos,
Ac præſtolari bellum, quod prima Britannis
Jam jam inferre parat. Stantem cùm fortè Garumnam
Uno eôdémque gradu, Ligeriſque hærere Gradivum
Obſervat Chramnus; trepidâ formidine juſtè
Tangitur, atque ſtrophas meditari Martis arena
Celtam arbitratur. Quare diſcrimina vitæ
Declinaturus, dubio conſiſtere campo,
Ac firmâ ſtatione ſuas quoque figere turmas,
Conſtituit. Laurum ſpondet, bellique trophæa
Erigit in tumido gens utraque pectoris arvo.
Ut verò haud dubiis tandem victoria pennis
Advolet, ac felix belli cadat alea, uterque
Mavors aprico ritè explicat agmina campo.
In largam excurrit frontem clypeata virorum
Francigenum, Britonumque ſeges. Per brachia longè
Porrigitur geminum latus, ordoque funditur arvis.
Sub medium ſe ſe peditum deferre cohortes
Regnantûm imperio. Parte iſtâ turma feroci
Alipedi inſiſtens, armatas expedit alas.
Sicque acies jam diſpoſitæ concurrere ſævo

Mar-

Marte flagrans, hoſtique hoſtis, Francoque Britannus,
Ac Francus Britoni jam cominùs arma propinat.
Ecquis ſplendores telorum Solis ab amplo
Igne repercuſſos, ipſis fulgentibus auris,
Explicet, atque renidentem Mavortis ab ære
Telluris faciem referat? Quis tradita ventis
Signa, ac undantes in raſo murice fluctus;
Quêis innat dubiâ Daphnis circumflua ſorte?
Quid multis? adeò ſtat formidabile Martis
Inſtructi robur, tantúmque potentia ferri
Prævalet; ut Geticas poſſit terrore phalanges
Implere, atque ipſum fortaſſe fugare Gradivum.
Sed cùm nec Vaſco, nec Brutias arma movere
Fixa loco vellet tuto munimine ſepta,
Altérque alterius deſignamenta notaret
Lumine pervigili, obtutúque hæreret in uno:
Interea umbrarum Regina aſcendit ab oris
Tænari, & invictæ ſe bellatricis ad inſtar
In nitidos armat roſei Titanos honores,
Ac multo aſtrorum ſtipata ſatellite, bellum
Ducit in auricomi fulgentia pignora Phœbi,
Atque atrum librans telum, procedit in hoſtem,
Occiditque diem. Quem cùm demittit ad umbras,
Geminatum ſcandens currum, ſuper ardua cæli
Se levat, innumeríſque ornat nigra tempora ſtellis,
Atque triumphales ducit per ſidera plauſus.
Dúmque per æthereas tetrâ ferrugine ſedes
Imperat; unâ orbis ſubjecti climata pullâ
Cyclade conveſtit tenebrarum, omnémque repellit,
Qui mundo haud dudum regnavit lucis honorem.
Quid quod præcipue Chramni ſcelus, atque Britanni
Arma ſuperfudit, telorúmque abſtulit uſum
Spiſſatâ umbrarum nebulâ, Martíque quietem
Obtulit, & ſtreperis ora obturavit ahenis.
At quamvis riguo irrorârit tempora ſucco
Mavortis placidus Morphêus, tuleritque per omnem
Bello-

Bellonæ pubem noſturna papavera, & alto
Merſerit impavidum, dulcíque ſopore Gradivum:
Non tamen imperium noſtis, leníſque capeſſit
Morpheos indultum Chramnus. Nec dulce ſoporis
Munus, & illecebram vero de jure meretur
Turbator pacis. Quare ſua lumina fraudat,
Atque animum ſvavi, poſt mentis bella, quiete,
Excutiens varium maleſvado peſtore conſum.
Dum videt inſomnem curis traducere noſtem
Brutiadûm Regem, Conober, de ſtirpe Britanna,
Ac Procerum cocco primus, pullúſque Gradivi
Inclytus; ad Chramnum converſus, talia fatur.
Magne Britannorum Reſtor. Quis fluſtuet æſtus
Peſtore Regnantis; quem conſum mente revolvat;
Conjeſtare mihi permittit gratia forſan
Principis, atque favor. Quæ ſit mihi neſcia fraudum
Inconcuſſa fides animo, ruitura per omne
Diſcrimen vitæ, fortunarúmque perîcla,
Non fugit auguſtam mentem. Pro munere veræ,
Teſtatæque diu fidei, nova cordis aperti
Argumenta paro, Regis, Britonúmque ſalutem
Viſura haud dubio effeſtu; ſi ſtare lubeſcit
Authori, tanto ſvadenti juſta Monarchæ.
Non equidem juſtâ firmari lege putârim;
Ut ſoboles proprio Mavortis turbine Patri
Obviet, authorémque ſuæ, per funera, vitæ
Immani feritate petat, Cælúmque laceſſat,
Atque immorigero pœnas citet æthere nato.
Ipſe ego, cuî patriæ, libertatíſque tueri
Jura Themis tribuit; per opaca ſilentia noſtis,
Belligero comitante globo, diffuſa per agros
Lilia, florentémque metam mucrone Gradivum,
Imáque evellam de ſtirpe liguſtra Garumnæ.
Hæc fatus Conober. Sed ſemina mandat arenæ,
Danaidúmque urnas replet. Mens quippe moveri
Propoſiti ſtatione nequit; quam dura gubernat

Ambitio, ſtabiliſque ſuo fundamine faſtus.
Ac ſic duntaxat ſibi fiſa protervia Chramni
Vivere depoſcit. Vivat. Sed juſta Tonantis
Dyphthera, vel ſatiùs Nemeſis, jam plectere nati
Delicta, à rigido decernit verbere Patris.
Et verò meritæ ferient hæc crimina pœnæ.
In Patrem furias equidem Mavortis, & arma
Tiſiphones ſatus educet, ſtimulante furorem
Gloriâ; ut in clarum, victo Genitore, triumphum
Surgat, firmatúmque ſibi diadema reponat
Vertice; quod patrio tribuerunt ſidera juri.
At proprio cudit capiti ſcelerata propago
Adverſâ de ſorte fabam, jámque axe paratur
Infame opprobrium; quod geſta rebellia Chramni
Pro meriti ratione petat. Si mente teneret
Miſſas à Superis leges; quæ jura vereri
Patria demandant: offenſæ crimina natus
Ritè precaretur lunato poplite ſupplex,
Certam materiem veniæ, Cælíque favores
Rurſum obtenturus. Sed dira ferocia cordis,
Atque animi faſtus, leges poſt terga relinquit
Cælitûm, & in patrium ſe ſe armat mente, manúque
Haud dubium funus. Nam nocte, diéque revolvit
Pectore, quî Patris valeat ſorbere cruorem,
Atque feram replere ſitim crudelis hirudo.
Hoc immane nefas dum crudo corde reverſat,
Ac cæcas inter tenebras, noctíſque receſſus
Curarum tetrâ ſe ſe caligine mergit:
Interea croceo ſurgens Matuta grabato,
Murice tincta genas, roſeo ſe veſtit amictu,
Gemmatáque operit ſe cyclade, pulchra videri,
Delicium factura ſolo. Sic veſte decora,
Purpureóque incincta choro, de luminis ora
Puniceo egreditur paſſu, currúmque capeſſit
Aureum, & in niveos exercens jura caballos
Vicinat cæli foribus ſpectabilis Eos.

Hu-

Hujus ad imperium diſcedunt oſtia clauſi
Ætheris, & tetram, nativo lumine, noctem
Demigrare jubet cælo, Ditiſque paludes,
Ac piceas Erebi confeſtim viſere ſedes.
Aſtra quoque obſcuram noctis variantia pallam
Eximit officio, tenebrarum horrore repulſo,
Et per cæruleos aſtrorum fulgida campos,
More triumphantis vehitur. Vix luce ſerenat
Æthera, & aurato depingit inane colore,
Montéſque obrizo decorat, campóſque micante
Roris baccati pretio Pallantis inundat,
Ac jam flammivomam Phœbi adventare quadrigam
Nuntiat: in bellum conſurgit uterque Gradivus,
Atque fremens armis, pugnæque accenſus amore,
Fit propior, ſæváſque acies in prælia ducit.
Ibat Liligerûm Princeps ſuſpiria mittens
Pectore, & auguſtum lacrymarum flumine vultum
Largiter humectans, palmáſque ad ſidera tollens,
Has inter planctus profudit ad æthera voces.
Reſpice ſidereis mundi Moderator ab oris,
Arbitrióque fori, quod falli, ac fallere neſcit,
In cauſam deſcende meam. Momenta paterni
Juris, & ingrati delibra crimina nati;
Quêis patrium infelix ſoboles inceſſit honorem.
Reſpice, & æthereâ cauſam diſcerne ſtaterâ,
Illúdque arbitrium juris decerne, quod inter
Jeſsîdem charum Superis, pignúſque rebelle
Juſtâ decrêſti vindex, ac cognitor urnâ.
Vix ea verba dedit, cùm ſacro percitus œſtro,
Signa movet Ductor Celtarum, cominùs hoſtem,
Atque rebelle genus Britonum, natíque piâclum
Jam jam aggreſſurus. Nec Brutias otia ducit,
Ardens Liligeris ſua ſigna immittere ſignis.
Jámque ſuos dictis animare Gradivus uterque,
Præſentúmque animos in proxima bella parare,
Victorúmque decus, Jam Daphnis honora per auras,
 Ambi-

Ambiguíſque volat titubans victoria pennis.
Dúmque per immenſos creſcit ſeges ærea campos,
Martiáque, imperio Regum, jam claſſica raucum
Omni ex parte ſonant, reboántque ſtupentibus armis
Tergora tenſa boûm, vires, animóſque datura
Brutiadi, ac Franco: ſtrictis concurrere telis
Adverſæ occipiunt acies, ferróque propinant
Pectora, & infeſtis minitantur funera ſignis.
Vir Mavorte virum furiali concitus æſtu
Involat, atque premit. Concurrunt enſibus enſes,
Umbonéſque hærent umbonibus, armáque ſævo,
Horriſonóque cadunt ſtrepitu ſuper arma, necéſque
Latè diſpergunt, ſternúntque hinc, indè Gradivi
Agmina, & innumeras diffundunt æquore campi
Tum Britonum, tum Celtarum miſerabile ſtrages.
Nec conſanguineis via panditur unica fatis,
Illos quippe gravi nervo librata ſub umbras
Spicula dimittunt. Iſtos cervice, feroci
Impactu viduat mucro, multóque cruore
Irrigat exanimes artus. Hos dejicit alto
Quadrupede intortum robuſto haſtile lacerto,
Atque viam fatis immani vulnere pandit.
Quid referam truncos manibus, pedibúſque rigore
Ferreo, & undantem per Panos regna cruorem,
Sceptráque jam ruris Libitinæ jura tenentem?
Omnia, ut expediam paucis, confuſa per æquor
Agmina camporum, Martem, mortémque minantur.
Hinc cùm Francigenûm Regnator Daphnida cernit
Ambiguis volitare alis per utramque Gradivi
Aream: in æthereas convertit lumina ſedes,
Supremámque expoſcit opem, robúrque Tonantis
Flagitat in Martem; quo jure rebellia ſternat
Crimina, & infeſtum ferro victrice Britannum
Edomet, atque ſatum. Nec deſunt ſidera juſtis
Liligeri votis. Sentit ſibi quippe recentes
E Superûm regnis mitti in præcordia nervos;
Queîs regno adverſas frangat Mavorte catervas.

Qua-

Quare continuò Celtarum pectora in ignes
Dux animare novos, Cælóque venire levamen
Aſſerit, in juſtum, quod tractat Francia, bellum.
Hæc ubi morigeræ juſſa accepêre phalanges,
In pugnam fervere animo, laſsámque reduci
In dextram robur ſensêre, animámque Gradivi
Æthere ſubmiſſi valido diſcurrere corde.
Nec mora: in adverſas ſummo ruit impete turmas,
Voce, armíſque fremens Vaſco, ferróque rigente
Perrumpit cuneos Britonum, ſtragéſque, necéſque
Immenſas edit. Sic Cæli præcipit ordo.
Non ità Marmaricus leo, viſo cominùs hoſte
Infremit, ac totas in bellum colligit iras,
Adverſam feriens fatali ſyrmate, & ungue
Iraſcente feram: cêu miles Celticus œſtro
Percitus, oppoſitum ſævè graſſatur in Anglum.
Dum videt innumeram Britonum durare ruinam,
Ac parte ex omni victricia ſigna Garumnæ,
Brutiadûm fulcrum, Conober: formidine multâ
Concuti, & Albionum jam deſperare ſalutem.
Quare continuò pedibus ſe credere; retrò
Illico ferre pedem, trepidâ comitante catervâ;
Quò conclamatis in rebus quærat aſylum,
Ac fidis ſe ſe mandet, populúmque latebris.
Sed Celtæ properas ferro indignante catervas
Inſequi, & averſos partim proſternere telis
Brutiadas: partim capulo tenùs abdere tergo
Miſſile, vel jugulo truculentum mergere ferrum,
Diſcrimen citra proprium. Sic ſummus, & imus
Adverſâ de gente cadit. Mars quippe furore
Percitus, ac cæcâ irarum caligine merſus,
Nec generis ſpectat Cedros, nec vile myricæ
De vulgi ſqualore genus; verùm obvia quæque
Demetit irato, quo provocat ira, mucrone.
Hanc Franci rabiem, magìs, ac magìs arma prementem,
Nec Chramnus perferre valens, jam viribus impar;

 Matu-

Maturare fugam pariter, claſsémque morantem
Littore adire parat, rapidíſque extradere ventis
Fortunam ſceptri. Dum vitam tradere ligno
Jam tentat fragili: memori ſe mente reponit
Et thalami, & ſolii conſors, ac pignora caſtris
Abdita, in haud dubiam Ligeri ceſſura rapinam:
Nî libertati confeſtim lumina regni
Afferat, & rabidis Celtarum ſubtrahat armis.
Quare continuò relegit veſtigia portu;
(Sic etenim ſvadebat amor) tentoria multo
Circumfuſa metu, fido comitante Gradivo,
Involat, atque jugo ſervili exſolvere ſtirpem
Molitur regni. Vix Princeps tecta reviſit
Martia, jam multo natarum ululantia planctu:
Protinus hoſtiles circumdat Vaſco penates,
Denſíſque incurrens armis reboantia queſtu
Limina, ferratâ conſtringit compede Chramnum,
Conſortémque throni, nec non manantia fletu
Pignora, robuſtóque fores Mavorte coërcet:
Nè quiſquam Britonum, captivis ferre levamen
Principibus valeat, rigidóque exſolvere nexu.
Dum gemit arctato concluſus carcere Chramnus,
Atque per ambiguas verſat ſua pectora curas:
Interea volucri ſe nuntia fama veredo
Liligerûm deferre Duci, Chramnúmque referre
Compede non unâ vinctum, pœnáſque morari
Commenſurandas ſceleri. Jam ſidera juſtis
Mulctabunt flagris ingrati crimina nati.
Hæc ubi non vano Celtarum ſceptra veredo
Accipiunt: Chramni noxas per facta ruentes
Impia, conſortémque thori, natáſque mapali
Servari mandant. Verùm quæ hìc pœna moratur
Inſontem regni ſociam? Quo crimine ſe ſe
Obſtrinxêre ſatæ? Quid quæris Muſa? Rebellis
Culpa per auguſtam non uno tempore ſtirpem,
Regináimque ivit, ſubdentes jugiter ignes

Et Patri, & Regi, criménque rebelle foventes.
Ergo participes ejuſdem criminis, æquâ
Plectantur pœnâ. Nullam Rhamnuſia noxam
Præterit impunem. Sequitur ſua pœna ſceleſtos.
Sed quî vindicibus plectentur crimina pœnis?
Ecquod ſupplicium junco, calamóque paluſtri
Obſeptum manet erratum? Quæ fata parantur?
Horrida, ab irata Patris decreta bilance.
Ac primùm ſugillari per buccera mandat
Flagra artus Chramni, multo manante cruoris
Flumine per corpus, meritâ pro crimine pœnâ;
Quam Pater ingratum ſanxit dependere natum.
Demum concluſam ſcirpo, cannáque paluſtri,
Præcipit abſumi flammis, ac igne cremari
Regalem quamvis ſtirpem, buſtúmque parari,
Ac cinerem infamem. Fatum hoc immane referre
Caſtalidem porrò piget, ac horrore repreſſam
Jam vetat in plures tremula ora reſolvere voces.
Hæc una extremis Muſæ natat obvia labris
Maxima: ut imperio patris ſe natus adaptet;
Nî velit æternis ſua plecti crimina flammis.

Sidrach, Miſach, Abdenago in flammante clibano illæſi.

Daniel. 3.

NAbuchodonoſor Imperii ſui potentiâ elatus, jubet ſuam in coloſſo aureis laminis obtecto erigi effigiem, capitis in eum pœnâ ſancitâ, qui auditis muſurgorum modulis, non decreſceret in genua, imaginem Regis pro Deo adoraturus. Signo concentibus dato, omnis multitudo proſtrata coloſſum reveretur, tres ſi excipias Hebræos: Sidrach, Miſach, Abdenago, mortem priùs millies oppetere deligentes, quàm admittere piaculum tam immane. Tyrannus furore præceps, contumaces apellas in fornacem vehementiùs inflammatam, manibus, pedibúſque ligatos jubet immitti. Beati heroës per medios ignium vortices ambulant illæſi, laudéſque DEO canunt, cæleſti genio lenem ventulum, & rorem, mirâ cum voluptate, eis afflante. Prodigii novitate perculſus Princeps, incolumes è clibano evocat, ac præconiis Dominatorem univerſi, tantorum mirabilium effectorem prædicat, graviſſimo in eos decreto ſupplicio, qui verbo, factóque contumeliam eſſent irrogaturi Regi æterno.

Vir-

VIrtutem flam̃ante pyrâ, Liparâq; probatam
Mulciberi, & rapidis dicentem jura favillis,
Ac populatrices vel ferrea corpora flammas
Vincentem, mea Muſa canet. Tria gentis
Idumes
Lumina Theſpiadi veniunt; quæ muricis ardor
Conſpicua Aſſyriæ regno, populóque verenda,
Atque ſtupenda dedit. Sed nullus fulgor honoris
In vetitas unquam potuit ſuccendere noxas.
Prætulit in ſævos ignis tranſire furores
Heroum ternus ſplendor; quàm miſta tenebris
Numina, lunato revereri poplite Virtus.
At nè, dum plenas verſat diſcrimine prunas,
Forſan Pierias ſibi adurat Caſtalis alas:
Aut ſaltèm piceâ niveum fuligine vultum
Fædet: ab æthereo depoſcit robore robur;
Quod novit ſtrictum flammis adhibere lupatum.
Arſaciæ probrum Merodachus, ditior auro,
Quàm virtute, thronum, ſupremáque jura decente;
Cùm ſummâ Imperii ſpeculâ deſpectat in omnes
Aſſyriæ terras, ſubjectáque regna tuetur
Corporeo haud equidem, ſed cæco lumine mentis,
Se videt Imperium terris æquare, Thetíque
Jura dare, ac toti fermè dominarier orbi.
Indè animo ſe ſe Martis non vana poteſtas
Exhibet, ac multus, quem nutrit Marſpiter, Ajax,
Innumeræque acies bellantûm, & vivida pubes
Gradivi, vaſtum quæ poſſit ſubdere mundum
Viribus armorum. Si Perſis claſſica poſcat,
Stabit Achæmeniis legio fortiſſima campis.
Hinc menti occurſat cunctarum copia rerum:
Pygmalionis opes, congeſtíque æris acervi,
Atque flagellatæ collectis cenſibus arcæ;
Mygdonio certare Duci quæ jure valerent
Immenſis regni gazis. Si cætera ſpectes
Munera fortunæ: quidquid diviſit in omnes

Telluris Dominos, Merodacho contulit uni
Plùs nimio indulgens. Hac ſorte beatior orbis
Regibus, in tumidas elato vertice criſtas
Surgit Achæmeniæ Princeps, ac deſpicit altas
Confines regno Pharias, Hebríque tiaras,
Et nihili pendit reliqui diadamata mundi.
Quid quod vel ſummum Cæli, terræque Monarcham
Abjicit ex animo, ſuperis dominarier oris
Ignavum reputans; quo jam non ulla poteſtas
Regnet in Arſacios rigido moderamine faſces.
Indè ſibi divos inflatus follis honores
Arrogat, ac Cæli, terræque Dynaſta vocari,
Atque eſſe exoptat. Prô! quò veſania vile
Reptile deducit? Quid? téne potentia regni
Vix æquans atomum, puncto, nihilóque propinquans,
Poſſit in audacem tumidè ſuſtollere faſtum?
Húncne aſpernaris, qui mundi ſolus habenas
Temperat, æternóque hæc omnia Numine complet,
Inque vetus revocare chaos tua regna, tuúmque
Uno duntaxat nutu annullare tumorem,
Omniáque in nihili potis eſt demergere abyſſum?
Nî tibi ſuccedat mens ſanior, æqua tonabit
In temerum Nemeſis crimen, pœnæque rigore
Edoctus cernes; quis præſit Regibus orbis
Majori Imperio. Sed ſurdo fabula. Faſtus
Quâ ſemel ire viâ cœpit, procedit eodem
Tramite; dum plenam tangat diſcrimine metam.
Annoſam citiùs quercum cum ſtirpe revellat
Agreſtis ſudor; quàm ſe ſe neſcia flecti
In juſtam ducat maleſvada ſuperbia vitam.
Sic ſceleri elato Princeps faſtoſus adhæret,
Nullâ exturbandus Svadâ, doctóque Periclis
Fulmine de firma cœpti ſtatione tumoris.
Utque animi ſpecimen ſe ſe ſuper ipſa ferentis
Sidera in effectum traheret, mundóque pateret;
Qualis in inflato Regis pulmone lateret

Æolus,

Æolus, ac tumidi bacchentur pectore Cauri:
Hac ſe ſe ratione DEO, Cæliſque laborat
Immodicus præferre thraſo, fatuiſque Monarcha.
Oſtentaturus domini miracula ſceptri,
Immenſóſque æris cumulos; quos dives Hydaſpes,
Hermúſque obſtupeat, tempeſtatémque ſonoram
Regalis gazæ, terrentem, unáque citantem:
Præcipit ingentem ſtatui, attollique coloſſum
Sex denos altum cubitos. Hunc prima coaptat
Materies ligni: tum multo fulgida cenſu
Bractea condecorat, pulchro fabricata labore,
Quà pretio plaudens, quà firmo robore conſtans.
Hæc moles auro rutilans facit ectypa Regis
Spargentis radios faſtûs. At ſubdita quercus
Accedit vero propiùs, ſolióque revelat
Caudicem, & inſignem premere alta ſedilia truncum.
Háncque auri fabricam, Rhodii de more coloſſi
In ſublime datam, veſano ſyrmate turgens
Arſacidûm Princeps, ſanciti lege crepante
Fulmina, thuricremo venerari mandat honore.
Cultûs prototypon Princeps Vix fœta tumore
Verba dedit Merodach: cùm nuntia fama per omnes
Aſſyriæ diffuſa plagas, edicta Monarchæ
Differit, indigenáſque jubet quacunque creatos
Sorte, coloſſæum lunato poplite numen
Ac ſimulacra Dei Perſis, mundíque vereri.
Decreto ſolii ſe tota effundit Eoos
Natio: cêu flumen rapidum munimine rupto
Præcipiti ſe volvit aquâ, nullis cohiberi
Jam patiens clauſtris. Primùm ſe ferre procella
Plebis morigera Imperio: tum lecta potentûm
Agmina, Summates urbis, regníque Dynaſtæ
Oebalio inſignes cocco, ſervúmque chorago
Stipati latera, amplâ majeſtate verendi.
Hos inter Syriæ tria maxima lumina terræ
Sidrach, Miſach, Abdenago, ſervilia ſiſtunt
Munera, non equidem cælatum numen in auro De-

Deveneraturi; ſed regia juſſa ſecuti
Officii externâ ſpecie. Nam cœtibus illis
Deëſſe vetat ratio, quam flagitat aulicus ordo.
Hanc molem ex auro fuſam, millenus Arion,
Amphiónque, Orpheúſque, & tinnula turba coronat,
Multigenis inſtructa modis; quêis mulceat aures
Non auri; ſed quem ſimulacrum denotat auri
Principis auriti. Poſtquam numeroſa, frequénſque
Arſaciæ plebes, ludibria cæca deaſtri
Prono circumſtat vultu, tumidíque ſalutat
Ectypa Regnantis: contentâ voce profatur
Umbone ex alto clamoſus talia præco.
Hoc vobis populis, tribubus, linguíſque ſevero
Dicitur edicto Regis. Quâ concinet horâ,
Mulcebítque aures variâ de ſorte Camæna:
Illico lunatis genibus decreſcite terræ,
Et divos ſtatuæ, præcepto Regis, honores
Solvite, ſacrificus patriæ ceu flagitat ordo.
Qui verò rigidi mandata capeſſere ſceptri
Negliget, aſpernans numen, quod fulget in auro:
Continuò ignivomum, longo qui incanduit æſtu,
In furnum præceps ibit, cinerandus aheni
Immani rabie. Themidos ſic præcipit urna.
Hæc ubi dicta dedit cretus de Stentore præco:
Illico dulciſoni vario diſcrimine vocum
Occipiunt moduli, tangentes leniter aures.
Ac primùm litui frangunt clangoribus auram,
Non triſte edentes murmur, vel ſæva cientes
Prælia Miſeni ritu; ſed læta canentes
Omina regalis, facturo juſſa, favoris.
Tum ſe Flaminiis pariles, miſtæque cicutis
Diſparibus tibiæ, grato modulamine in omne
Inſinuant pectus. Non viles Panos avenæ;
Sileníque modi regalia tecta frequentant.
Indè Aganippeam ſcitè Chaldæus Apollo
Sollicitare chelym; digitis, & verbere docto

Barbita pulſare, Arſaciáſque inflectere mentes
In votum ſolii mirâ dulcedine cantûs.
Demum Majugeno ſuppar Babylonia vati
Threycias animare fides, Phariúmque movere
Argutè ſiſtrum; Berecynthia ritè ferire
Cymbala, ſambucas, & quidquid in arte canendi
Præſtat, per variam feſtivè ducere Muſam.
Nunquam ſic vates Rhodopeius plectra, chelymque
Pollice verſavit. Non ſic Dircæus aruſpex
Argutum percuſſit ebur: nec fila canoræ
Taliter increpuit citharæ Phœbejus Arion:
Qualiter Aſſyriæ ſua tractant fila Camænæ.
Dum lætus reſonat feſtis concentibus æther:
Se cuncti abjiciunt ſinuato corpore terræ,
Proſtratíque jacent. Nec ſolùm pectora pronæ
Abjiciunt gentes; ſed munere vocis honorant
Exanime idolon, Regémque verentur in auro
Fuſili, & immerito diademata turgida cultu
Extorres veræ fidei, mentíſque ſalutant,
Atque hoc ſacrilego ſe omnes aſpergere probro;
Ternos ſi excipias, queîs una eſt cura ſalutis,
Abdenago, Miſach, Sidrach. Hi quippe ſtetêre,
Quo cœpêre gradu, ſublato vertice Cælum
Inconnivo oculo ſpectantes, atque tuentes
Verum illud Numen, quod toti præſidet orbi
Supremo Imperio. Nec enim per jura licebat
Iſaciæ gentis, ludibria cæca deaſtri
Relligionis honore ſequi, cultúmque parato
Deferre obrizo, poplitémque inflectere trunco.
Oppetere innumeras fixa eſt ſententia mortes,
Sexcentáſque neces priùs, ac immane tyranni
Decretum tolerare juvat, quàm nata recenter
Numina, déque ſoli gremio divulſa, vereri
Ridendo cultu. Soli ſtat ſacra Tonanti
Solvere; qui mundum nihili de fonte levavit.
Præſtat enimverò per vulnera mille, necéſque

Exturbari animam; quàm deteſtabile crimen
Moliri in veras, quæ tradunt ſidera, leges.
Hæc immota manet mens terno corde, dicata
Sidereis ex aſſe plagis. Stat maſcula Virtus
Cœpto firma gradu, Superûm ſtabilita vigore.
Verùm hæc libertas, pro libertate virili
In ſtatione manens Virtutis, Perſida primùm
Attonat, in varios ducentem pectora ſenſus.
Tum furor Arſacidas ſubitam compellit in iram,
Vindiciáſque petit neglectæ legis, & omnes
Aſſyriæ Nemeſis ſævas exſolvere pœnas
Abramides poſcit. Prô! quæ jam fata parantur?
Hic verò inprimis Summatûm ardere furores
In genus Iſacium; quos dudum livor aduſſit,
Tormentúmque oculis, animíſque immane parârat
Gratia, quâ ternos Princeps dignatus apellas
Sæpe fuit, fovítque alias per munera gentes.
Quare Chaldæi livore, furore flagrantes,
Vindictæque malo, properis ſe paſſibus urgent,
Atque Semiramias contingunt protinus arces,
Auguſtálque petunt. Jam ſceptrum accedere tentant,
Inſimulaturi de grandi crimine ternos
Jeſſiades, magnæque volunt arceſſere noxæ.
Nec ſunt difficiles ſolii, blateronibus, aures.
Illico ſtentoreis regalia tecta querelis,
Ac penetrale patent. Hic primus Satrapa, vultu
Contracto in nubes mæroris, talia fari.
Auguſte Arſacidûm Princeps, mundóque verende
Jupiter, Aſſyriæ decus immortale tiaræ.
Sanxiſti Themidos trutinâ, legémque dediſti
Juris Achæmenii moderator: ut omnis honore
Divino populus, concluſum numen in auro,
Cêu par eſt, recolat. Præſtandi munus honoris
Decrevit ſolium: cùm clangens ære canoro
Signa daret tubicen, citharæque, lyræque ſonarent,
Chaldæúſque Orphêus fidibus mulceret inane.

Si verò quiſquam perfrictâ fronte negaret
Relligionis opus; nec in optima vota citaret
Poplite demiſſo numen, quod proſpicit auro:
Illico flammivomis, decretâ lege, caminis,
Delicto meritas cogatur pendere pœnas.
Hanc legem Abramii obfirmato corde Dynaſtæ,
Sidrach, Miſach, Abdenago; quos gratia ſceptri
Immeritos licèt ornavit, doníſque beavit,
Poſtpoſuêre ſuæ (prô crimen pergrave!) legi.
Quippe ubi Primores Babylonia jura ſequuntur,
Atque frequens populi cœtus tua juſſa faceſſit
Obſequus, erectúmque colit, recolítque coloſſum;
Terni Jeſſiadûm verpi, ſimulacra nec uno
Lumine dignantes, conſiſtunt, rupis ad inſtar,
Uno eôdemque gradu, totâque fremente coronâ
Præſentis populi, ritum, cultúmque recuſant
Reddere; quem ſolii decrevit ſumma poteſtas.
Hæc ille. At Merodach primùm candeſcere vultu,
Flammaríque irâ: tum voce crepante tumorem,
Fulmináque, actutum juga detrectantia ſiſti
Pectora demandat. Confeſtim plena furore
Tecta ſubit ternum Chananææ gentis, & Hebri
Magnanimum, ac illuſtre decus, ſoliíque moratur
Imperia, in ſævos jam jam eruptura furores.
Hoc ubi lymphato ſimilis, veſanus Erinnys,
Tiſiphonéſque nepos, ſe coram ſtare tuetur
Luminibus terræ abjectis: revocare minaces
Ardentis cilii Evmenides, frontíque ſerenum
Reddere, & Iſacios ſic compellare Dynaſtes.
Lumina Jeſſiadûm, claræque Semiramis oræ,
Egregium, ac illuſtre decus. Num vera feruntur
Nuntia de vobis: ſolio vos ferre rebelle,
Ingratúmque animi crimen, pro munere tanto
Gratuitè effuſo? Num juſſa capeſſere ſceptri
Detrectare velit mihi ſubdita ſemper Idume?
Aut, poſtquàm moduli, feſtiváque buccina cultum

Juſſerit, Arſacidûm numen pro lege coletis
Aſſyriæ: aut ignis cinerantes ſentiet æſtus
Seditionis amans genius, ſceptróque rebellis.
Et quod vos tandem, quod, dicite, Numen, inani
Hactenus ornatum cultu, quod cæca veretur
Sarais; hoc valido Babylonis ſolvere jure
Prævalet, ac celeres flammæ cohibere furores?
Hæc tumor, aut potiùs tumidi dementia Regis.
At quid Jeſſiades? Solio quæ verba reponunt?
Quæ Virtus proferre jubet formidinis expers,
Veráque libertas Heroum. Hinc talia fari
Unus ab impavido firmatus robore Cæli.
Maxime Perſarum Princeps. Si congrua noſtris
Ritibus, Iſaciæque jubes conformia legi,
Juſſa capeſſemus; quamvìs diſcrimen adire
Præcipias vitæ, fortunarúmque perîcla,
Hoc etenim obſtricti depoſcit muneris ordo,
Hoc fas, júſque petunt. Verùm ut fabricata labore
Mortali ex æris maſſa ſimulacra colamus:
Id vetat Abramidûm lex nobis ſcripta Tonantis
Dexterâ, & immanes in vana idola colentes
Intorquet pœnas, rigido Phlegetonte luendas.
Hoc Numen, quod nos colimus, furialibus iris
Flammarum, atque tuâ potis eſt exſolvere dextrâ.
Si jubeat rapidis mortalia corpora flammis
Cedere, conſumíque rogo, buſtúmque volanti
Extradat Boreæ; ſuperis ſe ſpiritus oris
Nulli ſubjectus fato, ceu credimus, addet.
Sêu Cœlum in rores ignem, plateáſque roſeti
Commutare velit: ſêu per tormenta voracis
Mulciberi ducat: nos veri Numinis æquum eſt
Pendêre arbitrio. Nec enim mercedis amore
Ducimur; aut meritis æquamus grandia Cæli
Thaumata; ſed colimus Numen, quia Numen, amoris
Officio eſt dignum; quod nutu dirigit orbem,
Atque præeſt omni ſolio, quod Phœbus uterque

Na-

Naſcens, ac moriens ſpectat. Jam ſtamus amato
Numini in obſequiis, cadimúſque in vota, manúſque
Supremo rerum Domino, non æra colentes;
Quæ terræ gremio lapidaris trulla revulſit.
Maſcula enimverò Virtus in utrumque parata,
Sive ſuperſtes agat, sêu fato cedat acerbo.
Dum videt Iſacidûm nullo molimine pectus
Flecti poſſe thronus, tumidas conſurgere in iras.
Jam rabie pallere genæ; jam muricis ignes
Serpere per malas; jam ſævas lumine flammas
Spargere, jámque arcu cilii ſibi regna locare
Evmenides; jam fronte minæ, nubéſque vagari,
In fædam irarum tandem eruptura procellam.
Jámque tonare furor ſolii, labríſque vibrare
Fulmina, in Hebræos collimatura Dynaſtas.
Sed quod erit tonitru? Quod mundus uterque ſtupeſcat.
Imperat actutum flammis ferale theatrum
Surgat, in immenſos dextris famulantibus ignes,
Augeríque rogum naphtâ, ſtupâque, picíſque
Unguine, materiem flammæ, prunæque daturâ
Septuplam, in indociles crudelia funera verpos.
Non talem eructat rupes Trinacria flammam
Sidera corrumpens, piceóque volumine Phœbi
Ora ſuperfundens. Non tales fortè Veſevus
Irato terræ gremio prorumpit in ignes,
Mulciberíque globos volvit, glomerátque per auras
Fragmina ſaxorum rutilis perfuſa favillis:
Quales Aſſyriæ cucuma exardeſcit in ignes,
Actura in ſubitum vel ferrea corpora buſtum.
Hac irritatum Vulcani peſte caminum,
Jámque avidos rictus reſerantem, ac multa petentem
Pabula flammarum, flammis majoribus ardens
Irarum Princeps, furiali ùt lumine cernit;
Continuò ternos manibus, pedibúſque revinctos
Jeſſiades, ùt erant braccis, gemmíſque ſuperbâ
Ornati cidari, ſuperantibus ignibus Ætnam

Præcipit immitti. Famuli fera juſſa ſequuntur.
At contra vires Superûm, inconſulta tyrannis
Nititur humanas incaſſum attollere dextras.
Virtuti orcheſtram tribuet Babylonia fornax,
Conſtantique animo pulchrum, ac ſublime theatrum
Vel flammas inter ſurget. Jam ſcena paratur,
Quam ſolium Arſaciæ ſtupeat, totúſque videre
Attonitus cupiat, quà ſe ſe porrigit orbis,
Imò poteſtatis ſupremæ vera poteſtas,
Hìc ſe ſe Perſi claro dabit argumento.
Et verò validi jam magna potentia Cæli
Prodigio patet inſigni, Numénque fatetur ;
Cuî famulatrices ſubmittunt jura furores
Ignium, & ultrices veniunt in crimina flammæ.
Nam ſi præcipiat, ceſſant ſævire rigore
Ordine naturæ ingenito, revocántque minaces
In quæcunque etiam vel mollia corpora dentes.
Atque hìc jam proprias compeſcit Mulciber iras.
Iſacides etenim fugit igneus ardor, edáxque
Vulcani rabies contingere ſacra veretur
Pectora, & attonitæ ſtant ad miracula flammæ.
Illos quippe timent ardenti ſtringere nexu ;
Quos Cælum vetuit violari morſibus ignis.
Flammarum linguæ juſtorum pulchra loquuntur
Et merita, & magnam Virtutem, fæda tyranni
Juſſa aſpernantem. Mortalia corpora flammæ
Accipiunt ; ſed jam velut immortalia cultu
Ferventi recolunt ; pietati debita præſtant
Munera, & imperio cæleſti heroas adorant.
Ac ſic illæſi Vulcani dente, Pyrauſtæ
Naturam induti, lætum pœana ſonantes,
Vorticibus mediis flammarum ultróque, citróque
Procedunt hilares, manibus, pedibúſque ſoluti
Ære gravi, laudéſque DEO, Superiſque canentes,
Quos penes imperium eſt elementis ſcribere leges.
Dum ſacros recinunt modulos, verúmque canoris

Voci-

Vocibus afficiunt Numen, laudéſque per omne
E nihilo extractum Cæli, terræque theatrum
Abramides ducunt; ſuperâ demiſſus ab arce
Pennatus juvenis, placido comitante Favonî
Murmure, pergratas aſpirat leniter auras.
Quin lacrymâ Auroræ, & roralibus irrigat undis,
Atque voluptatis mirâ dulcedine paſcit,
Imponítque modum flammis. At Mulciber iſtud
Ampliùs haud frenum patiens, erumpit aheno,
Flammarúmque globos volvens, pleno impete ſe ſe
Evibrat in famulas, feralia munera, dextras,
Pabula præbentes Liparæ, ſerpítque, furítque
Corpore Achæmenidûm, cinerátque immaniter artus,
Buſtáque diſpergit. Sunt hæc magnalia Cæli.
Poſtquàm hoc Aſſyrius permirum thauma tyrannus
Conſpicit; attonito ſimilis, ceu fulmine tactus,
Terretur novitate rei. Perſiſtit eâdem,
Haud secùs ùt rigidum marmor, ſtatione, tuénſque
Prodigia, humanas longè ſuperantia vires,
Divinum quiddam reputans, jam corde veretur
Numen; quod nuper temero aſpernarier auſu
Non dubitavit inops animi, tumidúſque Monarcha.
Ut verò liquidè pateant miracula Cælis
Edita, & haud dubii ſuccedat notio facti:
Eminùs in tremulas jactat ſua lumina flammas,
Viſurus rerum oſtentum. Portenta! Quid iſthoc?
Exclamat trepidus Merodach. Chananæus oberrat
Vortice flammarum, metuítque accedere peſtis
Mulciberi Iſacides? O magna potentia Cæli!
Quid rurſum tueor? Num mentem ludit imago
Phaſmatis, aut oculos veſanus faſcinat error?
Ternus in ardentem projectus Apella caminum,
Jam quarto graditur comitatus Achate per ignis
Ardentes furias, altíſque innoxia figit,
In nullo penitùs læſus, veſtigia prunis.
Quis valuit rigido flammas cohibere lupato?

Quis? niſi qui ſolus rerum moderatur habenas;
Quíque ſolum, Thetidóſque plagas, orbéſque ſupernos
Dirigit, ac totum nutu ſibi ſubjicit orbem.
Hæc ubi dicta dedit meliori lumine tactus
Æthere, ſublatas deponit vertice criſtas;
Ignibus accedit propior, formidine quamvis
Obrutus, à flammis metuens diſcrimen, & alto,
Contentóque vocat Jeſsîdes chromate vocis,
Atque iterúmque, iterúmque citat, ſceptríque potentis
Indice demandat, ferventi exire camino
Majorem flammis Virtutem. Juſſa ſequuntur
Regia continuò tria maxima gentis Idumes
Lumina, & obſequio faciles, ſua munera ſiſtunt
Arſacidûm Regi. Tum tota corona ſtupere
Et Procerum, & populi, partímque timore feriri,
Partímque æternum Numen pro jure vereri;
Quod poſſit cunctis præſcribere legem elementis.
Hìc verò humanas totum ſe fundit in artes
Jam melior Princeps. Verbis compellat amicis
Inſontem Abramidûm gentem; complexibus ambit;
Sacro hæret collo, multóque veretur honore
A Superis cultos. Hinc majeſtate Regentis
Tantiſper poſitâ, miſſóque tumore, Tonanti
Æthereo Aſſyrios poſthac ſubmittere faſces
Certus, de genibus ter magnum Numen adorat.
Principis exemplo populus, regníque Dynaſtæ
Procumbunt pariter ſubmiſſo poplite, verum
Numen adorantes lunato corporis arcu,
Affectúque animi. Quid quòd præconia fundunt
Rerum agnoſcentes Dominum; cuî ſubjacet omne
Imperium terræ; cuí ſe ſe elementa, genúſque
Omne, panomphæus quod claro lumine Phœbus
Aſpicit, in famulum ſubmittit jugiter uſum.
Poſthæc tollit humo ſe Princeps, omnia latè
Majeſtate tuens ſolitâ, vultúque ſevero
Ad Procerem, & populum converſus, talia fatur.

Sub-

Subjectæ Imperio gentes, quêis Rector Olympi
Summo jure præeſt. Hæc vobis ſceptra Tonanti
Tradita demandant. Nemo, quod lege cavemus,
Aut Procerum, aut populi, verbo, factóque laceſſat,
Vel probro inceſſat ſupremi Regis honores.
Hanc quiſquis temero legem violaverit auſu ;
Noverit is meritas Chaldæi Principis iras
Haud dubiè ſe incurſurum, pœnáſque daturum;
Quas jure Arſaciæ Themidos decreverit urna.
Exemptos verò flammis virtute potenti
Ætheris Iſacidas, claros pietate, probatos
Ignibus, in pretium fidei, majoribus auget
Regnorum titulis; ſubjectis præficit oris,
Omnigenóque jubet, cêu ſceptra vicaria, cultu,
Officioque coli, pro gentis more recepto.
Sic obſtricta DEUS fidei ſibi munera penſat
Præſenti interdum pretio, immortalia quondam
Dona effuſurus Cælis. Non deſere Numen
Extremo rerum articulo: nè deſerat, à quo
Deſertus, ſtygiis flagrabis jugiter oris.

CASTITAS
ephebi Reginæ Iſabellæ illæſa ab ignibus.

ISabella Hiſpana, Virtute, quàm Regno clarior, unum ex ephebis, ob vitæ innocentiam, præ cæteris fovens, dignum duxit, cui munus diſtribuendi ſacras largitiones committeret. Uſſit hoc unum alium de regiis pueris, ex aliena felicitate grande tormentum capientis. Utque rivali nocitum iret, accedit livore ſuffuſus Regem Dionyſium, ſceleríſque infandi reum agit. Nec irrito effectu cadit criminatio. Vocatur in ſuſpicionem Regina, ac ephebus: neque jam de culpa, ſed pœna agitur. Datur clàm à Rege negotium calcariæ fornacis curatori; puerum ut honorarium, deſignatâ die, ac horâ mittendum, quærentémque, num mandata perfeciſſet, ſinè mora correptum, in clibanum ardentem mitteret. Jámque aderat tempus, quo regio juſſu ephebus, fati ſui ignarus, ad præfectum calcis excoquendæ mittitur. At ſervat probum adoleſcentem pietas. Dum enim Regis mandata ſequitur; ſignum æris campani auribus accidit, ſignificans rem divinam agi.

gi. Accedit ædem ſacram, & in genua proſtratus, DEUM in Euchariſtia præſentem ternum per Sacrificium adorat. Dum vacat pietati, tranſit hora mandato Regis futura ei fatalis. Hæc inter ablegat Dionyſius illum ipſum calumniæ adornatorem, ſcitaríque jubet: num mandata Regis fuiſſent confecta. Feſtinat ad calcariam ultrinam diſcinctus nepos, hiantéque ore ex magiſtro ejus operis percontatur: num mandata peregiſſet. Hic certus regiæ juſſionis, arripit ambobus lacertis juvenem, in clibanum injicit, ac in cineres redigit. Adeſt è veſtigio alter pietatis alumnus, accipiénſque à calcis curatore, peracta ritè ſolii juſſa, continuò redit ad Dionyſium, rei admiratione ſuſpenſum, Reginámque, ac ephebum à ſuſpicione ſceleris abſolventem. *Petrus Ribadeneira S. J. in vita S. Iſabellæ Reginæ Luſitaniæ ad* 14. *Julii.*

Quid valeat pietatis amor, cultúſque ſupremi
Numinis, ac nullâ delicti labe notatus
Innocuæ mentis genius, de tramite recti
Nunquam deflectens, paucis ſacra Cyrrha docebit.
Virtutis documenta canet; quæ dives Iberus
Virtutum pretio, nunquam non exhibet orbi.
Quas verò pendant ſcelerum contagia pœnas,
Livoris ſociata malo, funeſta parantes
Prælia cultori Superûm, velut edocet uſus,
Calliope quóque noſtra dabit. Non criminis uſum
In plectrum coget; ſed Relligionis amorem,
Ac pietatis opus, caſtâ Permeſſide dignum

In nervos ducet. Nè verò forſan honeſti
Calle abeat, te Virtutem, quæ curris ad ipſum
Utile, Caſtaliæ poſcit ſuccurrere nymphæ :
Ut pietas meritos preſſo livore triumphos
Ducat, & invicto ſtent clara trophæa Theandro.
Floruit Heſperiis perbella Iſabella theatris
Tarteſſi Princeps, genus alto à ſanguine Regum
Sumens Arragonum; cui dos pulcherrima Virtus,
Ac pretium Virtutis erat. Non illa nitentes
Formarum larvas, cocco, nivibúſque caducis
Spectandas mundo, fortunarúmque tributa
Penſi habuit, multorum irritamenta malorum.
Hic Virtutis amor longè extulit orbis Eoi
Lumen, ſupremúmque decus. Quin fama pudici
Pectoris, Auſoniis nuribus, Grajúmque Lacænis,
Penelopéſque thoro majorem vulgat Iberis
Gentibus, ac toti venerandam prædicat orbi.
Si reliquos infinitæ Virtutis honores,
Innumeris famæ linguis adjuta referre
Muſa velit, doctúmque citet Parnaſſidos agmen,
Pieridúmque choros præconia multa canentes:
Deficiet citiùs Libethram ſpiritus, omni
Exarente undâ, quam Bellerophontis honorus
Excuſſit quadrupes. Virtutum copia longè
Culmina tranſcendit Phœbo, Muſíſque ſacrata.
Nec Virtus unquam calamiſtro eſt indiga laudis.
Non ementitum fucis amat illa colorem,
Aut famæ pigmenta petit. Quam vera venuſtat
Gratia, ab Aonio non poſcit munera colle ;
Nam proprio rutilans, fulget, plauditque nitore.
Atque hoc Virtutis decus inter propria natum
Pectora Reginæ, toti ſpectabile mundo
Emicat, & gratam Phœbæis efficit oris.
Comprimis verò (nam cætera Muſa tacendo
Præterit haud laudi ſuppar) clementia reddit
Heſperio acceptam regno, ac miſeratio Virtus,

Quam

Quam primo cum lacte bibit, largíſque per ævum
Mortale inſeruit ſceptris. Hac reſpicit omnem
Propitiâ ſemper dextrâ Tarteſſidos Irum,
Pauperiéque levat. Virtus eſt digna Regente,
In miſerum lautos cenſus diſpergere Codrum.
Non ea regnorum gazas, ùt inutile pondus,
Obſcuris tradit latebris, ſpecubúſque recondit
Tantalidûm ritu; ſed quod Pactolus, & Hermus
Effundit ſolio, miſerando porrigit Iro.
Non ità largiflui manantes æthere nimbi,
Arentes terræ fauces, laticémque petentes,
In votum relevant: velut auri depluit imbrem
In penè innumeras miſerorum Iſabella catervas.
Hæc inter famulas Regina potentior aulas,
Unum præ reliquis veræ Virtutis ephebum
In primis habuit curis, & amoribus, ipſis
Unà percharum Superis. Et verò Monarchæ
Dignus amore fuit. Quippe illi cura fidelis
Virtutum, innocuæque ſtetit cuſtodia vitæ,
Atque verecundi radiabant ore pudores.
O raram, nullâ ſceierum fuligine tinctam
Aularum gemmam! Facilis contagio ſe ſe
Affricat inſonti; piceam qui incautiùs aulam,
Criménque illius tractat. Verùm Heſperus iſte
Hippolytus, rectæ ſemper Virtutis alumnus,
Declinare nefas doctus, noctúque, diúque
Divinas leges duntaxat corde revolvens,
Tramite laudandi nunquam non currit honeſti.
Hic Virtutis honos, compertáque tempore multo
Officia inſignis fidei, ſinè fraude, dolóque;
Quêis plerumque ſolent aulæ inſervire gnathones;
Uſque adeò Heſperiæ Lucinam, ac Pallada mundi
Devinxêre ſibi; ut meritis deferre pudoris
Sanxerit in miſeros largiſſima munera Codros,
Ac diſpenſandum rectè commiſerit aurum,
Spargendúmque Iris. Meriti dum fortè favoris

Incrementa capit: Livor regalia ſemper
Tecta colens, aptum circumſpicit undique pectus;
In quod ſementem jaciat; quod creſcat in amplos
Invidiæ fructus. Et verò ſe illicet offert
Livori exitium meditanti, Pſevdolus aulæ
In ſcelus appoſitus; cuì germina mentis iniquæ
Implantare queat, rebúſque aptare futuris.
Dum forſan Morphêus ſceleratos diſtinet artus
Pſevdoli, & oppreſſum Bromii gravitate, ſoporis
Vincula conſtringunt; ſe ſe adfert lugubre monſtrum,
Et talem, aut ſimilem dea geſtat livida formam.
Diſcurrit vultu ſquallor, frontémque rigoris
Jura premunt. Cilium fædè curvatur in arcum.
Luminibus vaga flamma errat, naréſque retortæ
Deſtillant tabum. Labris ſtat pallor, & horror.
Dentes inſumit rabies Maſſila leonum.
Pectora vipereo ſunt agmine circumſepta;
Quod capita extrudit fatum lethale datura.
Cætera quid memorem? Terretur imagine monſtri
Caſtalis, heroo quantumvìs robore fulta.
Atque hæc terribilis viſu dea, prodita Averni
Sedibus, Evmenidúmque ſoror, Plutíque Camilla,
Perniciem ſolùm mundi, ac diſpendia curat.
Dum movet illa manus, rapidis capit obvia quæque
Unguibus in prædam. Dum forſitan ocyùs ire
Anguineos jubet illa pedes; diſcrimine certo
Adverſæ ſorti accedit, fatíſque propinquat.
Si fremit, ac dentem fortaſſis dente fatigat
Iras deſignans; omnes formidine complet.
Si labrum deforme movet livente colore
Illitum, & in ſtreperas ſe vult effundere voces;
Spectantes terror, nec non faſtidia tangunt,
Stridorémque audire horrent. Si luminis orbes
Cæcos alterius ſortis fulgore, revolvit:
Peſtiferum vibrat obtutum. Si curvat in arcum
Triſte ſupercilium, frontémque in nubila çogat

Innu-

Innumeris fœdè rugarum errantia ſulcis:
Tranquillos ſine nube dies extinguit, & atro
Omnia circumdat peplo. Nè plura: malignum
Denique Livoris portentum, inſignia patris
Turpia præſefert tetro Phlegetonte creata,
Ac penè exſuperans Plutum, ſtygiámque nigrore
Perſephonem evincens matrem, lugubria terret
Tartara, & exanguem fœdo lurore pavorem
Attonat, horrida, ſqualida, tetrica, ſæva Megæra.
Hoc deforme genus ſtygiis deformius undis,
Purpureum Phœbi vultum, ac rutilantia Solis
Lumina declinans, cæcâ caligine noctis
Duntaxat graditur. Tenebras fata diligit Orco.
Atque hoc tabificum, ſempérque in damna paratum
Invidiæ oſtentum, macie, tabóque pereſum,
Appoſitum in nocuum crimen livoris alumnum
Accedit propiùs; vitium commune ſecundis
Rebus, & inſomnes inſtillatura furores,
Juges Invidiæ comites. Tum plumbea promens
Pectora, vipereo multùm turgentia ſucco,
Admovet infauſto pubi, labríſque propinat
Omnem, quam voluit dea livida tradere peſtem,
Indè in Cimmerias, queîs degit jugiter umbras,
Tardigradô ſe infert paſſu, viſura, licèt ſit
Perpetuis proprio vitio damnata tenebris;
Quem tandem eventum ſit ſortitura mali vis,
Transfuſa in fraudes genito, criménque Phrynondæ.
Oſtentum vigil eſt. Sed quid [illegible]bris alumnus?
Deſerit ignavi jam Pſevdolum inertia ſomni;
Nam pulſus livore inſomni cedere Morphêus
Cogitur, atque oculis torpens removere papaver.
Illico tabificam ſentire per ilia peſtem
Pſevdolus, atque imis graſſari ſæva medullis
Prælia, & indomitas diſcurrere pectore Diras.
At quis livoris meta, objectúmque furoris?
Quis menti primùm occurſat? Nónne æmula virtus

Au-

Aucta favore throni; quam nunquam ſuſtinet æquo
Lumine, ab invidiæ contactus peſte, tueri?
Hæc equidem virtutis honos ſe ſe illico menti
Oggerit, atque animum lymphatam accendit in iram,
Vindiciæque facem, vicino ſanguinis imbre
Solùm extinguendam. Quò verò mentis iniquæ
Sancita, in certum valeat deducere factum,
Et pulchram è medio virtutis tollere famam:
Per varios jactat corda irrequieta labores,
Nocte, diéque vigil. Sed qualis pectora conſus
Occupat? In certam qui poſſit abire ruinam
Adverſæ ſortis. Quare decernit Iberum
Peſte afflare thronum, criménque in viſcera Regis
Fundere, & exoſam virtutem reddere ſceptro.
Ac veluti vivens aconito vilis Arachne
Toxica flore rapit, quo dulcia munera mellis
Virgineæ carpunt volucres; quódque ore maligno
Suxerat Idmoniæ probrum, transfundit in hoſtem
Obvium, & exhauſtum ſpargit cum funere tabum:
Haud ſecùs imbibitum livoris lacte venenum,
Mittere in Heſperii ſatagit præcordia Regis
Pſevdolus Invidiæ pullus. Quod crimen adornat?
Continuò ſolium, pravo livore tumeſcens,
Atque odio flagrans, accedit, talia fando.
Inclyte Tarteſſi Princeps. Moderator Iberûm
Maxime; quem Eoi reverentur climata Phæbi.
Me quoque ad auguſtum, famulari munere, prono
Corpore demitto ſolium, fideíque tributa
Defero, non uno Regnanti cognita luſtro.
Si fandi veniam tribuit clementia magni
Principis, officium præſto de jure miniſtri
Debitum, & in ſceptri nonnulla expono ſalutem;
Quæ vetat officii ratio celare fideli
Pectore; ni immenſi cupiam reus eſſe piàcli.
Annuit optatis Princeps. Tum perfidus aulæ,
Tarteſsíque Ithacus, lacrymarum rore malignum

Irro-

Irrorat vultum, triſtíque hæc munere promit.
Auguſte Heſperiæ domitor. Maleſvada libido
Aulæ nutritur gremio, eruptura nefando
Crimine; ní inceſtum prævertat cura Monarchæ
Actutum facinus; quod gliſcit ab igne Diones.
Hæc ubi dicta dedit planctu, fletúque doloſo
Illita, confićto premit ora ſceleſta dolore.
Hic Princeps gravitate mali perculſus, avénſque
Illicet aulai fædam cognoſcere cauſam :
Præcipit actutum, poſito, miſſóque pudore
Criminis, adſtrictæ diſſolvat vincula linguæ.
Pſevdolus obſequio facilis, demittere terræ
Lumina, & in tales mala mittere pectora voces.
Heſperii conſors thalami, quo neſcio pubem
Affectu ſequitur; cuî munus tradidit Iris,
Innumeróque inopi regales ſpargere cenſus.
In Codros equidem nummos diſpergit ephebi
Dextera; verùm unà non caſtos ſpargit amores
In pulchram regni ſociam, recipítque viciſſim
Fœnus amoris amor. Quid enim, (ſi copia fandi
Traditur à ſceptro) quid, amabò, loquuntur amoris
Indicia, haud uno mihi crebrò cognita Phœbo?
Colludunt oculis. Jacit hæc, jacit ille favillas
Luminis, obtutúque hæret defixus in uno
Et puer, & regni conſors. Quin dulcia miſcent
Verba, ac immodicis indulgent ſæpe cachinnis.
Denique, quò paucis complectar multa : favore
Plùs æquo Regina ſibi devincit ephebum.
Hæc ſcelus. At Princeps fidâ virtute probatâ,
Laudatóque animi candore, inſignia ſpondet
Præmia teſtatæ fidei, pubémque ſubornat
Illico, pervigili ſcrutari lumine crimen
Reginæ, ac pueri: tum viſa, audita referre
Actutum ſolio, multo penſanda favore.
Avolat in technas facilis, pronúſque Phrynondas.
Interea rabidis Princeps exæſtuat iris,

Atque

Atque furore fremens, frendénſque immania ſancit
Funera; quêis vetitos extinguat protinus ignes.
Talia nempe parit ſuſpectio, ſæpe malorum,
Ac ſcelerum genitrix. Quid quòd fatalia multis
Damna parat, nullo veri fundamine nixum,
Falláxque arbitrium mentis; cuî criminis umbra
Haud dubium eſt crimen, rigidis tractabile pœnis.
An non conjectura levis definit eâdem
Menſuræ ratione alios, quâ vivit iniquus?
Virtus virtutem virtutis pondere librat.
Crimen metitur, non crimen, criminis ulnâ.
Atque hæc præcipitis fuit una decempeda Regis.
Nec jam delatum facinus, quod jura repoſcunt
Bæticolûm, ac veræ Themidos, libramine juſti
Pendere ſtat ſolio; ſed diras mente reverſat
In facinus pœnas. Sola eſt pro lege voluntas,
Pro ratione furor, decernens ignibus ignes
Plectere, & inceſtam Vulcano tradere flammam.
O Superi! quanto mortalia jura rigore
Vicinum crimen feriunt, ac lege ſeverâ
Judicis, in rigidas conſurgunt illico pœnas:
Et ſua, quêis magìs obſtricti ſunt, crimina blandè
Palpant, atque ſibi reputant plùs ordine juris,
Quàm quos ſubjiciunt majori lege, licere.
Talis in Heſperium cecidit veſania ſceptrum.
Nec mora: clàm ſolii conſorte, negotia dantur
Tarteſſo Steropi, curatoríque cremandæ
Calcis, ſub certis, niſì præſtet munia, pœnis;
Quò pubem tali mittendum ſole (diémque
Nominat, ac horæ ſpatium Buſiris Iberus)
Ac percontantem: num juſſa fideliter acta?
Actutum cyclopeis in fata lacertis
Excipiat, nullâ lacrymâ, planctúque movendis,
Atque obteſtantem Divos, hominéſque, flagranti
Injiciat cucumæ. Steropes mandata capeſſit.
Eja triumphales hilaris jam Livor adorna

Plau-

Plauſus; in manibus jam victrix palma reſedit.
Æmulus occumbet; cui fata, necémque parâſti
Crebriùs, horrendíſque cadet jam victima flammis,
Ex quibus immenſum tibi ſurget lumen honoris,
Ac famæ ſplendor cunctas ſpargetur in oras.
Jam Brontes flammas flammis, atque ignibus ignes
Materie multâ accumulat, volitante favillâ
Aëreis latè campis, fumíque vapore
Invadente ipſum radiati Hyperionis orbem.
Dúmque ex imperio ſolii candeſcit ab æſtu,
Suppárque Ætnæis fornacibus Heſperus ardet
Clibanus; innocuum Phalaris Tarteſſus ephebum,
Continuò ad Liparam calcis ſaxeta coquentem
Feſtinare jubet, nigrúmque Pyracmona verbis
Talibus affari. Num juſſa fideliter acta?
Moriger Imperio pubes, volat ocyor Evris,
Illicet acturus tanti mandata Monarchæ.
Ehêu! quò integritas celeras? Quò vita, fidéſque
Inculpata ruis? Jam capta es, jámque teneris,
Haud dubiè flammis cellura voracibus eſca.
Hócne tibi pretium virtus, pietáſque rependit?
Quid? tantíne ſtetit tibi amor, magnæque faventis
Gratia Reginæ? Quò te deducit iniquus,
Præcipitíſque rigor fati? Num pabula flammis
Præbeat illuſtri virtutum luce coruſcus
Relligionis amor, cultúſque, ac cura ſacrorum?
Verùm alia eſt Superis mens haud ignara futuri.
Provida ſidereis deſcendet cura theatris;
Quæ jam decreto ſtatuit te exſolvere fato.
Perge bonis avibus, Cæli comitantur euntem,
Ac virtus lateri accedit, fidóque clienti
Inconcuſſa hæret. Nullo diſcrimine vitæ
Jactatur fatis major virtutis alumnus;
Quem tutus Superûm nunquam non protegit umbo.
Hic equidem Livor maleſvadus fraude miniſtrâ
Eſt orſus telam lethi, non antè Sinonis

Arte

Arte retexendam; quàm Cælo vindice techna
Se proprio inneƈtat laqueo, Nemeſiſque refleƈtat
In caput authoris ſtruƈtæ molimina fraudis.
Tales nempe merent liventia crimina pœnas.
Occidet Invidiæ peſtis, vivétque perenne
Virtutis ſtudium; cui ſe devinxit Iberus
Ex toto pubes, nulli pietate ſecundus.
Atque hanc virtutis curam, ac ſinè crimine vitam
Materno cum laƈte bibit, ſanƈtéque per omne
Curriculum ætatis ſervavit, tramite reƈti
Jugiter incedens. Ac primum, à Numine, cultum
Intemerata ſibi Jeſſææ gloria ſtirpis
Vendicat, in trepidis unquam non rebus aſylum.
Indè pudicitiæ conſtanti flore virentem
Ducere pubertam; tædas odiſſe jugales,
Et quidquid nocuo Cythereis flagrat ab igne.
Tum rem divinam nullo non ſole piorum
Accurare modo; teƈtum ſub imagine farris
Ædibus in ſacris accedere Numen honoro
Munere, & officio divis famularier aris.
Atque hoc cêu triplici munimine teƈtus, & ære,
Excuſſit facilis vitiorum tela, per aulæ
Limina graſſantûm. Nullum diſcrimen adibit
Criminis, in tuto Cæli fundamine nixus.
O quantùm prodeſt primis meliora bibiſſe
Virtutum documenta annis, & dogmata vitæ
Ad ſuperam, abjeƈto vitio, componere normam.
Sed jam virtutis miracula fulta Tonantis
Robore Calliope referat. Dum juſſa faceſſit
Moriger imperio pubes, rapidiſque per arva
Greſſibus accelerat, flammis, Steropíque propinquans,
Percunƈtaturus: num juſſa fideliter aƈta?
En tibi (ſic Cæli diſponunt) perſonat æris
Campani ſignum, caſtæque allabitur auri
Index, vicinâ ter magni Numinis æde
Velatum ſub farre DEUM, cultúque verendum

Subli-

Sublimem oſtendi populo, ſacríſque vacare
Circumfuſam aris curvato poplite turbam.
Hìc animum innocui pubis reverentia Cæli
Vellicat, atque jubet divinis rebus adeſſe,
Et niveo incluſum venerari Numen in orbe.
Sic ſvadet pietas. Et verò caſtra ſequenti
Virtutum, haud ægre Superûm perſvadet honorem.
Quare continuò ſacris accedere tectis
Relligionis amor, proſterni in genûa, Deumque
Corpore lunato, veteri pro more vereri,
Propitiúmque ſibi, vota inter reddere Numen.
Vix primum altaris Myſtes perſolvit honorem :
Illico ſacrificus divis ſubmittitur aris
Alter, ſidereo pertractans ſacra Tonanti
Myſtica, proponénſque oculis, animíſque Theandrum.
Huic alius ſacris operans ſuccedit ad aras
Sotera humani generis, veræque ſalutis
Authorem recolens, peragit myſteria CHRISTI.
Omnibus his ſpectator adeſt, cultórque tenaci
Officio pubes. Si porrò oracula ſummi
Regis Chriſtiadûm, devotas purus ad aras
Tractaret Flamen, non detrectaret adeſſe.
Dum vacat æthereo pietas prolixa Tonanti,
Virtutis ſtudium fatalis tranſilit hora ;
Quâ rapido virtus accedere debuit igni.
Occipe jam livor meritâ formidine tangi.
Virtutem haud lædent flammæ. Jam Mulciber ora
Explicat in crimen, Nemeſis decreta ſecutus.
Dum minimè reris, te flammea fata ſequentur.
Interea Heſperiæ Sciron, cunctantia famæ
Nuntia, ſegnitiémque moræ, correptus ab œſtro
Increpat, atque unam penè annos computat horam,
Nôſſe avidè cupiens; an ſævo ceſſerit igni
Buſtum, quem ſtygiis voluiſſet tradere flammis,
Ipſe Erebum meritus. Noxas hæc fata morantur.
At cùm verboſæ concludant ſidera famæ

Labra, ac præcipitem reprimant per inane volatum ;
Nè ſolio referat virtutem calle morantem :
Regnator, technæ fabrum, munúſque Sinonis
Perfidi, ad inſtructos ablegat protinus ignes,
Scitaríque jubet : num juſſa fideliter acta ?
Principis actutum, ſcelus, impia juſſa faceſſit.
Non ſic interpres Superûm Cyllenius ales
Juſſa Deûm ſequitur; celerátque in vota Tonantis
Impiger : ut properis ſe crimen paſſibus urget
Ad præfinitam ſcelerato à Principe metam.
Præcipitat greſſum livor, viſurus amæno
Lumine, jam flammis cinctum ; quem ferre nequibat
Ægreſcente oculo crimen. Jam curſibus auras
Anteit, uſque adeò per devia, & invia more
Lymphati currens ; ut vix retinere furentem
Spiritum, & inſanos jam poſſit pectoris æſtus
Feſtinum perferre ſcelus. Sed temperat ignes
Corde vaporantes, diffuſum corpore toto
Sudoris flumen, livente colore rigatum.
Dúmque velut paſſis Alecto crinibus horrens,
Flagrantem uſtrinam calcis contingit, hiante,
Víxque auras capiente ſatìs, reddentéque labro :
Illico, præſentem, jámque in mala fata paratum
Curatorem operis, cumulantem pluribus ignes
Ignibus, affatur : num juſſa fideliter acta ?
Hìc Steropes decreta throni miſſurus in actum,
Non verbis reſponſa favet ; ſed protinus ambos
Expedit immanes Phlegræa è ſtirpe lacertos,
Ac tenerum aularum validè conſtringit Acanthum.
Attonat hoc pubem. Quare formidine tactus,
Ingemit ad ſævum Cyclopis mollior aulæ
Nireus amplexum. Sed dum ſibi fata venire
Proximiora videt ; clamoribus æthera pulſat ;
Affectum inclamat ſolii ; prætexit avitæ
Progeniem ſtirpis ; promiſſis grandibus urget

Libe-

Libera jura dari, Regíque, ſibíque referri.
At cadit in rupem gemitus. Non flectere Brontem
Forma, nec innumeræ, quas fundunt lumina, guttæ:
Non curare genus, ſed regia juſſa Pyracmon.
Hinc puerum de more pilæ, jaculatur in amplas
Mulciberi fauces, momentóque efficit uno
Et cinerem, & buſtum. Vulcano pabula præbet.
O utinam ſtygiis non ſpiritus ardeat oris!
Verſutas remanent Acherontis præmia noxas.
Vindicis Aſtreæ decretis, talio, fraudis
Inſequitur crimen. Quam livor ſortè ruinam
Apparat inſonti, Cælis ultricibus ipſam
In proprium accerſit caſum. Quæ tela paramus
Criminis, in ſortem collimatura ſecundam
Æmuli, in authores, Cælo mandante, reflectunt.
Atque hanc perſenſit Nemeſin Livoris alumnus.
Interea pietatis amor, Superíque dicatus,
Ac aris pubes, verus Virtutis alumnus,
Poſtquàm juſſa DEO ſolvit; cui reddere primas
Ordo jubet rectæ Themidos: mandata faceſſit
Principis, ac celeri pede flammea tecta ſubire
Approperat, ſolio quò actutum facta reportet.
Vix Brontem primo pubes caſtiſſimus hauſit
Lumine, continuò quærit: num juſſa Monarchæ
Effectum videant. Horrendâ voce reponit
Brontes: imperium ſceptri ſua facta videre.
Illico Pegaſeis pubes volat impiger alis,
Jam præſtolanti dudum reſponſa daturus
Principi; ut impoſito ſe tandem munere ſolvat.
Non ſic Iſthmiacus juvenis, domitórque Chymæræ
Quadrupede alato, victoris laude decorus,
Ad proprios revolat, patriâ exultante, penates:
Ceu hic Livoris domitor, caſtóque pudore
Clarus Bellerophon, Tarteſſi ad tecta reviſit
Principis, officio functus. Vix limina tangit

Regia, & attonitus rerum novitate Monarcha
Obſtupet, ac ſecum tacitè miratur ephebum
Incolumen Heſperio ſe rurſum reddere ſceptro.
Dúmque oculos, ac ora tenet ſuſpenſa, vidétque
Non ſe ſe capiens, portenta ingentia Princeps :
Interea haud dubiæ ſuccedunt nuntia famæ,
In Liparæ flammis, buſtum, cinerémque dediſſe
Pſevdolum, & imperium ſolii feciſſe fideli
Munere coctorem calcis. Tum provida primùm
Sidera non vano portenti agnoſcere Princeps
Indice: dêin temeros damnare modeſtior auſus,
Innocuámque probare animam, ſolióque fidelem
Conſortis thalamum. Nec ſolùm abſolvere pubem
Suſpicione mali; at virtutem ſtringere multo,
Et merito amplexu, pulchróque ornare favore,
Ac Proceres inter primum cenſere miniſtrum.
Iſtos nempe meret pretium virtutis honores;
Quam Cælum juſto perſæpe favore coronat.
Innocuæ à Superis dantur ſua præmia vitæ.

JO-

JONAS
Naufragus
In ventre ceti ſervatus.

Jonæ 1. & 2.

NInivitis cum Rege ad ultima flagitiorum prolapſis, datur à Cælo negotium Jonæ Prophetæ, excidium eis denuntiet. Veritus vates, nè ſcelerum pœnitudo, fulmen DEO extorqueret, ipſéque vanus territator, in ludibrium, & pœnas traheretur: Tharſum verſus fugiens, vela facit. Venti, & procellæ, imperio Cælorum, in perniciem hominis immorigeri, conjurant. Navis, quâ Jonas vehitur, decumanis fluctibus concuti, & proximum interitum minari. Interea tempeſtate fatorum mandata peragente, mittuntur ſortes à naviculariis. Inquiritur victima irato Neptuno in fluctus præcipitanda. Jonas ex urna educitur. Noxio capite in undas excuſſo, aquæ veluti lenitæ eſſent luſtrali hoſtiâ, ſubitò tranquillari. Jonas verò exceptus à marina bellua, triduo in ejus alvo circumvehitur. Hoc exacto, balæna in terram evomit incolumem vatem, DEI mandatis morem gerentem.

IMperium cæli fugientem per freta vatem,
Atque ſuum vitreis credentem fluctibus ævum,
Et levibus Cauris fidentem fata Propheten,
Caſtalis in numeros referet. Sed dura docebit
Pectora Neptuni marmor, Thetióſque procellæ,
Immaníſque fero conſurgens bellua ponto,
Sancitis parere DEI, commiſsáque Cæli
Illico juſſa ſequi. Sed forſan Muſa pavore
Obruta, ſquamigero pelagi perterrita monſtro,
In ſenos ſe ferre pedes perculſa recuſat?
Nil minùs. Æthereo (quod ſupplex Pieris orat)
Robore, Mœonium ducet per regna cothurnum
Nereos, ac tutum continget carmine portum.
Cùm probrum Aſſyrii Regnantûm præfuit oris
Sardanapalus iners Princeps, adipante ſaburrâ
Abdomen præpingue gravans, ſceptrúmque Monarchæ
In pateras multo ſpumantes ſemper Jaccho
Verteret, & ſolii duntaxat jura coquinæ
Scriberet, atque epulis genialia bella pararet;
In veram eſt Bromii viſus deſcendere ſortem.
Sed quia ab Ogygio non longè patre, Diones
Caſtra ſedent: geniis levibus, mollíque cohorte,
Ac blando comitante choro, ſe ferre probroſa
Cypris, & Aſſyriam temulenti Principis aulam
Expugnare ſtudet. Facilis victoria ſtabit,
Cùm thronus Idaliæ properanti in prælia divæ
Arma miniſtrârit, reſidem queîs vincat Abronem.
Raro ſolertes Cythereis dejicit hoſtes:
Ignavos facili tormento ſternit alumnos.
Ac ſic deſidiâ franget, juríque pudendo
Foum ſubdet molli molimine ſceptrum.
Ne verò deforme genus ſe prodat aperto
Pectore, & horroris pariat faſtidia charo
Principi, ab infernis revocanti lumina monſtris:
Hanc ſibi conſpicuam deſumit ab arte figuram.

Pri-

Primùm perraræ decus aſpectabile formæ,
Sumit ab Oebalia Cygno Jove pellice nata,
Et ternâ Charitum turmâ ſibi frontis honores
Vendicat oſtentum. Quò verò fulgeat ore
Pulchrior; in malas argentea lilia pangit;
Quas inter medium Pæſtani gloria ruris
Occupat, à Paphio mirè depicta cruore.
Æmula ab ignifero deſumit lumina Phœbo,
Accendítque oculis flammas. Cervice reponit
Æquor de Nilo tranſmiſſum dentis eburni.
Defluit auguſto Cybelæi verticis alto.
Obrizo ſuppar, Zephyro ludente, comarum
Profluvium, cyrrhíque errant per lactea colli
Jugera, pérque nivi certantes jure lacertos.
Quid referam Tyriam ſtellanti ſyrmate pallam,
Verrentem terræ faciem, varióque colorum
Ordine diſpunctam; quam docti fingere ſtamen
Nuper ab extremo miſerunt climate Seres.
Quidquid Erythra vehit pretii, vel dives Hydaſpes,
Sêu Tagus, aut Ganges, Hermúſque celebribus undis
Effudit, vario baccæ diſcrimine ludit
In plano obrizi tergo. Nec ſchemate ſolùm
Perſephones maleſvada nurus, Ditíſque Camilla
Plaudit; ſed nemorum cuſtodis nota capeſſit
Arma quoque, haud dubio jam devictura Gradivo
Imperium Ninos. Latois munere gaudens,
Lethifero armatur cornu, fœtúmque ſagittis
Appendens humeris Corytum, bella movere
Occipit, in certum conſurrectura triumphum.
Accedit, ſolióque levi, ſceptróque propinquans
Deſidi, in ignavos ſua mittit ſpicula ſenſus
Principis, & tacito præcordia ſauciat ictu,
Vultúſque illecebrâ tormentum mite Regenti
Admovet, emollítque thronum. Vix lumine primo
Tænariam Aſſyriæ Rector Briſeïda cernit:
Continuò ſe oculis, animóque volupia mergit,

Ac inconſultè thalami, ſoliique parare
Conſortem ſancit. Prô! quò veſana gulonis
Sceptra ruunt? Solúſne color matura virorum
Pectora deludat? Solúſne hæc lumina fucus
Faſcinet, atque ſibi ſubmittat jura ſolutæ
Mentis, & arbitrio leges præſcribat iniquas?
Hæc ſors fœda manet, quos non rationis habena
Temperat; at ſolùm furioſa libido gubernat,
O quàm ſæpe ipſos Cypris imperioſa Monarchas
Dirigit, ac domino mundi diademata freno
Ducit per vetitas, indignante æthere, noxas.
Atque hoc Chaldæus proceſſit tramite Princeps,
Non ſuus; at cæco Gnidiæ moderamine raptus
In ſcelerum barathrum. Rationis legibus expers,
Ac virtute carens, per ſontica quæque vagatur.
Non lubet hìc memorare nefas, feriémque malorum
Arſacià graſſantem aulâ ; quam copia fandi
Nulla referre queat, vel docto Neſtore creta.
Aut ſi fòrs valeat, cohibetur jure pudoris,
In tantas vocem, metrúmque effundere noxas.
Hæc ubi, ſidereis proſpectans Numen ab oris,
Crimina, Achæmeniæ ſolio graſſantia multo
Fœnore, pérque alios exemplo Principis ire
Conſpicit: in juſtas, averſo lumine, ſurgit
Irarum flammas, ulturus vindice flagro
Immenſum jam penè nefas. At crimine major
In veniam ſemper facilis miſeratio Cæli,
Jam jam librandum pœnarum fulmen in urbem,
Atque Semiramiam, tantiſper continet, aulam,
Commeritam dudum plecti. Suſpendit Olympus
Interdum ultrices, Nemeſi indignante, rigores:
Vel quò aliam ſubeat mentem Metanœa prioris
Criminis: aut mittat graviores æthere pœnas
Immotæ ſcelerum rupi. Quò verò benignum
Perſeos agnoſcant cumulata piacula Numen:
Hæc nondum extincti præbet documenta favoris.

Deli-

Deligit è vatum cenſu Chananæis alumnum
De Getha cretum Jonam; qui calle maligno
Ad rectæ pietatis iter Nabathæa reducat
Sceptra, ac Eoos vocet in meliora penates.
Forſan Amathiten (ſic Jonam agnomine ſacri
Compellant faſti) reſupino corpore ſtratum
Invaſit lenis Morphéus, altóque ſopore
Obruit, irriguos ſpargens in tempora ſuccos:
Aut fortaſſis humi fuſus, mitiſſima votis
Aſtra fatigârat, Superíſque precantia dixit
Verba, uſu Vatum. Quem ſic transmiſſus ab alto
Nuntius, aut Cœli affatur, terræque Monarcha.
Eja age ad ætherei nutum conſurge Tonantis
Illico, & Aſſyriam pete Vates protinus oram,
Prolapſúmque genus per crimina, rurſus in augem
Erige virtutis. Ni priſtina jura capeſſat,
Séque DEO reddat; venturas ſidere pœnas
Nuntia, & exitium, quod tanta piâcla merentur.
Hæc paucis æther. At quæ ſententia Vati?
Surgit Amathites, ſed non ſancita daturus
Numinis, aſt properâ ſibi conſulturus iniquo
Jure fugâ, & faciem devitaturus Olympi.
Hæc etenim ſecum perversâ mente volutat.
Nunquam me latuit mitis clementia Cæli,
In veniam ſemper facilis, ſempérque parati
Reddere præteritum, detersâ labe, favorem.
Abſcedant noxæ, reditum parat illico Cælum,
Atque DEI donum. Contritis corde, chariſma
Sacrum, cum variis deſcendit ab æthere donis.
Unde hanc deducit, ſvadente errore, ſequelam.
Jam, ſi fòrs veterum, lacrymâ accedente, malorum
Extinguat flammam Perſis, ſceleríſque reatum
Diluat; è manibus vibrandum ſubtrahet ignem,
Ac meritas Nemeſis pœnas. Suſpendit Olympus
Vindiciæ flammas, quando Metanœa perorat.
Hoc eſt, quod juſtâ pectus formidine complet,
 Quód-

Quódque metum accumulat: ſi genti facta pianti
Placati accedant Superi; me multa ſequentur
Ludibria, ultricéſque dabunt prænuntia pœnas.
Hæc ſecum haud prudens vates, humana reverſans
Pectore duntaxat. Quare ſibi providus error,
Poſthabito Cæli imperio, definit in oras
Commigrare alias, luſurus, ſcilicet, aſtra.
Jámque Palæſtinæ portum, de nomine Joppen,
Maturante fugâ accedit, Tharſúmque petentem
Opportunè alnum reperit, nauliſque ſoluto
Remigibus pretio, puppi ſe credit, & undis,
Protinus ad notam facturus vela Ciliſſam.
Perge tuo arbitrio, perge, infamémque capeſſe
Jona fugam; æthereæ venient à tergore pœnæ,
Atque immorigerum ſuprema capeſſere juſſa
Numinis erudient. Dum lætus cærula ſulcat,
Atque volat pelago, ſéque effugiſſe Tonantis
Lumen opinatur: ventos, pontíque procellas
Dia jubet Nemeſis natali erumpere ſede,
Depugnaturas in mentis neſcia flecti
Jura; ut præfractos exturbent pectore ſenſus.
Ac primùm imperio Cæli, terræque Monarchæ
Æoliâ erumpunt celeri feritate cavernâ,
Hippotade ducente chorum, cum murmure ſævo
Flamina, & æquoreis miſcente prælia regnis
Fratres, in fragilem buccis ſtridentibus alnum
Conjurant. Vix terrifico dat jura tridente
Rex tempeſtatum, pronos in bella ſodales
Exſtimulans: cum Sithonius bacchatur in alas
Velorum turbo, claſſémque evertere tentat.
Indè Atlantæus pleno ruit impete Corus,
Atque procelloſos in puppim promovet æſtus.
Illinc præcipiti rabie decertat in ægram
Africus immitis proram, antennáſque gementes
Inſilit, ac malum non uno ſauciat ictu.
Iſthinc præcipiti Vulturnus devolat alâ,

Vul-

Vulturis inſtructus genio, laniare carinam
Auſus, navifragóque ratem vult mergere ponto.
Nec caret officio Japyx, Evrúſque, Notúſque,
Et quos excivit ventoſa potentia rauco
Carcere, in afflictam ſua vertunt prælia claſſem.
Hæc turba Hippotadis. Jam ſidere bella parantur.
Nam ſceleri iratum, tetrâ ferrugine, cælum
Obtegit illuſtrem vultum, Phœbíque ſerenam
Involvit nigrante comam lurore, diémque
Eripit, ac piceas in cærula dejicit umbras.
Tum cadit horriſonâ conſtrictum grandine cælum,
Ac crepitante ferit quaſſatam verbere navem,
Vulneréque innumero lædit. Nec tela morantur
Cyclopæa ſuum munus deferre Tonanti.
Hæc velut in bellum ſurgentia, murmure primùm
Æthereas miſcent ſedes, certántque tueri
Vindicibus flammis, violatum crimine honorem
Numinis, ac immorigeram contundere frontem.
Indè per aërios ſe ſe lux horrida campos
Pernici volvit furiâ, claſſémque triſulci
Concutiunt ignes, expalleſcente ſub alis
Fulmineis totâ perculſi Nereos aulâ.
Sed nullam magìs infeſto Jovis arma furore
Oppugnant pinum; quam preſſam crimine duri
Pectoris in Jona. Sic forſan vertice regnans
Marmor, ab æthereis evadet mollius iris.
Dum videt interitum propiorem irata minari
Sidera fluctivagus Tiphys, jam jámque profundo
Tradendam pelago, miſerandâ ſorte, carinam:
Impiger officio, quamvìs formidine multâ
Obrutus, afflictâ dubius diſcurrere prorâ,
Et ſua Threjiciis ſubducere lintea flabris,
Hic fundare ratem mordaci dente laborat
Anchoræ, & in tuta jactatam ſiſtere arena.
Ille regit notis clavi moderamen habenis,
Extremam impendens artem; ſed vincitur Evri

Tur-

Turbine, & Æoliis à lucta cedere rixis
Cogitur invitus. Demiſſis frangere remis,
Verreréque iſte freti rabiem, fluctúſque domare.
At cuncta adverſi rapiunt conamina venti.
Tandem, quò levior claſſis queat ire per altum :
Quidquid mole ſuâ potuit cauſare gravamen,
Atque onerare ratem, jam proxima fata timentem,
In mare præcipitant. Et rectè. Quippe vel auro,
Baccíſque, anguſti quantumvis terminus ævi
Charior eſſe ſolet. Vitam ſervare laborant.
Interea trepidus veſani criminis augur
Conſcius, interno magè quaſſus jure tumultu;
Quàm pelagi, cælíque minis, clamoréque Tiphys,
Atque procelloſo circumvallante fragore
Nereos: abſtruſas circumſpectare latebras;
Queîs ſe ſe, ac noxam fido concredat aſylo.
At nullum crimen ſat tutis conditur umbris.
Mortales oculos perſæpe occulta latere
Culpa poteſt; ſed non potis eſt celare Tonantem,
Atque panomphæum perſcrutans pectora lumen.
Verùm ubi ſe tacito, noxâ comitante, receſſu
Condit Amathites ? Celerans petit ima carinæ,
Atque ſopore gravi, nec non mœroris abyſſo
Obrutus, ignavo tradit ſua lumina ſomno.
An tamen eſſe queat placidæ pars vera quietis
Inter delicti ſentes, dumóſque jacere,
Expertum credam vatem. Nemo otia ducit
Conſcius errati. Sed quamvìs fortè moleſtis
In præſens ſolvat curis, ſaveátque quietem
Obrepens Morphêus: tempeſtas attamen alto
Detonat, exitiúmque rati, ſcelerique minatur.
Dum verò trepidis ſupremus navita curis
Fluctuat, ac multâ formidine percitus, alno
Diſcurrit, ſortémque ſtudet curare carinæ :
Offendit toto proflantem pectore ſomnum
Jonam, miratúrque gravi indulgere ſopori,

In

In tanto cœli fremitu, pelagíque tumultu.
Quare contentâ depellere Morphea voce
Nititur, ac tali vatem ſermone fatigat.
Ecquid agis? téne immodico ſuccumbere ſomno
In tantis vitæ, fortunarúmque perîclis?
Surge, ac æthereum, quem gens Chananæa Tonantem
Legibus Abramiis recolit, ſolúmque veretur;
Supplicibus placa votis, claſsíque benignum
Effice: nè fractâ quaſſæ compagine navis,
Omnes æquoreo videamus fata profundo.
Surge, ac iratos orantis munere Divos
Confeſtim in veniam ſcelerum inclinare labora.
Hæc Tiphys vati. Sed nondum ſæva furores
Prælia deponunt Cauri, Thetióſque procellæ
Indomitam abjiciunt rabiem. Necdum ore ſereno
Proſpectat ſuperis Phœbus clementior oris.
Tempeſtas etenim peragit mandata ſupremi
Numinis, officium ſemper deferre parata.
Quare Naucleri decernunt mittere ſortes,
Quæreréque inſano placamen fortè furori
Nereos, & rabidum per jacta piacula pontum
In placidum revocare ſalum, fluctúſque ſilentes.
En tibi de dubia Jonas educitur urna,
Sic ſortes volvente vices, cui ſubjacet omnis
Fatorum ſeries. Nîl toto quippe ſub orbe
Phœbes, ac noſtro verſatur climate; quod non
Providus ille ſoli Rector, cælíque Monarcha
Temperet, ínque ſuas definito ordine metas
Dirigat, ùt rerum ratio, Themidóſque repoſcit.
Nec mora: Amathiten, vectorum turba, fatentem
Culpam comprêndit, criménque rebelle Tonanti,
Ejicit in tumidas bacchantis Tethyos oras,
Placatura ſibi compertam Numinis iram.
Vix in fluctivagas vates effunditur undas:
Illico, luſtrali cêu Nerêus eſſet aquarum
Hoſtiâ adoratus, ſpumoſum ponere bellum,

Atque procelloſos, compôſto murmure, fluctus
Frangere Neptunus, placidámque reſumere frontem
Tota Amphitrite. Nullus jam cærula Caurus
Turbare; Æolio compulſa recedere ſceptro
Flamina, & in veteres tacitè ſe ferre latebras.
Jámque ſerenato, diſcuſſis æthere nimbis,
Axe micat cælum. Clementia ridet ab alto,
Compoſitámque maris faciem demulcet amæno
Lumine Phœbeus ſplendor, gaudétque ſerenas
In pelagi ſpeculo ſe rurſum cernere malas.
Quid quod jam certæ ſe cælo nuntia pacis
Explicat auricomo Thaumantias edita Phœbo,
Atque triumphalem, jam lætis nubibus, arcum
Inſtruit in varios abiens formoſa colores.
Hinc roſeo depicta typo, Sidonia vincit
Stamina, & Aſſyrium longè anteit æmula coccum.
Indè pater Titan pingit violaria fronte.
Hinc rorem nigrum tingit candente liguſtro.
Parte aliâ croceos in vultum ſpargit honores,
Ac vario exornat jam pacis nuntia cultu.
Dúmque hæc optati labara inſolata sereni
Nubibus expandit, totámque in jubila ducit
Oceani patriam, noctéſque abs æquore verrit:
Læta volat placido ſibi rurſum reddita claſſis
Æquore, & in certam ſua carbaſa dirigit oram,
Exultans pōnto. Jam non diſcrimen adibit.
Non ſic effugiens Siculæ latrantia Scyllæ
Littora, vel ſuperans truculentæ ſaxa Maleæ,
Infaméſque alias, tot merſis nauibus, undas,
Feſtivos ducit puppis per cærula plauſus:
Cêu ſe defunctam tanto diſcrimine gaudet
Oppugnata polo, flabróque, ſalóque carina.
Sed quid agit Jonas? Quæ, decernente ſubivit
Æthere, fata ſuo commenſurata piâclo?
An jam fatales veſana protervia lymphas
Hauſit, & exanimum jactatur in æquore corpus,
Indi-

Indignánſque ſalum funeſtos littore ſiſtit
Artus, haud patiens tanto ſua terga gravari
Pondere, quod tellus jam vix perferre valeret ?
Ecquid agit Jonas ? Divino numine ſalvus,
Soſpéſque in medio (pro quæ miracula!) ponto
Tempora deducit vitæ ; ſed carcere clauſus
Squamigero, temeros quò criminis expiet auſus.
Hæc nempe eſt magni clemens miſeratio Cæli ;
Quæ nullum patitur fatalia jura ſubire
Atropos, ac ſtygiis manes demittere regnis ;
Cuî redit in mentem veri Metanœa doloris,
Ac lacrymis noxas tergit. Quem perdidit error
Criminis ; hunc virtus ſibi reddita, reddit Olympo.
Atque hoc virtutum procedet tramite Jonas
In ſe ſe rediens, facturus juſſa Tonantis,
Si rurſum incolumem liceat deducere vitam.
Sed jam Calliope recinat magnalia ſummi
Numinis, attonitóque canat miracula mundo.
Dum meritum ſalſis ſua tergere crimina lymphis
Naviculatores vatem, de claſſe, minaci
Injiciunt pelago : prægrandis bellua ponti
Divinæ Nemeſis rigidus, mitíſque ſatelles,
Huc magnâ ſe mole levat, ſpatioſáque rictûs
Oſtia diducens, immani ſorbet hiatu
Corpus Amathitis, vacuámque immittit in alvum :
Ut vindex pariter, cuſtóſque futura rebellis
Ad tempus Jonæ. Prô ! quæ nova thaumata ſpecto ?
Hic natura ſtupere poteſt miracula rerum.
Nam calidâ ceti Liparâ, flammíſque potente
Inviolatus agit vates, atque aëre caſſus
Frigido, inoffenſæ ducit ſpiramina vitæ.
Iſtud nempe poteſt ſuprema potentia Cæli.
Ac ſic captivus vivo ſpatiatur in antro
Et reus, & liber. Nec ſe capit inter opacas
Carceris incluſus latebras, vivúmque morari
Se ſtupet in media Jonas miſerabilis orca,

At

At quid agit? Cæci ritu palpare per altas
Haud multùm impariles trabibus, ratus oſtia, coſtas,
Egreſſúmque parat. Sed cùm ſe janua nulla
Porrigit, ac fatis vicino degere clauſtro
Se videt infauſtus; certam ſperare ſalutem
Deſinit, ac ſtygii putat eſſe hic atria regni.
Verùm ubi clementes, (jam lux venit æthere miſſa)
Sempérque in veniam faciles celerare favores
Numinis expendit; nec ſe videt eſſe ſolutum
Corporeo nexu: Nemeſis reputare rigorem
Vates, ut meritas ſolvat pro crimine pœnas.
Quare continuò de vivo carcere Ceti
Mittit ad æthereas hæc verba precantia ſedes.
Juſte DEUS! juſtam plectentem crimina dextram
Baſio, & omnipotens Numen, pro munere veri
Agnoſco ſervi. Meritus ſum fata videre
Ultima, in æquoreum projectus jure profundum.
Sed major tibi ſemper adeſt clementia, major
Crimine mortali. Neglectum rebar ab alto
Lumine me Cæli, dignum quem juſta feriret
Ira DEI pœnis Themidos, nihilóque referret.
At rurſum afflictis jubeor confidere rebus,
Non merito meliora meo, ſed Numinis almi
Gratiâ adoptandus. Circumfudêre paventem
Non ſemel aggeſtæ minitantes funera lymphæ,
Atque ipſam crebrò violentâ morte parabant
Exturbare animam, ſtygiiſque immittere regnis.
Ah quoties balæna maris me immiſit abyſſo,
Haud procul à Phlegetontis aquis, Erebíque palude:
Nî tua incolumem voluiſſet dextera ſervum.
Huc me nempe tulit maleſvada protervia, Cælis
Cognita, ſupremi fugiens mandata Monarchæ.
Non equidem inficior crimen, meritæque reatum
Pœnæ, compactus fatali carcere Ceti.
Si me hac funeſtâ vivum ſervâris in alvo,
Ac Solymis reddas templis; tibi vota rependam
Mille, ac imperiis nunquam non ſtabo ſupernis.

Reſpi-

Reſpice confuſas lacrymarum fluctibus undas.
Reſpice contritam mentem, vocéſque, precéſque
Accipe, & immeritum tibi redde, ſibíque Propheten.
Suſcipit hæc Numen. Jam miti lumine vatem
Aſpicit, & veniam ſceleri concedit, & omnes
Abjicit ex animo, jam criminis immemor, iras.
Dum ternis Phœbi ſpatiis jactatur in alto,
Ac totidem Phœbes vicibus conſtrictus in arcto
Carcere balænæ; decernit mite Tonantis
Imperium, Jonam rigidis exſolvere vinclis,
Ac libertati jam fractam reddere mentem,
Juſſa ſecuturam Cæli. Dum cærula ſulcat
Tardigrado lentus naturæ remige Priſtis,
Ac veluti Cyclas pelago, rupéſque revulſa
Montibus, in placido ſua promovet otia ponto,
Jam porrò haud patiens diuturnâ mole gravari
Ilia: mandato placati Numinis, orca
Ad tutam Joppes celerare jubetur arenam;
Unde augur ſolvit, vomitúque effundere pondus
Pergrave, & incolumem confeſtim ſiſtere portu
Abramidûm vatem. Sequitur decreta Tonantis
Illico Phyſeter, rictúque immanè patente
Egerit afflictâ corpus violentius alvo,
Exonerátque ſuum poſt tot faſtidia ventrem
Bellua, & ingratâ jam tandem mole ſoluta,
In Thetios plaudit regnis, centûmque per æquor
Orbes deſcribens, undoſa volumina torquet,
Munere jam defuncta ſuo. Sed redditus oræ
Littoris incolumis vates, decreſcere terræ
Illico, & immenſum venerari pronus Olympum,
Atque ſuo edoctus damno, mandata faceſſit
Numinis actutum. Jámque impiger involat oras
Aſſyriæ, peragens, cêu par eſt, munera vatis.
Sic immorigeras nonnunquam ſidera mentes
Ducunt, officiúmque docent, quod ferre recuſant,
Præſtare, è medio ereptas diſcrimine rerum.
Non parere DEI juſſis, res plena perîcli eſt.

PHIDUS DIACONUS
Ope Divi Euthymii Abbatis à naufragio liberatus.

MArtyrius Hieroſolymæ Epiſcopus zelo tuendæ Religionis actus. Phidum Diaconum ablegat cum literis ad Zenonem Imperatorem, militares ab eo copias adverſus hæreſim rogaturus. Phidus iter mari faciens, nocte intempeſtâ naufragium patitur. Jámque aquis hauriendus erat, nî DEUS tabulam ſubmiſiſſet, quâ in anguſtum evaderet ſcopulum, fluctibus circumquaque oppugnatum. Hìc novo ſe vitæ diſcrimini expoſitum videns, implorat opem D. Euthymii Abbatis, identidem ejus nomine invocato. Adeſt in vota Euthymius fluctibus inambulans, clientémque ſuum angore, & timore primùm eximit; tum epiſcopali ſuo pallio indutum, continuò ſiſtit incolumem Hieroſolymæ. Phidus prodigii novitate attonitus, pallium veneratur baſiis, quo pennâ citiùs pelagus transvolavit. Hoc dum ponit, futurum miraculi, ac venerationis argumentum, ab inviſibili manu in altum tollitur, ac evaneſcit. Auditâ rei ſerie Martyrius, magnum DEI ſervum

vum proclamat Euthymium, honoris ejus in ſancta civitate propagator. *Surius* 20. *Januarii.*

JActatum æquoreis miſerandâ ſorte procellis,
Et penè extinctum decumanis fluctibus, atque
Tempeſtate virum; ſed Divûm numine, ſævis
Exemptum Thetios furiis, ac Nereos iris,
Hippocreneis aliquantùm lota fluentis
Muſa heroa canet. Pavet hæc Parnaſſis alumna
Bacchantes equidem pelagi, cælique furores;
Nec ſpectare valet noctes, nimbóſque ruentes
Æthere, & eliſos de fœtis nubibus ignes,
Præliáque exhorret Boreali fronte gerentes
Hippotadis fratres, vaſtos ad Tethyos oram
Undarum montes rauco ſtridore vehentes.
At Superùm ſtabilita manu, magníque Tonantis
Robore confirmata cupit, (quod ſupplice voto
Flagitat) iratæ littus trepidum Amphitrites
Lambere, portentúmque freti percurrere verſu,
Et maris indomitâ rabie, ac formidine ſolvi.
Fortè Acheronteis rurſum caput extulit undis
Hæreſeos lethale malum; quod lacte ferino,
Aut potiùs ſtygio nutrivit barbara ſucco
Tiſiphones, mundóque dedit turbare quietis
Otia, & in Solymos juſſit ſe ferre penates.
Horrendum dictu monſtrum, quod fudit in orbis
Tænarus exitium. Si tetrum cernere vultum
Allubet, à Ditis picea fuligine tinctum;
Attonitum reddet, plenúmque horrore tuentem.
Lumina multa gerit, ſed veri lumine caſſa.
Aut ſi fortè videt quidquam, caligine falſi
Illita, perniciem ſpectat, mundíque ruinas,
Ac ſcelerum facies; queîs ſolùm paſcere gaudet
Infamem obtutum. Frontis natale theatrum
In mille excurrens rugas, ſulcóſque cavatum,

Errorum inſumit ſeries; quos ducit in omne
Imperitans toto vultu diſcordia, crimen.
Indè draconigeno conſurgit vertice fædum
Hydrarum, colubrúmque genus, per colla, per armos
Lubricum, & Atracium, transfuſum à Gorgone virus
Evomit, ac noxas animi, mortéſque propinat.
Nec tumida Hæreſeos bifido conſtructa palato
Lernæo ora carent, lethalíque atra aconito;
Quêis non tam diverſa ſonat, quàm proxima ſpargit
Funera, & innumeras longè, latéque ruinas
Gentibus accerſit. Quid lites, prælia, fando
Calliope memoret; quæ paci infeſta malignis
Accendit facibus, crudeles jugiter armans
In ſua fata plagas? Hoc monſtrum tanta malorum
Germina diſpergens claris fatalia regnis,
Cappadocum de ſtirpe ſatus, Myſtéſque ſupremus,
Nomine Martyrius, zelo, Fideíque lacerto
Strenuus, impavidè aggreditur, peſtémque laborat
A Solymis arcere oris, rurſúmque quietis
Perturbatricem ſtygiis transmittere ſceptris.
Verùm agit in caſſum Lituus. Quippe illita fuco
Faſcinat omnigenos, atque in ſua vota clientes
Pellicit, in Fidei probrum, damnúmque Sionis.
Hæc cernens vittatus apex, morúmque Magiſter
Inclytus, ad ſuperas miſit flagrantia ſedes
Vota, ac ſingultu Solymæas impulit aras,
Facundóque DEUM non raró luminis imbre
Penè fatigârat, rogitans, ſuppléxque perorans:
Inconcuſſa Fides ſtaret, firmata Theandri
Dexterâ, & æthereo fulcimine nixa, perennes
Duceret ætates. Hoc pronis auribus aſtra
Accipiunt votum, Fidei deferre parata
Auxiliatrices, dum poſcent tempora, dextras.
At Cælum quandoque ſinit ſuccreſcere denſas
Hæreſeos vepres, loliúmque, ac æra malorum
Chriſtiadûm regnare ſatis; quêis candida rurſum

Lilia

Lilia conſurgant, ac ſanguine tincta roſarum
Purpura, in Empyrio quondam plantanda vireto.
Deſine largifluis tua rorent lumina guttis.
Qui potuit fundare Fidem, ſtabilíque locare
Chriſticolûm monimenta baſi; non poſſit iniquum
Molimen Ditis facili deludere niſu?
Hoc equidem potis eſt ter magna potentia Cæli.
At junctus Myſtæ divino zelus amori,
Gloriáque æthereis ſubtracta à crimine regnis,
Inviſas adferre moras, luctúſque tiaræ;
Quæ dilatando Cælorum ſemper honori
Noctes, atque dies ſatagit. Jam ferre recuſat,
Quidquid in opprobrium Superûm, Fideíque laborat.
Ecquis enim pietatis amor, nova dogmata Averno
Edita ferre queat? Quis veri Numinis aras
Sacrilego ritu violari, & ſacra profanis
Suſtineat temerè confundi, Erebúmque præire
Legibus æthereis? Quis Relligionis avitæ,
Virtutíſque decus, ſceleri concedere primas,
Cuî Cœlum eſt cordi, valeat ſpectare, velítque?
Ecquis tantorum ſeriem, cauſamque malorum
Suſtineat Præſul, cuî ſummo jure tueri
Congruit acceptas aſtris defendere leges?
Ergo, quod propriâ nequiit virtute bicornis
Mitra abolere ſcelus, ſacríſque expellere regnis
Paſtorale pedum: vitiorum auferre ceraſten,
Multorúmque Hydram capitum, per Cæſaris arma
Frangi, ſuccidíque petit. Nam ſæpe poteſtas
Principis, armorúmque labor, nervúſque, rebelle
Crimen Romuleis valuit ſubmittere ſceptris.
Hac ſpe confiſus, ſed Cælis ampliùs, æquam
Zenonis trutinam, ſupremo jure Sionis
Pergama tutantem, feſtino accedere ſcripto
Antiſtes ſancit, celerémque accerſere Martem
Rebus in afflictis Solymæ, Fideíque levamen.
Forſan Boſphoricas tum Zeno viſerat oras,

Ac Byzantinis dictavit jura, fidémque
Indigenis, ſolio pacem, populíſque daturus.
Huc linguæ ſubitura vices mala nuntia Præſul
Exarat, Hæreſeóſque nefas loligine tetrâ
Per bibulum deducit ebur, vaſtámque malorum
Exponit graphio ſeriem, Fideíque ruinam
Explicat è veri ſenſu. Tum pondera rerum
Adducit Regi; queîs inclinatus adornet
Prælium, & impavidis ſuccurrat Marſpiter armis,
In conclamatis, Erebi molimine, rebus.
Atque has Sigalii munitas lege tabellas
Committit notæ fidei, Phidóque ſacrorum
Adſtiti, in auguſtam deferri protinus aulam
Infula demandat. Sed quæ non pagina claudit
Præproperis ſignata notis, in labra reponit
Verba, ac eloquium Svadæ; quo cætera pandat
Principi, & infauſtam Solymæ, per noxia falſi
Dogmata, depromat ſortem. Nec juſſa moratur
Obſequio facilis Phidus. Volat ille volante
Pegaſo ad oblatam non ſegni munere metam;
Ut Conſtantino deportet nuntia ſceptro.
At Præſul dubio noctéſque, diéſque labore
Æſtuat, ac curis ſe ſe exedit, omne revolvens
Pervigili conſo momen; quò devia vero
Sectarum portenta premat, mundóque timendam
Debellare luem valeat, nocuámque domare
Perſephones, Ditíſque nurum. Neque cura Tonanti
Diſplicet æthereo, qui Relligionis avitæ
Gloriam, ab infami noctis caligine preſſam
Eruet in lumen Solymis ſpectabile terris.
Ac veluti Phœbus, dum facta eſt obvia Phœbe,
Terrétque adverſos fratris pallore jugales;
Obſcurâ frontem tingit ferrugine, mundo
Horridus, ereptúmque dolet ſibi lucis honorem:
Haud aliter lumen Fidei velamine noctis
Tænariæ obductum, fædáque aſpergine probri
Illi-

Illitum, in opprobrium Cæli, Latiíque gemiſcit.
Verùm ubi puniceum tetris caput expedit umbris
Aſtrorum Princeps, pergrati luminis author :
Lætior æthereis multâ inter jubila campis
Fertur, & oppoſitæ ridet molimina Phœbes,
Victricémque comam plaudentem ſpargit in orbem :
Non aliter ſtygias diſpellens Hæreſis umbras
Luminis æterni auxilio, jam rurſus honorâ
Luce Fides gaudens, hilarem vultum explicat oris,
Exultátque atris rurſum conſveta redire
Munera, & immenſo reddi ſtata ſacra Tonanti.
Ac ſic in Solymis Fidei myſteria regnis
Lætitiâ comitante ibunt. Jam lumen ab alto
Chriſtiadûm accedet Fidei, rurſúmque ſerenam,
Devictis Erebi tenebris, oſtendere frontem
Citra divini poterit diſcrimen honoris.
Hæc tibi detersâ mæroris nube, metúque
Omni ſepoſito, ſint Præſul prodroma veri
Gaudia de Cælo. Nam temporis ordo propinquat,
Quo ter ſancta Fides, calcato Dite, trophæa
Eriget, ac feſtos Solymæ per compita ducet,
Finitimáſqueurbes, Cælo applaudente, triumphos.
Parce metu, nunquam fallunt promiſſa Tonantis.
Interea æquoreis fundatam portubus urbem
Attingit Phidus Joppen, Chananæis alumnam ;
Quæ pelago miſſura fuit jam tenſa carinæ
Lintea, Corycium littus viſura, favente
Hippotadis flabro. Conſcendit tradita ſævis
Pinea texta Notis Phidus, Tiphíque minerval,
Sêu naulum ſpondens, ſe ſe committit aquarum
Gurgiti, & infami multorum funere ponto.
Ac primùm ſtratis æquali marmore lymphis,
Ire rates placidis provecta per æquora ventis,
Cæruleis ludente fretis Tritone, Thetíque
Mulcente Oceanum. Pax plaudit Nereos orâ.
Verûm ubi Parthenicum claſſis deducta profundum
 Atti-

Attigit; in fædum ſe mutant æquora vultum,
Atque procelloſam pelagus conſurgit in iram.
Tempus erat, niveum quo Phœbe invaſit Olympum,
Noctivagos agitans per cælica rura jugales,
Umbríſque imperium tribuens, caligine pontum
Obrui, & aëreas umbrari præcipit oras.
Et verò piceo glomerata volumina noctis
Aſcendunt Erebo, tempeſtatúmque furores
Regno Amphitrites, non obſcuro indice produnt.
Jam quoque nimborum genitor mandata capeſſit
Ætheris Hippotades, ſéque in fera prælia adornans,
Fratribus adſtrictas confeſtim laxat habenas,
Neptuníque jubet ſomnos, Thetióſque quietem
Rumpere, & æquoreos confundere turbine cives.
Hìc celer officio Corus, ſævúſque procellâ
Africus, excutiunt fuſcas violentiùs alas,
Ventorúmque acies omnis jam libera freno
Evolat, horriſonis oppugnatura catervis
Stratum pace ſalum. Jam ſpumea bella parantur.
Vix furioſa cohors violento flamine ponto
Incubat, & liquido ſua miſcet prælia regno:
In rabidas pariter Nerêus commotior iras
Surgit, & æquoreos montes componit aquarum.
Jámque ſuper trepidas, ſublatis æſtibus oras
Sideris aſcendit; cêu turbida bella pararet
In ſuperas ruitura plagas. Jam rurſus in imum
Pondere præcipiti fertur; quaſi vellet in ipſas
Regnator pelagi fratris deſcendere ſedes.
Sed quid agit puppis Boreæ permiſſa furori,
Infidæque maris fidei? Quo tramite pergit
Æquoris; ut placidum contingant carbaſa portum?
Heî tumido devicta freto, iratíſque relicta
Ludibrium Cauris, per devia, & invia fertur
Arva Thetis, variis hinc indè furoribus acta.
Haud juſſas tenet illa vias, Tiphyſque recuſat
Imperium turbata ſequi. Jam jura tridentis

Dun-

Duntaxat ſequitur, flabro obſequioſa, ſalóque.
Jam nulla indomito luctantes æquore puppes
Stringere vincla valent; ſed nec fundare tenaci
Anchora dente poteſt. Dextræ moderamina, clavi
Detrectat regimen, ſolúſque eſt navita Caurus,
Neptuníque furor. Jam fracti robora mali
Carbaſa deſtituunt: antennis ſaucia navis
Extremè fluitat: tonſarum munera ceſſant,
Eripiúntque omnem maria indignantia conſum.
Denique jam invalidam congeſta procella carinam
Obruit undarum non unâ mole, ratémque
Victrici ſubvertit aquâ, mergítque profundo
Gurgite plorantem fatum. Jam nulla ſalutis
Spes reliqua eſt, nullúmque fugæ jam reſtat aſylum.
Obviat his ſolùm feralis cymba Charontis,
Per Phlegetonteam manes vectura paludem.
Hos inter Phidi decumanis fluctibus hauſta
Nuntia, jam æquoreum mærenti lumine funus
Vicinare ſibi cernunt: nî robur ab alto
Incolumem ſervare virum, portenta daturum
Decernat mundo. Dum quippe ſub æquora ferri,
Fatalémque putat ſe jam pede tangere lembum:
Neſcio, quâ Virtute levem ſibi corporis eſſe
Perſentit molem, ſe ſe ſuper ipſa levantem
Terga Amphitrites. Quare caput eximit alto
Vortice, & everſæ jam diruta membra carinæ
Quærit, ſed cæci ritu, palpando per undæ
Turbatam faciem. Nam tetræ noctis imago
Et cælum, & pelagus ſpiſſis velaverat umbris.
Dúmque per æquoreas, naturæ ductibus, oras,
Aut potiùs Superûm detentus viribus, errat:
En tibi corporeis ſulcanti cærula remis,
Obvia ſe ſiſtit Cæli ſubmiſſa favore,
Officium tabulæ trabs conceſſura natanti
Præſidium, ac portum felici ſorte datura.
Hanc celeri capit amplexu, ſtringítque lacertûm

Robore; quod reliquum laſſatis ſuppetit armis,
Ac trabe, quam Superûm protrudunt flabra, ſonoras
Neptuni vincit furias, portúmque natatu
(Si tamen eſt portus, mediâ ſitus æquoris orâ
Vertice ſurrecto ſcopulus) contingit, & undis
Altior exſurgit. Defectum corpus acutas
Projicit in cautes, revocátque in membra vigorem
Priſtinum, & evictâ jam jubilat æquoris irâ.
At poſtquam ſe ſe tantiſper recreat alto
Erutus, ac memori ſuperatum mente revolvit
Diſcrimen vitæ: nova ſe formido medullis
Ingerit, hoc forſan ſe littore fata manere
Ultima; quæ liquido ſervârunt marmore vitam.
Dum Phidum ambiguo jactat ſpes miſta timori,
Ac vario affectum curarum concutit æſtu:
In cordis ſe ferre ſinum (cêu lumen Olympo
Defluum in afflictis rebus) mirabilis ille,
Jámque orbi notus, non uno thaumate clarus
Evthymius Solymæ Præſul; quem Numen ab uno
Tranſtulit ad Superos luſtro. Vix atria mentis
Contigit Antiſtes, Cælo, terríſque verendus:
Illico ſe Phidus, ſpe erectus, rupe levare,
Submiſſóque iterum decreſcere poplite terræ,
Atque animi ſenſu, gemináſque ad ſidera palmas
Dirigere, ac oculis rotantibus aſtra tueri,
Euthymiúmque, ſtatu rerum præſente, rogare
Auxilium, ac crebris interpellare precando
Vocibus Euthymium: ſuccurrat rebus in arctis,
Subſidiúmque ferat. Nec caſſa fuêre clientis
Vota, ac orantis ſtudium. Dum quippe levamen
A portentoſa venturum ſidere dextra,
Haud vano fovet arbitrio, portúmque ſalutis
In Cæli virtute locat, portenta! quid iſthoc?
Eminùs irati calcantem tergora Nereî
Conſpicit in lucis permira cyclade, penè
Attonito ſimilis Phidus, multóque ſtupore

Obrutus, Euthymium. Nec lumen faſcinat error.
Namque ubi ſe propiùs tumidi per jugera ponti
Jam divus Myſtes infert : detergere Phido
Ambiguos animi fluctus, æſtúmque pavoris.
Hujus ad intuitum, Neptuni ſceptra minaces
Depoſuiſſe iras, ſpumoſáque bella putârim,
Indomitóſque aliàs bacchantes æquore ventos
Repreſſiſſe ferum murmur, buccáſque crepantes
Humenti frenâſſe manu, reverentiâ honori
Præſulis adductos. Quid quòd veſtigia Divi
Squamigeros libâſſe greges per baſia mille
Autumem, & officii non uno munere, glaucam
Nereidûm gentem veniſſe, ſacrúmque modeſto
Obſervâſſe virum ſtudio. Quem Numen honorat,
Haud ægre pariter Neptunia regna verentur,
Omniáque ad nutum ſubjecta elementa ſequuntur.
Sed jam ſe propior cycladatus lumine adurget
Majeſtate gravis Myſtes, formidine pulſâ
Ad rupis reſidente oram, Phidúmque timoris,
Angoríſque malo exemptum, ac horrore ſolutum,
Talibus affatur. Segnes depone pavores
Illico ; nam Euthymium non vano lumine cernis.
Ipſus ego magni ſum ſervus Numinis, alto
Æthere demiſſus, venióque in vota clientis
Crebriùs accitus. Noris, quod nôſſe ſupremus
Te mundi voluit Dominus, non eſſe Tonanti
Hoc iter acceptum. Nec enim data nuntia quidquam
Proſunt ; nec ſacris veniunt accommoda rebus.
Atque ideo revocare gradum te protinus urget
Imperium Cæli, mittentíque iſta referre
Ocyùs : immodicis nè poſthac pectora curis
Exedat, Hæreſeóſque malo ſe jugiter angat ;
Quod virtus Superûm Solymæis pellere regnis
Arbitrio ſapiente volet, claríſque Sionis
Arcibus expediet. Non longus temporis ordo
Ibit ; cùm depreſſa Fides, erecta trophæum

Eri-

Eriget, atque prior Fidei veræ unio plaudet,
Chriſtiadúmque greges uno Paſtore, quietas
Ducent ætates. Vix hæc, ac plura profatus
Nectar, & ambroſiam ſpirante beatiùs ore,
Ac reditum mandante viro: cùm luce refulgens
Velamentum humeri, multóque adamante coruſcum,
Laxato obrizi nexu, deponit ab armis,
Atque operit ſacro mirantem tegmine Phidum,
Ad chlamydis pretium attonitum, donúmque ſtupentem.
Vix coccum injecit Phido, jam munere functus;
Illicet empyrias ſe Præſul librat ad oras,
Eximiúmque ſuo diſceſſu thauma relinquit.
Quippe unà rapitur Phidus, per inane curuli
Haud viſâ vectus, Solymæque allabitur oræ
Continuò, miréque ſacrâ deponitur urbe.
Cêu Habacuc quondam Aſſyrium delatus ad antrum
A genio Superum: parili virtute, Sionis,
Haud multâ durante morâ, Phidus tenet arces.
Iſthmiacus poſthac juvenis ſit fabula mundo
Alite Pegaſeo vectus. Jam vera referre
Calliope potis eſt pennatæ thaumata turbæ;
Quam ſæpe æthereâ demittit Numen ab aula,
Præſidium, columénque orbis. Vix contigit urbis
Compita, divino ſervatus Numine Phidus:
Miratur portenta DEI, memoríque reverſat
Pectore diſcrimen, tempeſtatíſque furores,
Undarúmque iras. Sed non tam fata revolvens,
Quàm validi auxilium Cæli, veríque levamen
Euthymii, hæc Superis pergratus verba profundit.
Magne DEUS, verum, immenſum, inſcrutabile Numen!
Jam mihi non uno liquidè patet argumento:
Euthymium veri Cælorum nomine ſervi
Haud dubio gaudere ſtatu, ſuperíſque receptum
Sedibus è merito. Nec me dubitatio tangit
Ampliùs, æthereâ decreto Numinis arce
Ad tumidas pelagi verè acceſſiſſe procellas,

Méque maris rabie jactatum, jámque profundo
Æquoreas bibiturum undas, de ſorte levâſſe
Naufraga, & in patrias retuliſſe fideliter oras.
O utinam meritas poſſem perſolvere grates
Ter magnæ Superûm dextræ, ſervóque Tonantis
Euthymio; cujus notâ virtute, ſolutum
Me fateor ſævis (quis enim ambigat?) æquore fatis.
Hæc ubi verba dedit labris, ac plura profudit
Pectore nota DEO, cordis ſecreta tuenti:
In proprias ſe ſe confeſtim proripit ædes,
Prodigio plenum Euthymii poſiturus amictum,
Ac in portenti ſpecimen, quod prædicet orbi,
Conſervaturus. Vix Cæli murice tinctam,
Atque auro, gemmíſque gravem deponit abollam
Jam ſuperi Myſtæ: cùm balia mille potenti
Defigit chlamydi; cujus virtute volucri
Æmulâ, in aëreas ſe ſe libraverat oras,
Ac omni pennâ citiùs per inane volando,
Arripuit natale ſolum. Non Muſa recantet
Triptolemi currus, ſpargentes æthere fruges:
Nec memorent vates, ſceleratæ Colchidos auſum,
Frenantis ſuperâ diros regione colubros.
Nil cum Dædalea mihi ſit, vel Perſeos ala,
Commento ingenii per credula labra volante:
Dum chlamys Euthymii vero ſuffulta, ſtupendo
Thaumate, corpoream valuit traducere molem
Per mare, pérque Jovis liquidas feliciter oras.
Hoc oſtro ſaturum tegmen, Cæliique decorum
Schemate, vix poſuit reverenti munere Phidus:
En tibi prodigii nova ſe ſe, ac mira relatu
Præſentat facies; quam claro lumine, nullo
Erroris fuco luſus (mirabile viſu!)
Accipit obſervans Phidus. Nam palla moveri,
Inque altum haud viſâ Cæli virtute levari,
Tandémque in ſuperum, ceu fumus, abire theatrum.
Sed quid miramur tranſlatum rurſus amictum

Euthy-

Euthymii, nobis ſi recti eſt notio juris,
Ac æquæ Themidos leges dictavit Olympus?
Nempe ſuo reddi Domino conceſſa jubentur.
Sic vel poſt ſua fata docet ſervantior æqui
Antiſtes quondam Solymæ, (cuî Gnoſſia poſſunt,
Dictæique Ducis ſinè probro cedere jura)
Commutativæ nunquam non jura ſtateræ
Inviolabiliter ſancto obſervanda rigore.
At jam miſſa juvat vittato ſiſtere Patri
Nuntia Martyrio, ſeriémque referre peracti
Muneris, ac ſuperæ magnalia prodere dextræ.
Quare continuò mitratum culmen honoris
Accedit Phidus, longóque ex ordine promit
Omnia, Caſtalidem quæ jam memorare pigeſcit;
Nè ingratam recoquat crambem. Vix iſta Sionis
Accipit Antiſtes: primùm miracula rerum
Attonito ſimilis, perculsâ mente volutat:
Tum longè miſſis mærenti pectore curis,
Tales effundit, multa inter jubila, voces.
Agnoſco magnum, Cælo atteſtante, Propheten
Euthymium; cujus Virtus ſpectata, vel ipſum
Prodigio affecit pontum, Solymæque futura
Sæpius edixit, divino carmine, fata.
Sint infinitæ laudes, gratéſque Tonanti,
Talia per charos patranti thaumata ſervos.
Jam nemo inficias ibit, cuî lumen ab alto
Affulget veræ Fidei: immortalia Divûm
Agmina non vanè quandoque in vota citari.

JEPH-

JEPHTES
Unigenam filiam ſacrificat.
Judic: 11.

JEphtes boni publici, patriæque libertatis ſtudioſus, bellũ translaturus in hoſticum, cum valida Hebræorum manu, movet in Amonitidem, concepto priùs voto, ſe, ſi victoria potiri daretur, hoſtiam DEO mactaturum, quod animalium, victori ſibi, lares domeſticos repetenti, primum occurret. A voto pugnatur acerrimè. Funditur, fugatúrque Ammonitarum exercitus, jam de dominatu ſuo deſperans, qui libertatem perditum ibat alienam. Victori, & libertatis vindici, gratulantium voces ubique perſonant. Dux, jactata per ora populi vota, DEO gaudii datori remittit. Jámque triumphali pompâ in urbem invecto, tectáque ſubituro, obvia ſe primò fert, virtute, ac formâ præcellens unigena filia, libertatis hebrææ aſſertori victoriam gratulatura. Ad cujus occurſum reus voti Pater, vicimus, inquit, filia vicimus, ſed tuo ſanguine, funeréque indicto, nuncupati religionem voti exponit, non alio, niſi filiæ capite exſolvendam. Hìc illa prompta obſequio, haud quidquam obtendere, nihil depre-

deprecari, id unum petere: indulgeret Pater bimeſtre non ampliùs ſpatium, quo juga montium obeundo, Parentis orbitati hærede cariturі, vivo funere parentaret. Deſcendit Pater in vota filiæ. Bimeſtri in montibus exacto, ad urbem revertitur, ad Patrem filia, ad aram victima, nullo ſuorum gemitu retardata. Procumbit in genua devota Numini hoſtia, vultúque in hilarem mortem compoſito, excipit ferrum in pietate crudele.

VOta canam, quæ viva fides, zelóque dicatus
Relligionis amor, pietáſque obſtricta Tonanti
Edidit in lucem, victrici laude repenſa,
Atque triumphali donata abs æthere lauro.
Vota canam, quæ Thariacus Mavortis alumnus,
Aut ipſus Mavors divino Numine plenus
Concepit, feſtam conſecraturus ad aram
Unigenam natæ gemmam, luménque ſupremum
Saraidûm, atque decus pulchræ Chananitidos oræ:
Si ſuperis demiſſa plagis victoria, palmam
Tradiderit genti Abramidûm. Nec vota fefellit
Æther, nec votis effectu defuit heros
Martius; at propriam cum virgine ſanguine natam,
Impavidus genitor, votivam fudit ad aram.
Hunc dum parthenium virgo Cyrrhæa cruorem
Plectro epico tangit, fluido ſua carmina rivo
Currere, & innocuo fervere à ſanguine poſcit.
Fortè Ammon rabidæ ſoboles, ac pullus Erinnys,
Ingenióque Getes, nunquam non Martis arenam
Corde, manúque agitans; crebris Chananitidos oram
Invadens armis, longè, latéque ruinas
Jeſſiadûm ſpargit. Quin peſtem accerſit in agros
Mulciberi; populatur opes, ac more furentis

Caucaſeæ tigris, violento percitus œſtro,
Obvia quæque necat. Nil ſæva Lycaonis arma
Evitare poteſt. Campos, ſaltúſque pavore
Attonitos reddit, vaſtâ formidine complens
Omnia, Judææ terror, regníque Procuſtes.
Hac ut pernicie, jugíque tyrannide ſolvant
Se ſe Thariadæ, frenúmque, modúmque Canopo
Injiciant: leges patriæ, mentéſque recoctas
Longo rerum uſu, librato pondere rerum
Excutiunt. Primo recti molimine conſi,
Ajacem, bellíque Ducem, regníque levamen
Solerti inquirunt ſtudio; qui Marte tueri
Afflictam valeat patriam, jam penè labantem
Arîete fortunæ, peſtémque arcere Gradivi
Finibus Iſaciis, populiſque afferre ſalutem
Mille exoptatam votis. Dum fortè corona,
Ordóque purpureus Procerum ſe verſat in omnes
Consi maturi partes, geniúmque ſuorum,
Virtutémque armis claram, per Judicis urnam
Exigit: in nullum potior ſententia ſurgit
E Patrum arbitrio; quàm multo Marte probatum
Vicinâ heroëm cretum Galaditide Jephten.
Et quamquàm generis lumen, (quod nulla poteſtas
In patrias unquam potuit ſuccendere tædas,)
Haud illuceret Jephti; clariſſima fecit
Attamen illuſtrem Virtus. Hæc ſanguinis alti
Præcellens famam, nativâ ſorte reſurgit
Altior, & veteres ſupereminet inclyta ceras.
Non Patrum effigies, & avitis turgida ſignis
Atria, condecorant hominem; ſed ſola beatum
Efficit externæ virtus non indiga famæ.
Hoc decore egregio virtutis præditus heros
Strenuus, oppoſitu capitis tutarier oras
Abramidûm promptus, totúmque ſacrare cruorem,
Præficitur Judæ labaris, ſummóque jubetur
Munere Jeſſiacas in campum ducere turmas.

Non equidem armorum primas, belliíque ſuprema
Jura capit, ducítque globos Mavortis; ut hoſtis
Sanguine, quo gaudet truculenta tyrannis, inundet
Æquora camporum, laurúmque cruore rigatam
Imponat capiti; ſed pacis figat olivam,
Fæcundas fruges ſparſuram divite cornu;
Quas concors Ammon nunquam non carpat, & Hebrus
Semper pacis amans. Laudem ſibi vendicat æqui
Ordine, qui ſolùm revocandæ pacis amore
Martia tela capit. Sed cùm jus ferret in armis
Veſana Ammonis rabies, ac mitia pacis
Conſilia in tergum jaceret, faſtúque tumente
Vellet ab Odryſiis ſibi nomina jugiter armis
Creſcere, & in multas exſurgeret ira rapinas,
Depopulans patrios longè, latéque penates,
Saraidúmque agros vaſtans: commotus iniquo
Eſt bello Jephtes. Quare candeſcit in iras,
Quas non duntaxat virtus agnata, genúſque
Accendit Martis; ſed vis excelſior omni
Ordine naturæ, ſuperis tranſmiſit ab oris.
Ac ſic æthereo firmatus robore Jephtes,
Cogit ad arma viros, & jam deſveta triumphis
Agmina in hoſtiles animat, ducítque catervas.
Jámque in bellorum ſtadium deſcendit Idumes
Ajax: arma ſtrepunt Jordanis littore: ſævit
Pectoribus Mavortis amor: mens omnibus una eſt:
Plùs nimio tumidas ferro exturbare phalanges
Limitibus regni. Sed nè quid fortè paretur
Invitis Superûm ſtudiis; in vota Tonantem
Advocat obſtrictus, Cælis, & talia fatur
Decreſcens terræ genibus, cordíſque precatu
Telluri abjectus Jephtes. O ſumma poteſtas
Terris, ac Superis dominans! quam ſumma verentur
Sidera; cui ſe ſe ſubmittit cernua tellus,
Imperiíque gerit morem, nutúſque tremiſcit.
Te mandante, ſuos Neptunia regna tumentes
Evol-

Evolvunt fluctus, liquidíſque feruntur in altum
Montibus undarum, rurſúmque jubente quieſcunt
Numine, & in pacis ſubſidunt fœdera, raucum
Ponentes murmur. Tibi denique paret uterque
Orbis, & in famulos ſe ſe ſubſternit honores,
Quidquid mundus alit. Tu nobis maxime mundi
Arbiter, ac Rector, proſtratis rebus, adeſſe
Armato dignare polo, fortíque lacerto
Ætheris adverſas confeſtim ſterne catervas.
Hoc genus obſtrictum poſcit, laudíque Tonantis
Deditum, & haud uno violatum crimine Cælum.
Quare age Achæmenium, ſtygiúmve refringe Gradivum
Ambitione ferum: nè porrò dedecus aſtris
Oſor Cælorum juratus inurere tentet.
Da, cujus nutum mavortia ſigna ſequuntur,
Quíque triumphales diſpenſas æthere lauros,
Temporibúſque aptas: da noſtras Daphnis in oras
Commigret, ac fauſtis victoria devolet alis,
Deſerto Ammonis faſtu. Sic ſæva tumore
Cornua deponet, cernétque præeſſe triumphis
Supremum Numen; quod Marti imponere ſtricti
Juris frena queat. Diſcat veſania ſceptri,
Poſſe DEI vires rabiem cohibere tyranni,
Ac duro Regum turgentia colla lupato
Stringere, crudeléſque ſibi ſubmittere faſces.
Si noſtras æther pergis tutarier oras,
Atque favens adſis Chananiti; conſcia teſtor
Sidera, ſolemníque meum caput obligo voto,
Jurisjurandi ſignato relligione:
Quidquid victori, confecto Marte, penates
Obtulerint primum, reducíque occurrerit auras
Vitales carpens; ſacrum, ſanctúmque dicabo
Numini, & obſtrictas hæc dextera cædet ad aras.
O mentes hominum venturi lumine caſſas!
Ignaras fatorum animas! Improvida rerum
Pectora, quæ faciunt nonunquam vota, doloris

Materiem ingentis. Votum ſuſcepit Olympus.
Hæc ubi vota dedit Jephtes, ac grata Tonanti
Dona futura animo ſenſit; converſus ad arma,
Quæ fortaſſe metus perculſit, talia fatur.
Divinum genus Iſacides, electáque pubes
Martia, Jeſſiacæ ſemper virtutis alumna,
Macti animo, ſegnéſque tuo de corde timores
Illico propulſa. Tibi juſtus militat æther,
Abramidúmque Patres in bella fidelia ſurgunt.
Thariacam ſervare domum, ſacrámque tueri
Stat nobis de jure fidem, feſsíſque levamen,
Præſidiúmque adferre plagis; opponere murum
Pectoris, ac veſtram ſtat procurare ſalutem
Sanguinis impenſâ. Si vobis fama, penates,
Conſortes thalami, ſoboles, ac munera ſortis,
Libertæque bonum cordi eſt: contendite Marte
Strenuo, & adverſas armorum turbine vires
Frangite, cêu par eſt. Reſides depònite veſtro
Corde metus, hoſtémque actis, ac omine Cacum;
Ocypetéſque ſatum, nunquam non ſacra ferentem
Majugeno, atque ſuæ mittentem furta Lavernæ,
In Phlegetonteas, ferro indignante, paludes
Mergite: nè noſtras redeat funeſtus in oras
Depopulator opum, gladióque ultrice repenſa
Criminis auſa luat. Si forſan pectus inundat
Ignavum horroris ſtagnum, metuítque Gradivi
Agmina, & innumeras, quas camporum æquore turmas
Mempheos effundit Mavors: ſepone timores.
Fida cohors Cælis. Id ſanâ mente revolve:
Virtutem conflare aciem, non multiplicatas
Armorum vires, numeróque tumentia belli
Munera, quêis nulli præſunt virtutis honores;
Sed genius leporis, vel cervæ præſidet horror.
Quare agite, adverſis opponite maſcula telis
Pectora, & hoſtiles animis, armíſque furores
In ſtygios migrare lacus compellite: nè unquam

Am-

Ampliùs in noſtram valeat conſurgere cladem,
In ſtrages jurata Pharos, veſtrúmque cavillis
Impugnare genus. Quid? vilis filius ille
Terræ, ac opprobrium mundi, generíſque catharma,
Jugiter in veſtras inſertet colla catenas,
Inſontéſque flagris cædat, vexétque tributis,
Ac patrias pellumdet opes impunè Procuſtes?
Indultum nimìs eſt. Et adhuc patiemur inulti
Pluria, quæ noſtris minitatur crebriùs oris?
Prô pudor! ærumnas inter tot degere luſtris,
Admorſóque iterum freno, ceu vilia poſſe
Ferre macella jugum, libertatémque tyranno
Subdere, & externis componere legibus Hebrum.
O tandem in veſtram ruitura opprobria gentem
Sanguineis abolete vadis, ac dedecus omne
Tergite, quod vobis faſtus Mareotis inuſſit.
Ite, necate hoſtes. Spondet Themis æqua triumphum.
Dixerat, & lituos, atque ærea cornua rauco
Conſpirare jubet ſonitu, Martíque parari
Pectora, & Abramidas certum deſcendere in arvum
Protinus, effrenem domituros fortiter hoſtem.
Nec ſegnes in bella viri, quos turgidus Ammon,
Aut potiùs ducunt Erebi, Ditíſque miniſtræ.
Armiſonâ occurrunt rabie, devincere certi
Thariadûm gentem. Vix primo lumine ſe ſe
Belligeræ tangunt acies: cùm clamor utrimque
Tollitur, ac varias diſcordi chromate voces
Miſcent, & fremitu trepidantia ſidera pulſant.
Qualem Tyrrheni maris horrida ſaxa fragorem
Reddunt; cùm tundunt decumani verbere fluctus
Littoreas rupes: talis per inane remugit
Confuſus populi clamor, ſtreperóque tumultu
Perſonat, atque vehit vaga ſævæ murmura vocis.
Indè animum ad pugnam rabidi ſtimulare furores,
Accendíque irâ præcordia; corda tumere
Lymphatâ rabie; tremere artus; flammea volvi

Lumina; ſtridores tremebundo dente crepare,
Ac ſpumare minas liventia labra, genæque
Igne colorari; Martem omnia reſpirare.
Ut verò miles, teli, lethíque propinquum
Intrà conſiſtit jactum: primordia belli
Orſurus Jephtes, teſtino lumine vaſta
Agmina percurrens hoſtis; quæ turgidus Ammon
Compulit in cuneos Martis, turmáſque coëgit:
Continuò iratâ ferrum verſatile dextrâ
Corripit, atque feros cadit heros acer in hoſtes,
Perrumpítque acies. Prô quanta potentia ferri!
Nam veluti rapidæ violenti fulminis alæ,
Qua ſe cunque ferunt, recto, obliquóque viarum
Tramite, lethiferos ſpargunt, vomitántque furores,
Multorúmque cadunt, céu plurimus edocet uſus,
Clade, ac innumeras diffundunt undique ſtrages:
Sic ruit in Pharias Jephtis violentia turmas.
Exemplo ſuccenſa Ducis mavortia pubes,
Fulmineo inſequitur telo, ruitura per omne
Sêu propriæ mortis genus, aut immania Memphis
Funera, victricem palmam ereptura Tyranno:
Aut, ſi fata jubent, victricia ſigna datura
Hoſtibus, ùt Cæli ſupremus deſtinat ordo.
Et vero, Superûm comitante favore, ſecundis
It bellum Abramidûm ſtudiis. Dum quippe cruentas
Hinc, atque indè edunt ſtrages: ſuccingitur æther
Ignibus, adverſáſque premit formidine turmas,
Portendítque malum capiti; cuî imminet ira
Sideris in flammas acti. Nec vana minatur
Omina. Nam ſubitò tempeſtas horrida cælo
Intonat, atque atras volvens per inane procellas,
Deglomerat fætos ardenti ſulphure nimbos.
Tum verò attonitos ſalſus manare per artus
Sudor, & Ammonem pariter, trepidúmque rigare
Cornipedem, ac omnes, terrórque, metúſque ferire
Perculſos portento animos. Quin ipſa pavere
Arma,

Arma, ac quadrupedum premere edita terga timores.
Et ſic confuſis horroris fulgure ſignis,
Præproperâ celerare fugâ, pedibúſque ſalutem
Quærere, & Iſacios, palantûm more, per agros
Agmina diſpergi, trepido ducente pavore.
Hìc verò gelidis Mavors inſtare catervis,
Temporibúſque uti Jephtes. Pleno impete fertur,
Adverſáſque ferit, miſſo diſcrimine, turmas.
Qualis ab excelſo ſe volvit monte rapaci
Undarum rabie torrens, auctúſque ſolutis
Jam molli Phœbo nivibus, ſe vallibus urget,
Præcipitátque globos lympharum, ac omnia ſternit
Amnibus, haud ullis ſpumosâ concitus irâ
Ceſſurus ſeptis, nulláque domabilis arte:
Tali ſe Jephtes furiali percitus œſtro,
Mittit in adverſas, Hebro comitante, phalangas.
Hoſtica terga ſecat; fugientûm diſſipat alas;
Lethifero mucrone premit, jugulóſque reſolvit,
Atque reluctantûm frontem, ſtantúmque trucidat
Agmina, & immenſas fundens per jugera ſtrages,
Sanguineo complet Chananæa novalia fluctu.
Bella Ixionidûm reputa. Sunt bella cruenta.
Poſtquàm confecto felici Marte, videret
Supremam impoſuiſſe manum Jeſſeïa Jephtes
Gloria, & obſtrepero juſſiſſent cornua cantu
Feſtam Mavorti pacem: pro more Gradivi
Imperat, oblatas deleto ex hoſte referre
Ammonis prædas. Sunt nempe hæc debita Marti
Præmia; quêis vivit bellantûm vivida virtus.
Non habet opprobrium præda æquo jure relata.
Dum gazis dives, ſpoliíſque beatus opimis
Miles, & emeritâ decoratus tempora lauro,
Libertæ Abramidûm vindex, patriæque ſalutis
Strenuus aſſertor, proprios cum pace penates,
Famâ victrici præeunte, decúſque canente
Laurigeræ ſortis, repetit: ſe patria patri

Mittit in occurſum. Jam totâ effunditur urbe
Civis, & eximios, feſtis concentibus, aurâ
Ingeminante melos, decantat læta triumphos.
Nec tam confuſis victricia ſigna ſalutat
Vocibus, ac animis concordibus aſſonat omnis
Ætas applauſum. Cuncti, quos fama, Gradivi
Excivit laribus, lætum pæana, ſalutis
Authori occentant; Martem ſuper æthera tollunt;
Mille vovent vitas, propriòque fideliter annos
Sollicitis addunt ſtudiis, optántque trophæa
Sæpe per infeſtum ducat Mareotidos hoſtem.
At vero Jephtes populi præconia latè
Didita, in authores Superos, tantíque datores
Muneris, ùt gratum decuit deferre, remittit.
Jámque triumphali Mavortis gloria curru
Mœnibus accedit Maſphan, circumdatus oſtro,
Ac lauro victor. Sed (proh!) alterna ſecundæ,
Adverſa occurrit ſors forti, lumine triſti
Averſóque tuens. Jam mutat gaudia mœſto
Eventu rerum, penſátque dolore voluptam,
Tantis laurigeri Martis ſudoribus emptam.
Forſan victrici ſubituro tecta Parenti,
Obvia ſe primò fert omnium, amore trahente,
Jephtias, unigenæ clareſcens munere natæ,
Spes una, ac lumen Patris. Quin vera Cytheris,
In qua cum formæ dono, virtutis honores
Pulchrum commiſcent bellum. Phœbe altera mundi eſt.
Inter Saraicas cenſetur prima Lacænas
Gemmula, & illuſtris lux fulgentiſſima gentis.
Hæc, inquam, Idaliæ nulli ceſſura virago,
Parthenio ſtipata choro, feſtóque canore
Demulcente auras, patriis occurrere palmis
Illicet accurat, conteſtatura receptam
Pectore, de Patris felici ſorte voluptam,
Atque reportatum bene gratatura triumphum.
Ibat, cêu medias inter Latonia virgo

Exul-

Exultans comites: aut Phœbe plena, minorum
Cincta ſatellitio ſtellarum, digna videri
Parthenis, eximio ante omnes ſpectabilis ore.
Purpureus natat ore ignis, certánſque coloſtro,
Ac nivibus, roſeis diſcurrit lacteus humor
Abs fuco malis. Geminum ſibi lumina ſumunt
Caſtora, Chryſolitíque faces, ac ſidera vincunt.
Lucens frontis ebur, Charitum ſibi gratia totum
Vendicat, ac formæ pulchros aſpergit honores,
Eminet his cyrrhatus apex, rutilóque niteſcit
Haud impar Phœbi radio coma gratior auro.
Et nè Calliope memoret, quod Muſa referre
Nulla valet: quidquid naturæ contulit ordo
Per celebres Grajûm, commenta patentia, formas;
Jephtiadi Iſacidûm nymphæ ſubjecit honori.
Hæc Dea, cùm vero Marti, ſoboléſque Parenti
Obvia procedit: dolor unà, ac fata propinquant
Aſpera; quæ grandi configunt vulnere magnum
Hectora Thariadûm. Quò jam tua vota reflectes
Saucius infeſto fortunæ lugubris ictu?
Utrius Metanœa magis perculſa ſubibit
Pectora? An erepti victrici Marte trophæi
Pœna, dolórque animum tangit: votíve reatu
Obſtrictum fortaſſe piget? Quæ cura remordet
Pectus? Quóve tuæ fertur ſententia mentis?
Dic, age. Sed quid ego ſcitor, quid Muſa requirit
Talia; quæ vultu Jephtes expromit abundè,
Ac rerum præſens facies, & triſtis imago
Sátque, ſupérque probat, quam ſors funeſta colorat?
Jámque triumphales in leſſum vergere plauſus,
Feſtivúmque decus feralis nænia mæſto
Excipit eventu. Succedunt triſtia lætis
Omina, & alternas miſcet ſors barbara ſortes.
Sic perſæpe ſuos fortunæ mobilis ordo
Exercet ludos. Sors ſummis ima coæquat.
Ludit; ut illudat: mulcet; ſed ut opprimat: ore

Accedit blando; quò fata propinqua miniſtret.
Ut jugulet, multo verſuta favore ſaginat.
Obtrudit varios, quos probro penſat, honores.
Elevat, in præceps charos actura clientes.
Vix ullum vidit Phœbus ſurgénſque, cadénſque;
In cujus gremio conſtans deduxerit ævum
Sors melior, fortíſque favor. Plerumque ſecunda
Adverſi excipiunt caſus; & magna ſequuntur
Gaudia crudeles, pro humano more, dolores.
Riſibus affines lacrymæ. Felicior ortus,
Occaſum triſtem, tempeſtatéſque vaporat.
Atque hæc adverſi preſſêre incommoda fati
Jephten; qui Ammonem ſibi ſubdidit, atque furores
Hoſtium, & indomitum domuit, fudítque tyrannum.
Ut primùm oblatam vibrato lumine cernit
Jephtiadem: attonito ſimilis, crudelia voti
Condemnare ſui cœpit decreta, dolore
Percitus infelix Genitor. Sub pectore vulnus
Arcanum ſentit, quod præſens nata creavit,
Torpétque in morem rupis, viréſque loquendi
Perdit: nam officium linguæ confuſa retardat
Mentis temperies. At tandem corde revolvens,
Charam progeniem, Cœlis ex aſſe dicâſſe
Victimam: in heroos fervore exæſtuat auſus,
Unigenámque ſacris extemplo deſtinat âris.
Hìc verò pietas Patri obviat impia, dicens:
Inconſultum animi conſum non lege teneri
Concepti temerè voti. Promiſſa rependi
Suppoſito pecudis votivæ poſſe cruore.
Interea veræ Pietatis corda ſubire
Ardor, & æthereo deberi ſacra Tonanti
Vota, rigoroſo ſcitè probat argumento.
Dúmque in ſancitas facto deſcendere leges
Magnanimus poperat Jephtes: natura reſiſtit
Oppoſitu quamvìs molli; ſed fortiter urget,
Suſpendi in teneram crudelia funera natam.

Hinc

Hinc ferrum è manibus, ſævúmque è pectore votum
Excutit, ac ſvadet tribui florentia vitæ
Munera Jephtiadi. Quid enim? cur integra vitæ
Immani fato pereat, pœnæque reatum
Perferat, à nullo contractum criminis auſu?
Quid peccavit amor feſtivo carmine Patri
Obvius: ut meritos Marti deferret honores,
Officiíſque Patrem coleret; quæ debitus ordo
Naturæ expoſcit? Num filia fraude, dolóque
Immunis, ſævam pro affectûs munere pœnam,
Suppliciúmque luat? Sed contra prælia ducit
Relligio in Superos, mollem expugnare laborans
Naturæ genium, tenerúmque refringere telum
Sanguinis, & pactam legem ſervare Tonanti
Præcipit; ùt voti ratio, promiſſáque poſcunt.
Nî faciat, juſtas æther conſurget in iras,
Atque reluctanti fidei decernet acerbas
Cum probro pœnas. Hoc perfida vota merentur.
Audiit hæc Jephtes. Quare illico Patris amorem
Exuit, in votum Cæli ſua vota reflectens;
Jam certus ſervare fidem, promiſſáque Divis
Pendere, & unigenam fatis tranſmittere natam.
Ac ſic Relligio vincit, Pietáſque triumphum
Affectu de Patris agit. Jam vota tenebunt.
Nec mora: ad unigenam converſus, vicimus, inquit.
Vicimus. At lauros victrices ſanguinis alti
Mercati pretio; quod Cælis reddere par eſt.
Vovimus (ô mea nata!) bonis ſolennia Divis
Vota; ſed inſolito (nè conſtringare pavore)
Exſolvenda modo, noſtróque implenda cruore
Pergrato Superis. Nè frigus ſerpat in artus,
Inceſſátque metus: dum vota recondita fido
Pectore, virgineas genitor demittet ad aures.
Dum fremerent Libyci, quem jam devicimus, hoſtis
Claſſica, & in noſtras ſe plenus funderet oras
Mavortis turbo: miſerentes reddere Cælos,

Propitióſque mihi ſatagens, hæc vota profudi.
Quidquid victori, confecto Marte, penates
Obtulerint primum, reducíque occurrerit auras
Vitales carpens, ſacrum, ſanctúmque dicabo
Numini, & obſtrictas hæc dextera cœdet ad aras.
Hæc te, (ſed mallem potiùs mea verba dicare
Harpocrati) hæc, inquam, contingunt vota (dolore
Ilia rumpuntur) longè chariſſima nobis
Pignora; quæ multo Superi tribuêre precatu.
Jam repetit ſua dona DEUS. Te deſtinat æther
Victimam, & à patria votivum jure cruorem
Exigit actutum dextra, funúſque repoſcit;
A quo victoris vivit victoria Patris.
Te natam ſupremus fatorum exigit ordo;
Quam voluit primam redeunti occurrere Patri.
Ecquid ad hæc mea nata refers? Quæ verba reponis?
Fare age: num Cælis te conſecrare lubebit
Victimam; ut optatâ Chananitis pace fruatur,
Et Mars abſcedat regno? Quid ad iſta Virago?
Jephtias hæc, nullo vultum mutata colore,
Accipere intrepidè; nîl voto opponere Patris;
Nîl contra errorem, fortíſque obtendere ludos;
Nec querulas adferre preces, quêis florida vitæ
Tempora procuret; ſed tales reddere voces.
Anne adeò miſerum reputem, mæſtúmque, ſubire
Funus, pro chari Patris, regníque ſalute?
Anne mihi, invito, ſit dulcis vita, parente?
Quidquid in hoc ſpirat perituro corpore, Cælis,
Ac Genitori ex aſſe ſacro, totúmque lubenter
Defero, & acceptam reddo promptiſſima vitam.
O dulcis genitor! Quæ ſum tibi filia recto
Ordine naturæ; poſſum quoque victima Patri
Accidere, & manibus Patris deponere manes.
Juſſa capeſſentem, mandatáque Patris agentem
Victimam habes natam. Mihi lethi, jure, dolorem
Diminuit, vitâ, Martíſque exutus honore

Bar-

Barbarus ille Ammon, ſtygias dejectus ad undas.
An non ritè meum Superis, Patríſque triumpho,
Parthenium, inſontémque dicem devota cruorem?
Summum illud Numen, vitæque, necíſque ſupremus
Arbiter, in noſtro ſua ſanxit funere fata,
Hanc ego ſi rerum ſortem, mortémque ſubire
Jure reformidem; graviores forſan in iras
Conſurget meritò, Patrémque, ſatámque ſequentur
Ultrices pœnæ. Quare decreta Tonantis,
Ac votum Patris, par eſt exſolvere natam.
Numinis, atque Patris mandata capeſsere fas eſt.
Id tamen oro unum Patrem: (niſi fortè ſceleſta
His videar precibus) liceat prævertere leſſum,
Atque frui uſurâ lucis; dum candida Phœbe
Cornua bis raparet. Sed cur hæc nata requirat:
Quæret fortè Pater? Nè multis: vivere vitam
Tantiſper detur: quò nota cacumina montis,
Virgineo comitata choro, pervadere poſſim,
Ac viduos ſinè prole dies, moriturâque mecum
Pignora, ceſſuróſque Patri, generíque nepotes
Plangere, & optato cariturum hærede Parentem,
Atque mihi vivo fato perſolvere juſta.
Indulgens ad vota P. ter deſcendit, (Amoris
Hoc etenim poſcit juſtum vectigal) & amplâ
Lege poteſtatem tribuit, provivere vitam;
Dum Phœbe geminos argentea compleat orbes.
Nec decuit Patrem ſtygiarum more ſororum
Irruere in natam ferro, fatíſque repentè
Tradere Jephtiadem. Nam temporis exigit ordo,
Maturâ mentis trutinâ, ferale tragædi
Munus, & horrificam rectè perpendere ſcenam.
Jephtias, acceptâ, ducendi ſtamina vitæ
Copiâ, in umbroſos frondenti vertice colles
Præproperè excurrit. Jam aſtris confinia ſcandit
Culmina; ut empyrias propiùs ſe tollat ad oras.
Atque ibi Partheniæ pulcherrima gemma coronæ

Ceſpi-

Ceſpite vernanti graditur. Cêu per juga Cynthi
Deſertur nemorum cultrix Latonia virgo,
Ortygias inter nymphas formoſior omnes:
Sic major Triviâ ſpatiatur monte Virago
Jephtias, attonitas reddens ſpectamine rupes.
Dúmque in ſupremum defert veſtigia collem,
Qui ſedet alterius dorſo: circumſpicit omnes
Latè excurrentes valles, ac deſpicit imam
Telluris faciem cœni ferrugine tinctam,
Nîl jam terrenum ſapiens. Hinc jure levari
Spiritum ab exoſâ putredine corporis optat,
Ut verò obtutum ducit per Nereos oram,
Ac Thetios regnum: patriam execratur amicam
Cypridos, atque choros ducentes Najadas odit;
Quæ gelidos inter flagrant, ardéntque Diones
Ignibus undarum fluctus, noménque pudicum
Virginis aſſimulant, infames omine Phrynes.
Indè ſuos terræ cœno, infamíque profundo
Jephtias avertens oculos, mentémque, Dianæ
Frondea tecta ſubit, ſubter nigra ilicis umbra
Penſatura inſtans funus: vel fortè quietem
Saltibus, atque inter nemoroſa ſilentia, fratrem,
Aut conſanguineum lethi exceptura Virago
Inclyta Saraidûm. Nec ſegni munere Morphêus
Aduolat, atque Deam placidiſſimus ille deorum
Irrigat, ínque oculos fæcunda papavera ſpargit,
Jephtiadi in dulcem deſervitura ſoporem.
Et verò molli decumbens ceſpite caſta
Sarais, indulget, curis reſoluta, quieti,
Abſtergítque malum Morphêus, ac triſtia lethi
Phaſmata, feſtivas depingens mente figuras.
Dúmque ſopor feſſos placidè complectitur artus:
Interea Dryadûm cœtus, viridéſque Napææ,
Laſſatum ſtudiis ſylvarum numen adeſſe,
Dictynnámque ratæ meritum captare ſoporem:
Continuò magnum choreis, plauſúque coronant

Aſtro-

Aſtrorum decus, & nemorum, multiſque ſalutant
Officiis Hecaten, ſalientes collibus altis,
Inque levem faciles glomerantur Oreades orbem.
Non hic cornigeri, ſylvarum numina, Fauni
Obſequio deſunt. Streperis inſtructa cicutis
Turba animat calamos, lætúmque per aëra murmur
Fundit, parthenias demulcens ſvaviter aures:
Quò ſopor inſcendat magìs, in caſtiſſima Divæ
Pectora, & auxilio diuturni Morpheos, almum
Diſtineant numen, ſupremum montium honorem,
Sylvarúmque decus. Poſtquàm ſua munera Nymphæ,
Silenúmque chorus flagrans ab amore tributum
Detulit: umbroſis ſtrepitans ſub frondibus ales
Excutit ignavi languentia dona ſoporis,
Nataléſque jubet citò Morphea viſere ſedes.
Ut verò lentum detergit pollice ſomnum
Cynthia Jeſſiadum: variis concentibus aures
Demulcent volucres, arguto chromate vocis
Magna ſalutantes (id enim pulchra ora loquuntur)
Numina; Thariacis quæ Cælum miſit ab oris.
Has inter primas ſibi vendicat Iſmarus ales,
Dulcius humanâ decantans arte canorum,
Cecropiúmque melos, variis diſcrimina vocum
Flexibus exercens ſylvarum pſaltria mira.
Tandem flebilibus decantat prodromus ales
Fata modis, mæſtíſque implet nemora ampla querelis
Daulias, inſinuans ſua funera, quæque manerent
Proxima fata Deam viridanti colle ſedentem.
Biſtoniæ volucri lugubri carmine Turtur
Adgemit, & triſtem protrudens pectore vocem,
Vicinum aëriâ decantat funus ab ulmo.
Jephtias accipiens venturi triſtia fati
Omina, de molli ſe tollit protinus herba,
Mæſta equidem, proprio ſed non perterrita fato,
Penſando à Superis vitâ; ſed mæſta parentis
Mæſtitie, nullos generi allatura nepotes

In patriæ columen. Dum queſtubus omnia latè
Complet; in oppoſito vocalis nympha receſſu
Saxeo, acerbatas pronâ excipit aure querelas,
Ac non inferior Cumanâ voce Sibyllâ,
Præſagas reddit voces, extrema remittens
Verba; quibus lethum pergarrula virgo remugit,
Reſponſans mæſtas Echo reſecuta querelas
Crebriùs effuſas. Sic triſtis collibus hoſpes
Jephtias, in geminum Phœbes conterminat orbem.
Cùm jam ſex denis elapſis Solibus, aurem
Vellicat, & revocat fœdus regina bicornis
Siderum, & in patrium mandat deſcendere votum
Montibus, ac ſe ſe firmatis ſiſtere pactis.
Ecquid agis tacitæ moderatrix Cynthia noctis;
Quam miti inſtruxit natura benignior uſu?
Ecquid agis? Quid fata citas, ac nuntia ſævi
Funeris Iſacidûm gemmæ, decoríque miniſtras?
Siſte tuam in lethum celerantem Delia bigam.
Siſte tuos, ah ſiſte ſoror pulcherrima Phœbi
Conſimiles nocti tauros, funúſque morare
Parthenis innocuæ. Si fratris lumine plena
Accedas iterum mundo; vitale recedet
Lumen ab inſonti, claræque Viraginis ævum
Involvent umbræ mortis, tumulíque latebræ.
Flecte retrò celeres dea candida flecte, curules,
Præcipites reflecte rotas. Sed nè aſtra regreſſum
Fortè notent, niveum piceato contege vultum
Peplo, ac umbroſo te te occule ſyrmate noctis,
Denſatíſque oculos cælorum falle tenebris.
Si non iſte placet conſus, quem dictat amoris
Gratia: ſylvarum dominam de ſorte triformi
Indue, Latoínque habitu, vultúque reſume,
Atque pharetratos nemoroſis inſtrue ludos
Sedibus, ínque jugo Cynthi, luſtríſque ferarum
Feſtivos exerce choros. Aut finge labore,
Ac nemorum ſtudio feſſam, largóque ſopori

Mer-

Merſam, in Mænaliis deduxiſſe otia teſquis.
Si tamen æthereo non ſtat decedere curſu:
Jephtiadi poterit (ſi te bona gratia tangit
Virginis) egregius ſuccedere victima taurus;
Dignior ut vitâ, nympharum maxima vivat
Gloria, prodigiúmque Hebri. Quippe oris honeſtas,
Virtutíſque decus, quo plaudit, jure meretur
Ducere Neſtoreum fatis melioribus ævum.
Hæc ſi nympha tuo, longævæ tempora vitæ
Ferre labore poteſt; poterit vel prima vocari
Eſſeque Hamadryadum, dominæ vicina Dianæ
Gloria, & abſentis condignè munere fungi.
Hæc dea Saraidûm ſævo damnata macello,
In crudele ruet lethum, ni fata retardas
Illico; quæ patrium jam deſtinat edere ferrum.
Ergo flecte retrò properas bona Cynthia bigas:
Ne geminos fratris lumen tibi compleat orbes.
At currum in caſſum Phœbes, aláſque morari
Temporis adnitor. Jam Jephtias ipſa revolvens
Pectore compoſitum fœdus, de montibus altis
Deſcenſum feſtina facit. Jam tecta reviſit
Patria, ſéque Patri ſiſtit: quò tradita ſolvat
Fœdera, & æthereis grata accidat hoſtia regnis.
Non illam falſi lacrymarum infringere rivi
Parthenii cœtus: non alto pectore ducti
Cum planctu gemitus, mæſtíque movere ululatus
Sedibus aularum reſoni, nullíque morari
Sollicitì, ac triſtis charorum à forte dolores:
Nemo retardare, atque moras, obicémque parare
Ampliùs Iſacidûm Creſſæ, deponere vitam
In manibus Patris promptæ. Sed fata priuſquam
Impavido ſubeat vultu, depoſcit amictus
Virginis, haud ſpumâ peregrini fortè nitentes
Æquoris, atque colu gemmante, Phrygúmque recenti
Arte laboratos. Non auro fulgida poſcit
Tegmina, vel Tyrio ſaturatam murice pallam;

At nivibus confine decus, tinctámque liguſtro,
Lactéque delegit tunicam, quàm purpura clari
Sanguinis, & proprium depingat Virginis oſtrum.
Parthenio inveſtita typo pulcherrima geſtit
Sarais: in vultum gratos afflavit honores
Auroræ ſuppar minium: non decolor ora
Infecit pallor, fatorum jure vocandus
Nuntius, ac lethum ſignans. Nec torva tueri
Sub cilii nimbo, contracti luminis orbes;
At placidam gemino Thaumantin ferre ſub arcu
Frontis, & in totum diſpergere jubila vultum.
Talis in occiduas ſe pulcher Cynthius oras
Mittit: quò propior Tarteſſia littora viſit,
Hoc ſe jam triſti formoſior explicat orbi.
Poſtquam funeſtum Virgo Chananeia circum
Non reditura ſubit: circumfert lumina caſtè
Parthenis, haud ullo vultum mutata colore,
Ceu jam feſtivum decantatura Thalaſſum.
Idque ideo, nè quem forſan miſeratio tangat
Spectantem in præſens oculum, funúſque cruentum
Viſurum orcheſtrâ mortis. Dein lumina Virgo
In ſe ſe vibrans, accurat, nè quid apertis
Pectoris ingenui nivibus, fortaſſe pateret;
Quod circumſtantûm caſtiſſima lumina lædat.
Indè verecundâ, mirando robore, dextrâ,
Candentem tacitè Virgo demittit amictum:
In terram ſe ſe lunato poplite mittit,
Ac bene dilutum lactis promulſide collum
Porrigit, opperiens dextram mucrone rigenti
In fatum armatam. Sed ferrum inferre paveſcit
Vulnus, quo ſoboles dilatis accidat aris
Victima; quam Cælum votiva in munera poſcit.
Ecquid ad hæc Genitor? Quid ſanâ mente revolvit
Crudeli articulo fati, quod proxima natæ
Funera jam ſpectat? Paulùm fera fata moratur
Effuſis Jephtes lacrymis. Mox æthera, tum ſe

Reſpe-

Reſpectans miſerum, nec non manantia fletu
Agmina, ſervorúmque globos, Martiſque phalanges,
Primoréſque aulæ ſpectacula dira tuentes.
Inde trahens alto Genitor ſuſpiria corde,
Pectora concutiens, atque omnibus artubus horrens,
Indice teſtatur non uno corde latere
Ingentem luctum. Tandem ſuperante dolorem
Pollicito Superis, mucronis pergrave pondus
Librat in attonitam (quid enim non horreat?) auram.
Jámque locum ſignat fatis, animæque abituræ
Inquirit callem. Prô! Muſa pavore rigeſcit,
Avertítque oculos. At Jephtes colligit omnes
In dextram vires, demittítque impete ſummo
Barbariem ferri, ac jugulum mucrone reſolvit,
Unóque innocuam proſternit vulnere natam.
Exilit à gladio, ſciſsâ cervice, cruoris
Purpura, & albentes perfundit largiter artus,
Ac lacti roſeos pulchre committit honores.
Surgit puniceum de collo virgine flumen:
Sacratas Cælis aras impinguat odora
Victima, in æthereas aſcendens ſvaviter oras.
Hæc inter meſſum ferro Pater illicò terrâ
Attollit ſublime caput, veneránſque rigánſque
Imbribus ex oculis fuſis, per mille ſalutat
Baſia, & amplexu ſtringit, cordíque paterno
Apprimit, in cordis tumulo ſi poſſet amatum
Pignus humaturus. Sed rurſum tollit in altum
Emeritum natæ caput, oblaturus honori
Numinis, ac Cælis votorum munera ſolvit.
Inde rogo extradit funus, propriáque cremandum
Admovet ipſe manu, ſtructámque exiſtit ad aram
Et Pater, & Myſtes. Tum flammis optima ſacrat
Munera, veris opes, quas florida virgo meretur.
Miſcet purpureis candentia lilia ſertis,
Implectítque roſis, nec non violaria molli
Narciſſo intexit, calthámque, thymúmque, amarantúmq;

Et quas telluris gremium profudit odore
Fragrantes gemmas, avidos diſpergit in ignes,
Virtuti meritam deſponſans largiùs herbam.
His ſuperinfundit ſtillantem cortice myrrham :
Addit Achæmeniam Nardum, ac ſudantia ligno
Balſama, & Aſſyriam gratè ſpirantis Amomi
Auram ; queîs lacrymas ſuperaddit lumine fuſas,
Unigenæque Pater perſolvit juſta puellæ,
Atque ſuis liber demulcet ſidera votis.
Diſcite, qui Superûm monitu concepta dediſtis
Vota DEO, conſóque animi meliore dicanda
Voviſtis Cælo, confeſtim reddere : nè vos
Promiſſis vacuos Rhamnuſis pœna ſequatur.
Vel implere juvat, vel non in vota citare
Numen ; quod falli non vult, ac fallere neſcit.

RAMIREZ
Filias ad aram Marianam detruncat.

RAmirez Dynaſta Hiſpanus, vir bello ſtrenuus, & Religionis Chriſtianæ acerrimus propugnator, cùm Saracenorum ferociam, urbem Madritum ſtrictâ obſidione coronantem, diutiùs ſuſtinere non poſſet; opem è Cælo accerſiturus, confert ſe in ædem DEIparæ ſacram, geminâ comitante Filiâ, formæ elegantiâ, ac pudicitiæ nitore illuſtri. Harum integritati quò conſuleret, perſvadet in cauſa tam pulchra mortem, & ad aram paterno ferro cædit victimas, illas periculo pudoris, ſe longo metu abſolvens. Jam de ſalute natarum ſecurus, ſuam quoque Cælo inferre parat, certúſque mori, cum paucis Hiſpanorum in hoſtes fertur, extremóque ardore rem gerens, non cædes, ſed ſtrages facit, quacunque invehitur. Debellato hac pugnâ barbaro, non lætitiâ, ſed mæſto horrore triumphantem confundit exercitum, explicato inter altiſſimos gemitus facinore, quod patrârat. Quo accepto, univerſi iter ad ſacrum delubrum inſtituunt, humanitate ultimâ Virginum corpora proſecuturi. Ingredientibus,

ſpectaculum objicitur non viſum à ſæculis. Filiæ enim redivivæ, incolumes, genibus ante aram flexis, eo, quo vitam poſuerant, loco comparent. Hic in laudes, & encomia MARIÆ ire omnes, eíque laureas, & triumphos adornare. Euſeb. Nierenberg. in Trophæis Marianis. *Lib.* 2. *c.* 17.

NOn mihi Theromedon Scythiæ, Phariſque cruentus
Buſiris regni, vel notæ Trinacris oræ
Cautibus aſperior Phalaris, vel Cinna, Nerove
Auſoniæ fera monſtra plagæ, Grajúmque tyrannis
Effera carmen erit; quam mitior Aonis horret
Pieriis cantare modis. Mihi metra miniſtrat
Heſperus in ſpeciem ſævus, ſi mira referre
Fata velim. Sed ſi mentem, quæ facta coronat
Omnia, non falſo penſem libramine; veræ
Laudis opus recinam; geminas quod tradere natas
Sanguineo elegit fato: ne caſta ſubirent
Pignora Tænariam cum fædo ſanguine ſortem.
At Cælum infernis natas revocavit ab umbris.
Portentum hoc epicâ tentans percurrere chordâ
Theſpias, ab veri depoſcit Matre Tonantis
Heroum robur, facileſque in carmina nervos.
Fortè Mareoticis belli ſæviſſima peſtis,
Odryſiiſque effuſa plagis gens vivere rapto
Sveta, per inſolitas, populantûm more, rapinas
Acta iterum, pleno Tarteſſia littora Martis
Turbine, & Ambraciis cœpit peſſumdare telis,
Omnia devaſtans. Non ſic pluvialibus undis
Auctus, in objectas bacchatur gurgite moles
Torrens, præcipiti raptus ſpumoſior undâ:
Ceu rapidus Getici fluctus Mavortis inundans

Florent

Florentem Heſperiæ terram. Quin igne furente,
Ac ferri rabie ſubvertit, quidquid Ibero,
Floruit, eminuitque ſolo. Quò barbarus ardor,
Atque effrenatus furor hoſtis, tela Gelonum
Porrigit; immenſos diſpergit ſtragis acervos;
Funera funeribus cumulat, Bætimque cruore
Purpurat, & vaſtas impinguat ſanguine terras
Threjicius Sciron. Quid quod ſurgentia cælo
Pergama, & auguſtas Regum Tarteſſidos ædes,
Turritáſque ſolo moles exæquat, & imis
Sedibus evertens urbes, ínque arva reducens
Oppida, non uno ſepelit pulcherrima buſto
Regna, ac infeſtis extradit cuncta favillis.
O rabies veſana Getæ! Sed cruda tyrannis
Non niſi per nocuos exercet jura furores.
Nec furor Iſmarius tantis contentus abire
Cladibus, Heſperias, Diomedis lege, catervas,
Injectis gravibus collo, manibúſque catenis,
Raptat in Aſturiam valido munimine firmam,
Naturáque loci tutam. Quò verò Gelonum
Exhibeat genium fera Thracia; cogit iniquum
Ferre jugum populos, munúſque ſubire pudendum
In Cæli, patriæque probrum. Nec ſæva libido
Imperii, duros ſolùm perferre labores
Bæticolas voluit, crudáque tyrannide preſſit;
Verùm unà Scythicis vectigal pendere ſceptris
A Tarteſſiacis mittendum jugiter oris,
Sive Tagi, Lydíque vadis, Hermíque ferendum
Æquore, & auriferis, quibus Heſperus affluit, undis.
O ſi hoc duntaxat decrêſſet ſtare tributo.
Oeagrii Martis rabies! Sed (prô pudor ingens!)
Quò non fæda libido ruit, quam nulla poteſtas,
Ac legum frenat ratio. Sed (penè referre
Calliopen laſciva piget, ſpurcæque mephitim
Cypridos in caſtos Muſarum ducere nervos)
Sed (quis non ſtupeat, rigidóque horrore gelaſcat!)

Pendere parthenium de virgine ſorte tributum
Cogitur ingenti numero Tarteſſia tellus
Fornicibus fœdis Scythiæ, Venerïſque nepoti
Mollibus ardenti flammis, ac jure pudicæ
Legi execrandis. Nec voto obſtare valebant
Heſperiæ populi, jugi formidine preſſi,
Biſtonii Martis diriſſima fata minantis:
Virgineum Thraci nisì pendant illico cenſum.
Non tot Gnoſſiaco ceſsêre in pabula tauro
Corpora, ab afflicto Marathone è jure tributi
Dictæis transmiſſa plagis: quot dote nitentes
Virginis, in Pharias (ô dedecus!) Heſperus oras
Parthenios miſit, Cythereæ munera, cenſus.
Hæc propè bis geminis penduntur turpia luſtris
Fœdera, & inceſto ſociatur Daphnis Alano.
Interea Alphonſus Legionis Rector, & unà
Caſtellæ Princeps, meliori lumine tactus
Æthere, pertæſus ſcelerati jure tributi;
In fortem exſurgit Martem; (quem Muſa referre
Fuſiùs hìc renuit) quò Bætis caſta tueri
Corpora, & inſontes ferro defendere mentes
Intrepidè valeat. Stat fœdum arcere Gelonem
Finibus Heſperiæ, pacémque reducere terris
Exulem, & optatam regnis adferre quietem.
Quare in Biſtonias ſe præcipitare catervas,
Belligero comitante globo, totámque fugare,
Funderéque Iſmariæ rabiem, bellíque trophæa
Erigere, & claro ſua ſceptra beare triumpho.
Jure coronandus tot ſertis maxime Regum es;
Quot tua Parthenias felici Marte corollas
Dextera ſervavit. Cuſtodes nempe pudoris
Gloria vera decet, clarúmque in ſæcula nomen.
Nî mea propoſiti rectè memor argumenti,
Urgeret celerare pedem, quò rectus abire
Trames, itérque jubet, meritum mea Muſa coloſſum
Virtuti tantæ ſtrueret, multíſque repleret,

Flo-

...is, inqui... virum ...ſci candida ferret
...ginea bene co...anda Monarchæ.
... Calliope differt, non mente reflexâ
... heroo quondam eruptura cothurno.
... ex Alphonſus Geticas abiiſſe phalanges,
... greſſum revocâſſe Boryſthenis oras
... fucas reputat, ſe colligit ira
... & clarams Valeria dicitur, urbem
... olim Heſperiæ ſtrictâ obſidione coronat.
Mars Odryſius laxis effuſus habenis,
...nes a... rabie, faſtúque tumenti
... atque avido perdendi quidlibet auſu,
... aggreditur ferro, Geticóque ſacrare
... ſceptro. Quare illam concutit armis,
...ue impugnat valido, ſeptúmque laborat
... Threiciis confeſſa ſubdere regnis.
... erat merito ... egis nomine, clarus
...â de ſtirpe ſatus Ramirius, heros
...s, eximio, ... gaudet robore, ſuppar
...ò Marti ... jure meretur
... Tydeus dici; quem vivida virtus
... caſtris aluit. Præſtantior omni
... eſt numero ... denique ſtrenuus armis,
..., ſed Cælo, regníque ſtudere ſaluti
... Bæticolûm, tutela, ambóque ruentis
... & æthereo devotus Marte Tonanti.
... hic Bi...onias animis majoribus iras
... verùs Capaneus. Pro mœnibus amplum
... oppoſuit pectus, retuditque Gelones.
... arva quandoque manu, denſata Getarum
... ferrato perrupit Marſpiter auſu.
...nto offenſi victuris tabore Thraces;
... in exitium fatalia fœdera pangunt
... apitis, crudóque abſumere fato
... prægrande decus, columénque laborant.
... extremum ſpectant quoque mœnia fatum,

 Rebúſ-

Rebúſque afflictis, ſpes nulla, ſalúſque videtur
Ampliùs, excidiúmque oppreſſa tuetur Iberis,
Atque ſuam Heſperiæ formidant pergama ſtragem,
Horrere Ambracidûm rabiem. Quin ara Tonanti
Sacra pavere ſuas abs Marte Gelone ruinas;
Indigenæ trepidare necem, matréſque, patréſque
Ac ætas omnis fera vincula, vulnera, cædes,
Et quidquid Phalaris valet edere, formidare.
Hinc totam reboant gemitus, planctúſque per urbem,
Mœſtities ſedet ante fores obſeſſa dolore,
Flaventéſque abſciſſa comas, vultúmque nigrante
Tecta peplo, indulget lacrymis. Prô! qualia luctus
Argumenta edit mæror. Nam triſtia cædit
Pectora, concuſſóque trahit ſuſpiria corde,
Atque ſinum rumpit, vellítque à vertice crines,
Et medias ſecat ungue genas, pallámque, ſtolámque
Diripit, ac omnes laniat crudeliter artus.
Non tantùm Andromache luxit. Non mœſta Calypſo
Attribuit tantùm lacrymis, Climenéque dolori;
Quantùm ſe queruli ſudêre per omnia luctus,
Quantúmque afflictam mœror circumdedit urbem.
Has inter res adverſas, ac triſtia ſortis
Omina, jam pariter Ramirez preſſus iniquo
Pondere fortunæ, titubat. Sed maxima luctûs
Heroi accedet moles, quâ penè labaſcit,
Quæque premit gravibus, tali rerum ordine, curis.
Fors geminas aluit generoſo ſanguine cretas
In generis columen natas, à flore juventæ
Primo vernantes, formæque decôre nitentes.
Parthenis è gemino duo lucida ſidera fulgent
Lumine; quæ obſcœnam valeant evincere Lunam.
Pulchra ſupercilii lunato flectitur arcu
Regia; quâ cuperet majeſtas figere ſedem,
Ac Charites poſthac ſtabiles firmare penates.
Portentum formæ ſtupeas. Si cætera ſpectas;
In frontis planum, quod eburno dente nitefcit.

Pul-

Pulchrius, excurrunt Veneres, gratíque lepôris
Gratia; quâ turpes vellent diſcurrere Thraces.
In labra Pœſtani deſcendit gloria floris,
Atque lîguſtra ſuo candore rubentia cingunt
Tubera, purpureis decus aſpectabile malis,
Biſtonis illicium. Sed Cælum vota refrenat
Impia, quæ infudit mater Cythereïs Alano.
Chryſoliti flavedo comas inſumit, & aurum
Vertice diſcurrit: sêu mollia retia cyrrhi;
Quæ Threſſam valeant laqueis includere Lunam,
Ac pedicas Paphio non ægre tendere pupo.
Sed quid ego dotes vultùs, florémque caducum
Prædico formarum; quem carpunt temporis ungues,
Abſumítque ævum? Flos virginitatis, honori
Parthenio laudem tribuit, virtúſque ſepulchri
Neſcia, & immunis probroſo crimine vita.
Virgineo candent animo, intemerata pudoris
Lilia; quæ nunquam decoxit flamma Diones,
Atque verecundi, quæ laus eſt pulchra, rubores
In vultu, ac totâ dominantur corporis aulâ.
Denique Partheniam quæ virtus inclyta ſortem
Addecet, in geminis ſua fert veſtigia natis.
Daphnidos in cenſum veniunt. Has vellet habere
Neſcia tædarum, ſocias Tritonia virgo.
Harum Relligio, nec non intacta pudoris
Gloria, ſollicitum tenuit, multáque peruſſit
Ramirum curâ, metuentem inceſta Erycinæ
Spicula, quæ Mavors fædi pharetratus Alani
In caſtam voluit jam jam vibrare juventam.
Hinc cùm ſe Scythiæ non poſſe diutiùs arma
Propulſare videt: Superûm depoſcere certam
Maturè depoſcit opem. Nam rebus in arctis
Propitium accedit Numen, Cælíque favores
Haud ægre accelerant, ſi ritè in vota citentur.
At quid agit Genitor? Quæ ſtat ſententia cordi?
Nè remoras mea Muſa ferat, longóque meatu

Appoſitè fortaſſe minùs, lepidéque vagetur :
Hanc capit in dubio mentem Ramirius æſtu.
Omnibus ad caſtri tutelam, hoſtíſque repulſam
Bellè diſpoſitis rebus; Jeſſeïa magnæ
Virginis, ac Matris delùbra haud longiùs urbe
Diſſita, præpropero, natis comitantibus, unáque
Armis ſtipatus, celerat contingere paſſu.
Hìc in perplexo vir fortis quærit aſylum,
Præſidiúmque ſtatu. Nam nulli durior unquam
Jeſſæa eſt Virgo, ſemper ſuccurrere prompta.
Huc ubi feſtino geminâ cum virgine greſſu
Appulit, ante ſacram ſupplex provolvitur aram,
Thaumate non uno celebrem. Quò verò faventem,
Propitiámque ſibi reddat, charæque ſalutem
Procuret natæ Ramirus, ritè ſalutat
Reginam Superûm, terræque, ac talia fatur.
Magna DEI Mater. Genus alto à ſanguine Judæ;
Cui ſe penniger ſubſternunt mille choragi
Agmina, ſtellarúmque greges famulantia longo
Ordine deponunt reverenter munia honoris.
Magna DEI Mater. Jeſſææ gloria ſtirpis,
Cui ſe ſe roſeo Titan ſubmittit amictu,
Et ſubſtrata ſacras argentea Cynthia plantas
Baſiat: iratis obſcœnam protere Lunam
Calcibus, ac nimiùm Mavorte tumentia frange
Cornua, in exitium creſcentia gentis Iberæ.
O tutum Heſperiæ ſcutum! cui Rector Olympi
Plurima poſſe dedit: quam nemo rebus in arctis
Fruſtratus voto petiit. Succurre cadenti
Heſpero, & in media populum jam morte natantem
Erue, ſanguineóque jube conſurgere fato;
Quo nos jam mergit Scythicus, tumulátque tyrannus.
Si nos præſidio caſſos dimittis, opémque
Immeritæ quamvìs patriæ deferre recuſas:
Nulla tuis ſtabit poſthac reverentia templis,
Nullus honor veniet. Niſi Thracum Luna potenti

Sub-

Subjaceat calci, Tibi dedecus, atque pudenda
Succedet Fidei labes, ſimulacráque fœdæ
Cypridos in ſacris plaudent ſceleratiùs aris.
Nè plura enumerem, quæ nôſti plena Tonante
Virgo, cunctarum bene docta, & conſcia rerum:
Hoc geminum pignus, quod miti lumine forſan
Aſpicis, intactos telis Cythereïdos artus
Impuræ extradet genti, fiétque Amathuntis
Victima in opprobrium Cæli. Nec plura miniſtrans
Officio linguæ, lacrymarum fonte perorat,
Emollire ſtudens divinam hoc flumine Matrem,
Propitiúmque ſibi, natiſque parare Tonantem
Ætheris, in votum non ægre Matris euntem.
Vix lacrymis finem fecit, cùm ſtrata repentè
Corpora tollit humo, quo, neſcio, percitus œſtro:
Ceu oculi, ac vultus ſeries, omnéſque loquuntur
Corporis heroi ſenſus. Quid denotat iſthoc?
Ut video, arcano ſurgente in pectora motu,
Magnum aliquod facinus deſignat mente; quod ipſe
Attonitus Titan ſurgénſque cadénſque ſtupeſcat.
Quippe animo penſans, geminis quæ fata ſuperſint
Idaliâ dominante ſatis; cùm Biſtonis ardor
Irruet in patrios, expugnatâ urbe, penates:
Conſilium reperit vix ullo imitabile ſæclo.
Hoc ſe ſe Genitor juſtâ formidine tandem
Exuet, ac tuto natarum lilia portu
Figens, Oeagriæ ſua pignora ſubtrahet Hydræ.
At quid Ramirez arcanâ mente volutat?
Quem verſat conſum? Quem nulla probaverit ætas?
Deſtinat ad ſacras Jeſſææ Virginis aras
Cædere Partheniam ſobolem, niveúmque pudorem
Sanguineo miſtum cocco ſacrare Parenti
Virgini, & inceſtum fato prævertere fatum.
Nec celare lubet conceptum pectore conſum
Ignaras rerum natas. Jam cernet apricum
Pectoris arcanum. Quippe ipſo fortior heros

Auſo-

Auſoniæ Fabio, Grajóque Ajace, dolores,
Atque metus animi ſubſtringens, talia, fatur.
Chara mihi ſoboles, Diuæque accepta Parenti
Pignora, non veſtram patriæ diſcrimina mentem,
Ut reor, effugiunt. Nullum mens cæca futuri
Ducit, quæ noſtram ſortis rotet orbita ſortem:
Quóve loco res ſint urbis per Biſtonis arma,
Omnibus eſt patulum. Mihi certum quærere funus
Inter ſanguineas, miſsâ formidine, ſtrages
Eſt animus, fixúmque ſedet jam mortis adire
Tramitem, in æthereas ducentem protinus oras.
Non damus Ambraciis libertæ jura cataſtis.
Jam fugit à nobis Daphnis, palmæque recedit
Gloria, & in Geticas prona eſt victoria partes.
Sed quid de veſtro fera Biſtonis arma pudore
Inceſto ſtatuunt animo? Quam Parthenis ævum
Expectare queat ſortem, vel ſcire poteſtis,
Si linguam Harpocrati ſacrem, jubeámque ſilere,
Si vitam abjectâ lubitum eſt ſervare pudoris
Gloria, & Idalio producere tempora quæſtu:
Non ævum, at ſtygiis æterna parabitis oris
Funera; quæ Paphios juſtè comitantur amores.
Ergóne vos olidæ (prô dedecus!) orbe ſaburræ
Vulgari cupitis? Quid dicent ſacra Tonanti
Jura pudicitiæ? Quid Iberia? Quídve paterno
Agnati generi? Vah crimen! Præſtat acerbo
Funere in æthereas confeſtim tendere ſedes;
Quàm fœdè abjectam Phlegethonti tradere vitam.
Quare, ſi morem geritis, veſtróque pudori
Conſultum vultis: caſtiſſima colla paterno
Nudare haud pigeat ferro; quod damna Diones
Uno prævertet, fatis melioribus, ictu.
Sic metus abſolvet Patrem, curíſque ſolutum
Reddet, & æternis præmittet mucro viretis,
Partheniúmque dabit ſecuro littore florem.
Vos patriæ in ſtirpis laudem, famámque cadetis
Vi-

Victima, ego Geticis ſuccumbam infamiùs armis.
Hæc Pater. At natæ nullo formidinis actæ
Turbine, mortalem pro lauro virgine vitam,
Atque immortali promptæ deponere ſerto,
Liliáque æthereis mox implantare viretis,
Traderéque exoptant. Odio ſunt caſtra Erycinæ.
Utraque decernit modico præferre, levíque
Ætatis ſpatio pretioſam Virginis arrham,
Atque nivem intactam niveæ ſacrare Parenti.
Hoc animo, ante ſacram Jeſſææ Virginis aram
Prociduæ, vitam ſacrant, florémque pudoris.
An non Romulidûm nuribus, Grajúmque Lacœnis
Partheniâ ſunt forte pares? Quin longiùs illas
Robore virtutis præeunt, multóque relinquunt
Poſt ſe intervallo. Cedat jam fabula vatum,
Latoíſque inſigne decus, fictíque colores
Virginum, ad infamem damnandi Cypridos ædem.
Nec mora: denudant animato lacte natantem,
Certantémque nivi cervicem, ſtante rigorem
Ferri excepturæ vultu, nullúmque daturæ,
Si veniat Phalaris, formidinis argumentum.
Dum videt immotos, cêu rupem, Parthenis artus
Magnanimus Genitor: fatalem corripit enſem,
Delibraturus mucrone horrente machæram
In tenerum natæ collum. Jam dextra citato
Robore, ab innocua corpus cervice reſolvit.
Non ſic extremo virgo Pelopeïa fato,
Atque Agamemnoniæ permaxima gloria terræ
Subjecit ferro jugulum: cêu maſcula clari
Pignora Ramiri, gladii excepêre rigorem,
Virgineo patrium tingentes murice ferrum.
Ac ſic depoſitis, natarum funere, curis,
Certúſque æternum per vicos ætheris Agnum
Concentu, plauſúque ſequi: fata ipſe requirit,
Vúltque ſuos manes natarum manibus addi.
Quare continuò celeri pede tecta reviſens

Pa-

Patria, & ardenti Mavortis concitus æſtu;
Quos reliquos habuit de belli ſorte manipIos
Colligit, & ſociis Martem comitantibus iris
Mœnibus erumpit. Stat claram ponere vitam,
Atque animæ per mille neces, & vulnera poſtes
Pandere, & æthereis ſe ſe illico ſiſtere regnis.
Non ſecùs ac trifidæ librati fulminis alæ
Qua ſe cunque ferunt, clades, ſtragéſque, necéſque
Innumeras faciunt: Sic vitæ prodigus heros
Fulminat Iſmarias infractis viribus iras,
Cœdibus accumulans cœdes. Prô quanta Gradivi
Gloria Ramirez! Jam nemo reſiſtere tantis
Viribus, ac animo par eſt. Nam percitus œſtro
Martis, perſequitur Thraces; fugientia ferro
Terga ſecat, rumpítque acies, ſtantéſque trucidat,
Atque reluctantûm jugulos mucrone reſolvit,
Pugnantúmque globos nullo diſcrimine cædit
Militis, atque Ducis, telúmque in viſcera mittit,
Adverſáſque haurit per vulnera mille phalangas.
Has ubi conſpiciunt ſtrages, quos ardua montis
Culmina tutantur: ſtupefacti Martis Iberi
Impavido, temeróque auſu per caſtra ruentis,
Vix ſe ſe capiunt hoſtes. Mens omnibus una eſt,
Acceſſiſſe aliis ſocialia fœdera terris
Heſpero in auxilium. Quare perculſa Gelonum
Pectora, nec tantum perferre valentia robur,
In trepidum migrare metum; ſpectare latebras,
Atque opportunum dubiis in rebus aſylum.
Hinc dare terga fugæ Scytha (nam formido ſalutem
A pedibus plerumque petit) veſtigia retrò
Flectere, & Oeagrios jam ſuſpirare penates.
Dum turbata videt per celſos agmina colles
Præcipitante rapi curſu Ramirius heros,
Majores ſumens animos, decernit in hoſtis
Ire, volare globos. Nam mittunt ſidera vires.
Ergo moras rumpens, Getuli more Leonis,

Odry-

Odryſios ſequitur cervos, omnéſque furoris
Exerit in Thracem nervos, armiſque Gelonum
Perrumpit cuneos. Jam denſat funera ferri
Impete, & immenſas per colles, pérque viarum
Planitiem ſtrages edit, truncóſque relinquit
Jugere camporum. Tum calcat, proterit hoſtis
Plùs nimio tumidam rabiem, mortéſque per arva
Differit, Iſmariúmque domat, frangítque furorem,
Omniáque intrepidi perſolvit munia Martis.
Has animo Cælum vires, bellíque vigorem
Suffecit melior Bellona MARIA, clientis,
Chriſtiadúmque unum columen. Ramirus ad aram
Magnanimum accepit robur, nervóſque Gradivi,
Ad profligandos de Bætis littore Turcos.
Ac ſic proſtratus, debellatúſque Getarum
Marſpiter, & patriis pulſus cervicibus hoſtis,
Intrepido laudem heroi, vaſtæque theatrum
Gloriæ, & augendam non uno nomine famam,
Ramiro, ac claris in luſtra relinquit Iberis.
Interea palmam tantis conatibus emptam,
Fama per Heſperias feſtis rumoribus oras
Undique diſpergit. Vicos ac mœnia complet
Plauſibus, & veri decantat nomina Martis,
In patriæ natum columen, rerúmque ſalutem
Ramirum. Trepidam vix nuntia contigit urbem
Fama, ac victricem narravit garrula laurum:
Gaudia, depulsâ mœroris nube, ſerenant
Pectora Bæticolûm. Lætas ad ſidera voces
Indigenæ tollunt, geſtúque tripudia produnt.
Aſſumunt hilares vultus, riſúſque, jocóſque
Urbe ferunt, triſtéſque jubent è corde pavores
Cedere, & Odryſiis ſua quærere ſceptra theatris.
Non ità placatis nimboſæ Tethydos undis,
Cùm Boreas, Eurúſque tacent, ac Cynthius orbem
Aſpicit, oppreſſúſque dies à nocte reſurgit
Clarior, & toto ſunt Alcedonia ponto:

X Non

Non ità læta ratis, remíſque addicta juventus
Exilit, ac plenis, exultans, cærula velis
Sulcat, & optatum ſubit inter jubila portum :
Cêu poſt tot fluctus, tempeſtatéſque Gradivi,
Ac tumidos Scythiæ Cauros, & fulmina Martis
Boſphorico vibrata polo, ſuperata, triumphat
Heſperus in pacis portu. Dum plaudit Iberus
Biſtone devicto, totúſque in gaudia migrat :
Interea læṭam reditum molitur ad urbem
Ramirus dives ſpoliis, quas jure trophæi
In pretium armorum retulit, populatus opimas
Lunigerûm exuvias. His gaudet martia pubes.
Ut verò ad pacem, libertatémque reducta
Mœnia ſuccedit : reſonant clangore tubarum
Compita, mugitúmqne edunt non triſtè ſonorum
Terga boum ; at lætos edunt, reboántque triumphos ;
Quos Mars Heſperiæ Superûm virtute reportat.
Jam Patres, Matréſque ruunt Tarteſſidos amplis
Ædibus, amplexúmque parant, ac baſia regni
Vindici, & inſolitas effundunt pectore voces
Lætitiæ teſtes. Urbs tota in feſta reſurgit
Jubila, victori multam latura ſalutem.
Nec cohibere ſuam valet imo corde voluptam
Parthenis ; at caſto ſuffundens ora rubore,
Prorumpit patriis laribus ſua gaudia teſtans.
Hæc pulchras fundit grates victricibus armis,
Iſmariíſque exempta jugis intacta pudoris
Lilia lætatur, pulchróque veretur honore
Heſperiæ Mavortem, aſſertorémque ſalutis.
Iſta triumphales palmarum ſpargit honores.
Hæc tempeſtatem florum, faſcéſque roſarum
Differit ante pedes. Iſthæc fragrantia odore
Lilia, & illa thymos, ac calthas. Munera Floræ
Omnes effundunt calathis, Martémque ſalutant
Parthenio cantu, cêu vox, animúſque miniſtrat.

Tota

Tota equidem facies urbis jam pace ſerena,
Heroi tanto victricia ſigna, ſibíque
Otia gratatur; ſed mæror pectus inundat
Ramiri, & tacitis inconſolabile vulnus
Bacchatur fibris. Hoc triſtis nubila frontis,
Atque oris dejectus honos, ac ægra loquuntur
Lumina, & exanguis pallor, maciéſque profatur.
Sic humana meant. Succedunt triſtia lætis.
Gaudium in attonitos migrat, rapitúrque dolores.
Excipiunt riſum lacrymæ, ſtantéſque favores
In ſubitos recidunt facili vertigine caſus,
Omniáque alternis veniunt obnoxia fatis.
Nil equidem ad ſublime decus, celsíque theatrum
Nominis, è Martis ſtudio, armorúmque labore
Defuit in plauſus: niſi quod perſæpe cruentum
Funus natarum, memori ſe mente revolvat,
Innocuæque neces redimendæ mille paternis
Mortibus occurſent animo. Ni fata vetarent,
Non jam pro natis lacrymas, ſed ſanguinis imbres
Fundere, & heroam Ramirus ponere vitam
Vellet, & innumero confeſtim occumbere letho.
Sed tandem haud patiens retineri corde doloris
Pondus, in apricum ſe ferre, ac lugubre murmur
Edere, & abruptis inter ſuſpiria multa
Vocibus, ac lacrymis undans, plangénſque, cruentum
Explicat in ſobolem facinus. Prô! mira relatu,
Quæ perculſa nequit narrare timore Camæna.
Vix rerum ſeriem, quam conſignaverat alto
Sanguine natarum retulit: cùm terror in omnem
Diffuſus turbam, Patres, Matréſque pavore
Obruit, ac horror ſuſpenſa ſilentia linguis
Imperat, attonitóſque tenet ſera mortis imago.
Nemo ſic unquam ſtygiis exterritus umbris,
In rigidos abiit glaciato corde timores,
Atque rigere comas ſenſit, frigúſque per artus

Serpere: ceu præſens civis, Martíſque corona
Horrifico percuſſa metu, crudele Parentis
Accepit factum. Nulli non flenda videntur
Funera, quæ lacrymas non uno jure merentur,
Ac ſic lætitiæ ſegetem ſibi mæror acerbus
Demetit, & luctûs ſementem diſſerit imo
Pectore Bæticolûm, palmas, totámque triumphi
Materiem, in triſtes cogens migrare Cupreſſos.
Dum gemitus ducit Ramirez; adgemit unà
Tarteſſi populus. Cùm raucis queſtubus ille
Omnia confundit; reſponſat turba querelis
Triſtibus, ac lacrymas lacrymanti reddit, & omnes
Sepoſitis fucis imitatur mæſta dolores.
At dum nec planctus, nec fuſi lumine rivi
Quicquam proficiunt, nec vitæ munera reddunt:
Cùm nunquam Parcæ ſua retrò fila revolvant
Ordine naturæ; ſed nec mollire precatus,
Ac lacrymæ valeant nunquam exorabile fatum:
Ad ſacras celerat Jeſſææ Virginis ædes
Et Pater, & civis. Properat quoque Martis alumnus,
Sive ut commeritis celebraret laudibus, hoſtis
Profligatricem, regnique, urbíſque patronam:
Sive ut virgineis extremos ſolvat honores
Artubus, & ſacrâ funus venerabile terrâ
Contumulet, pulchróque ornet pro more ſepulchro.
Primus ad auguſtæ ſe pulvinaria Divæ
Præcipitante gradu Ramirus corripit, atros,
Ac detruncatos viſurus corporis artus
Virgineæ ſobolis, nec non funebria natis
Juſta ſoluturus, ceu patrius exigit ordo,
Ac ratio tantæ ſtirpis. Vix limina templi
Contigit afflictus Genitor, portenta! quid iſthoc
Prodigij objicitur Patri? Num phaſma pererrat
Lumina? Quid rerum cernit? Rediviva tuetur
Pignora, lunatis ad magnæ Virginis aram

Red-

Reddita poplitibus. Prô! quæ magnalia ſe ſe
Objiciunt oculis? Eſt toto corpore firma,
Sanguinéque haud ullo manans, vel tabe propago.
Quid quod demeſſum ferro, compage recenti
Annexum jugulo caput eſt. Sunt vivida natis
Pectora, & æthereæ jam rurſum reddita luci.
Attonitum primò tenuit res plena ſtupore.
Unde oculis præſtare fidem, veróque recuſat,
Ambiguis pendens animis, terrórque medullas
Occupat, & Patrem mirâ formidine complet.
Quippe ſtygis reputat larvas, aut corporis umbras
Elyſiis rediiſſe plagis, ac velle referre
Neſcio quæ patrio, poſt barbara funera, ferro.
At cùm tota cohors natas vitalibus auris
Veſci, ac in noſtrum revocatas comprobat ævum,
Nullóſque hic Erebi ludos, aut phaſma notari
Aſſerit: in veri ſpecimen præſentia Patris
Fit propior, certíque fidem miracula pandunt.
Jam verè uſurâ lucis chariſſima paſci
Pignora non uno Pater accipit argumento.
Nam ſoboles illum affari, dulcíque vocare
Nomine, & haud dubiam verbis, geſtúque probare
Vitali vitam. De quo nè fluctuet æſtu
Ancipiti Genitor: ſe ſe provivere magnæ
Auxilio Matris, non uno ſatque ſupérque
Indice demonſtrant. Quò verò clarior orbi
Prodigii fama excurrat; candentia Patri
Colla videnda ferunt roſeo circumdata circo,
Purpureóque notata typo, veſtigia ferri,
Atque cicatricis, nullo delenda labore
Temporis ex animis hominum. Jam thauma MARIÆ
Dextrâ patratum claro ſe ſe indice prodit.
Hæc ubi Ramirus præſenti lumine cernit:
Primus in eximias geminâ cum virgine laudes
Excurrit miræ Matris; præconia fundit

Plurima, & auctricem vitæ, tantíque ſalutat
Prodigii fontem. Nec ſolùm voce veretur
Jeſſæas vires, at ſacris accidit aris,
Temporáque inclinat plantis, ac mille propinat
Baſia, & in varios gratanti munere plauſus
Surgit, & affectus promit; quos nulla referre
Muſa ſatìs valeat, Phœbi licèt ebria ſucco.
Vive triumphatrix mortis, vitæque reductrix,
Cælicolûm, terræque decus, rerúmque levamen,
Vera DEI Genitrix, teneris allabere votis :
Nè mea in æternam claudantur lumina noctem.
Nemo unquam periit, quem Mater cælica fovit.

ABNERIS Belli Ducis fidelitas.

2. Reg: 2. & 3.

ABner militiæ Princeps, iniquè attollit in ſolium Isboſethum; cujus in obſequium jurant undecim tribus Iſraëlis, ſolâ Judæ tribu, ſed longè fortiſſimâ, Davidem ſequente. Hinc itaque Isboſethus jure hæreditario ſe Regem ferre: indè David ſibi Saulis ſucceſſionem divinâ electione collatam, vendicare. Tenuit controverſia, ſeu bellum potiùs annos ſeptem cum dimidio, Abnere partes Isboſethi ſtrenuè tuente. Bello finem impoſuit diſſidium inter eos exortum, quod omnium Iſraëlis agminum defectionem permovit ad Davidem. Abner deſciſcens ab Isboſetho, fœdus amicitiæ cum Davide paciſcitur, eíque regnum legitimo jure ex aſſe defert. Cui viciſſim ampliſſima pollicetur munera æquiſſimus Princeps. Uſſit id Joabum, alterius incrementa, ſui honoris decrementa interpretantem. Igitur metu actus, nè ſe in ordinem redacto, Abner militiæ Davidicæ imperium obtineret; fraude in conſilium adhi-

bitâ, ſicam in Abneris nihil minùs opinantis ilia demergit, ſimúlque vulnus graviſſimum animo Davidis infligit. Hic ut ſuſpicionem criminis à ſe amoliretur; funus amici capitis, largo fletu cum primoribus, ac populo proſequitur, eíque epicedio, & ſupremis honoribus parentat.

Officium fidei gratâ mercede repenſum,
Vel poſt fata, throni lacrymis, pullóque Monarchæ
Schemate, non fuco fraudis, Grajóque colore
Illito, at immuni technis, veróque doloris
Munere, Calliope recinet. Jeſſeïus heros
Moribus antiquis, nec non virtute politus,
In veri argumenta cadit; qui pendere gratum
Abneris fidei decrevit jure tributum.
Teſtatum id faciunt effuſi lumine rivi;
Quos dedit Abneris celerato à funere David.
Hos liquidis ut noſtra canat Pimpleïa metris:
Non in Pegaſeas ſatagit ſe mergere lymphas;
Verùm ab Jeſſiadis lacrymarum fonte rigari
Flagitat; ut fluido decurrant carmina labro.
Poſtquam Ciſiades clari Chananæis abortus
Nominis, atque probrum regni, provivere vitam
Longiùs, æthereâ, cêu par eſt, lege vetatur:
Decreto Superûm, viduata capeſſere ſceptra,
Cùm virtute gravis, tum claro Martis honore
Inclytus Iſacides, populo applaudente, jubetur.
Thariadûm Flamen gratos virtutis honores
Unguine balſamino tingit, Regúmque decoro
Schemate Jeſſiacos decorat ſolenniter artus.
Magnanimum Tyrio circumdat corpus amictu:
Non ut tingatur dibapho, fœdóque cruore
Abramidûm regni coccus; ſed fundere plebis

San-

Sanguinem, ab Oebalio Princeps exhorreat oſtro,
Funeris in gentes parcus. Diadema coruſcum
Tempeſtate Tagi, radiánſque nitore metalli
Imponit capiti Myſtes; quod Principis ornet
Tempora, quódque oneret Regem, non ſubdita regni
Jura gravet, lacrymáſque oculis, gemitúſque gravando
Exprimat; at frontis ſub honora protegat umbra
Saraidûm ſtirpem. Dextræ præſentat eburnum
Myſta decus, Judæ regimen, quo dirigat Hebrum;
Non per fulmineos verſet fera ſceptra furores:
Néve metu ſolo ſubjectas terreat oras.
Auguſtâ meritus Chananæos ſede levatur
Jeſsîdes: quo jura ſuis, legéſque Monarcha
Præſcribat pòpulis; quæ poſſint ferre parati
Obſequio faciles verpi, juríque ſubeſſe
Principis, abſque metu, ſæváque rigoris habenâ.
Et verò quali ſub Principe vivere geſtit
Tharais; in talem regni derivat honores.
Quippe decus veri Jeſſeïa corda Regentis
Occupat, atque regit. Toto clementia vultu
Emicat: in ciliis Charites, & fronte vagantur:
Ex oculis proſpectat amor, loquitúrque benignum
Principem, & imperium ſpondet duntaxat amoris.
Nullos irarum fluctus, æſtúſque furoris
Corde fovet Rex ipſe ſui. Cuî ſemper honeſti
Prælucet lumen, nunquam per devia legum
Fertur: vel ſequitur, quod ſola lubentia poſcit;
Sed quæ jura ſinunt, ac æqui flagitat ordo.
Non terret populos, nec vult abs plebe timeri;
Qui cupit eſſe metu liber, ſortémque Procuſtis
Effugit in caſum proni. Non cruda Neronis
Imperia, in longam unquam provixêre ſenectam.
Solus amor populi, virtúſque in ſæcula ducit.
Hoc callens ſcitè David, civémque, Patrémque
Induit, ac ſolas leges præſcribit amoris.
Quare arcet ſolio Diras, ac ſæva pavoris

Fulmina, ſuppliciique minas, pœnæque rigores ;
Quæ nil proficiunt, ſed mores gentis acerbant.
Plùs valet affectus Regum, quàm frena timoris.
Sic duxit faciles Princeps quò jure licebat
Saraidûm populos, ad fortia quæque paratos,
Atque authoratum tuituros ſanguine Regem.
Ut verò affectûs ſpecimen, quo chara ſequuntur
Sceptra, palàm faciant : variis ſua gaudia ludis
Teſtari cupiunt, meritóque verentur honore
Judææ ſolium, ùt par eſt, & talibus omnes
Plauſibus indulgent. Primùm feſtiva Gradivi
Claſſica rure canunt, Martémque accendere cantù
Approperant, bellum vaſtis umbratile campis
Illico ducturi. Vix Martis buccina clangit,
Armiſoni ſe ferre globi, pulchróſque Gradivi
Exercere è lege choros ; quos Marſpiter ipſe
Flagitet Odryſiis lætus ſpectare palæſtris.
Æreus umbo gravem ſonitum percuſſus aheno
Orbe edit, crebróque, alliſu parma reſultans,
Aërias grato modulamine verberat oras,
Jeſsidíque facit plauſus. Nec ferrea dextræ
Fulmina jucundo certantûm munere deſunt.
Ac primùm turmæ ferro ſibi ficta minantur
Funera, & in certas fulgenti cuſpide metas
Se dextris, oculíſque ferunt, ac eminùs ardent
Se petere, & pulchram Martis proponere ſcenam.
Jam verò in rigidos bellator cominùs enſes
Irruit, æratúmque iterum, ac iterum inſilit orbem,
Atque haud ingratum gladiis reſonantibus edit
Murmur ; quod Geticis non raró perſonat arvis,
Applaudente choro Martis, bellíque theatro.
Jam ſequitur miles ſimulato terga furore,
Quò fuga ficta citat. Jam vertitur alea belli,
Ac frontem obvertunt hoſti fugitiva Gradivi
Agmina, & obſiſtunt cunei, nova prælia ferro
Miſcentes variè, ſpectacula grata daturi.

Jam

Jam ſe ſe in lunam flectunt, jámque explicat alas
Poſterior miles. Genibus jam pugna recurvis
Fervet, jámque ſolo repunt, ſerpúntque catervæ.
Nunc ſurgunt, veteríque pedem ſtatione phalanges
Firmant. Jámque iterum pleno ruit agmine telis
Inſtructus Mavors. Nunc dextera concidit ala,
Aſſurgítque iterum victricia ſigna repellens.
Jámque iterum ſe ſe Mavortis in ordine ſiſtunt,
Et proni galeis, armíſque, animíſque ſalutant
Principem, & Abramidum columen, Regémque verentur.
Atque ſub hac ſeſta Mavortis imagine, jurant,
Obſtringúntque fidem ſolio, vitámque recenti
Imperio, ac totum ſacrant de lege cruorem
Auguſto Iſacidúm ſceptro. Hoc umbratile bellum
Perbrevì in horrendam belli tranſibit arenam.
Et verò ſe jam feralis temporis ordo
Funeſtè evolvit; qui veri Martis alumnos
Siſtet in Iſaciis ad prælia ſæva theatris.
Quippe ubi Jeſsídes reputat ſe pacis amicæ
Munere donatum, ac Hebri moderatur habenas,
Juráque dat populis, legéſque miniſtrat amoris:
Interea Isboſeth, profuſa Saüle propago,
Thariadûm aſſumit faſces, regníque triumphat
Eſſedo, & imperio Chananæis præſidet oris.
At quis jura dedit ſceptri? Fortiſſimus Abner,
Hebræúmque decus; cuì primos Martis honores
Obtulit armorum jam luſtris pluribus uſus.
Hic quò firmaret regali munere natum
Saulis, & in ſolii præcelſum pegma levaret
Haud meritum ornamenta throni: per caſtra Gradivi
Cêu ſucceſſorem patrii deducere ſceptri,
Summúmque Iſacii populi authorare Monarcham.
Ejus in obſequium cogit mavortius heros
Undenas jurare tribus, vitámque, fidémque
Tradere, & officium ſubjecti ritè probare.
Unica duntaxat, ſed longè fortior Hebri,

Ju-

Judæǽque tribus, Davidis ſigna fideli
Munere ſectatur. Prô quæ alternatio regni!
Atque ità jam geminus Chananitis ſceptra capeſſit
Princeps, diviſáſque throni moderatus habenas,
Impatiens conſortis agit, rivalia multo
Tempore jura fovens. Et quanquam ſæva tyrannis
Inſumat totum Isboſeth, populóque timendum
Tigridis imperium reddat, ſceptróque minacem
Horreat Iſacidum plebes: tamen eſſe ferendum
Præſens depoſcit ratio, pœnæǽque timores.
Abramides equidem mallent de lege ſubeſſe
Jeſſiadi; quem blanda ſinu clementia nutrit:
Nè tamen Abneri, quem ſumma potentía Martis
Occupat, inviſum quidquam ſubjecta Gradivo
Agmina decernant: trabeatum ferre leonem,
Mavortis, civíſque globus, Regémque vereri
Immeritum ſtatuunt, ſolióque ſubeſſe peroſo.
Interea Odryſiis accedit Marſpiter oris,
Regnum Thariacis poſthac culturus areais.
Sanguineo alipedes Martis Bellona flagello
Ocyùs impellit, metam viſura cruenta
Sarais actutum. Mavortis prævius axem
Impetus haud patiens freni, nulláque morarum
Siſtendus remorâ præcedit, & omnia latè
Perrumpit rabie comite, ac furialibus iris.
Ponè latus premit ancipiti diſcordia ferro
Armata, in bellum flagrans, ſitiénſque cruoris.
Hanc furor effrenis ſequitur, dentéſque cruentùm
Exerit, & vultu rabidas exſpirat Erinnes,
Atque iras oculis loquitur, volvítque per ora
Murmur, & in Martem ſævos exporrigit ungues,
Ardens in metam belli. Lymphata furoris
Munera conſequitur variarum turba minarum,
Inſidiæ, & gelidi vultu pallente timores,
Ac quidquid ſacrum bellis, & ſanguine gaudens
Syrmate Biſtonio trahit in feralia Mavors

Fune-

Funera, ſanguineas ambit, ſequitúrque curules.
Tandem lanificis ſtipata ſororibus, alto
Quadrupede inſequitur triſtis Libitina, Gradivî
Indubitata comes, falcem per inane reverſans;
Quâ metat innumeros Mavortis rure maniplos.
Poſtquàm belligero Chananæis littora curru
Attigit Odryſium numen: diſſevit in agros,
Atque animos belli ſemen, Cadmeîa daturum
Prælia, & Iſacides in mutua bella, necéſque
Illico miſſurum. Nec Martis vota morantur
Abramiæ gentes; quæ ſe ſe jugere campi
Sæpius exercent armis, ac Regis amore
Implent Saraicas permulto ſanguine terras.
Nec recutita volet gens cœptum ponere bellum;
Dum geminum hebræas jus altum diriget oras.
Non bene conveniunt uno, niſì monſtra requiras,
Corpore, bis gemini capitis regnantis honores.
Nec patitur cælum binos Hyperionis orbes
Æthereis volvi campis; quin ſidera motum,
Ac murmur cieant, ignara quod æthere princeps
Agnoſcant lumen, quem fontem lucis adorent.
Et poterit punctum terræ, per bina Regentûm
Munera, in optatæ pacis ſtatione perennes
Ferre dies, altâque frui, ac gaudere quiete?
Non poterit. Nullus dabitur, quocunque labore,
Ac operâ ſudet, concordes jungere dextras
Qui Regum valeat, pacíſque in vincula cogat.
Cùm flammis citiùs ſocialia jura tenebunt
Fluminei latices: cum vita fœdera junget
Ordo fatorum: cum ſævis Pontus inibit
Pacta, fidémque Notis: geminas quàm flectat habenas
Unius Imperii, concordi munere, duplex
Principis affectus. De quo nè fortè quis unquam
Ambigat: Iſacidûm diviſæ ſátque ſupérque
Oſtendunt mundo partes; quas mutua ſemper
Bella in ſanguineas utrinque dedêre ruinas.

Ac ſic ſeptenis (pro gentis dedecus!) annis
In ſua fata ruunt. Juges accendit Enyo
Mavortis flammas, ardéntque haurire cruoris
Flumina: nec ſtrictos utriuſque cruore mucrones
Ira explere poteſt, quin plura, ac plura requirant
Funera, & in nihilum propè totus tranſeat Hebrus.
Sed tandem bellorum author, qui prima Gradivi
Semina diflevit, bellum exitiale removit
Thariadûm regnis, Martémque recedere juſſit
Abner, & Odryſiis ſua jura repoſcere terris.
Jam pulſi cauſam tentat percurrere belli
Calliope, atque anſam fidei depromere verſu.
Forſitan Isboſeth, populis, oſtróque tumeſcens,
Plúſque æquo dominans aliis, non ipſe ſibi Rex,
Intempeſtivis, veſanâ percitus irâ,
Objurgat dictis Abnerem, acríque cavillo
Obruit, & linguæ ſale perfricat acta Gradivi,
Criminâque obtrudit. Quid ad hæc regni inclytus Ajax?
Sæviùs heroam feriunt opprobria mentem.
Hinc dolor immenſus mavortia corda ſubire
Protinus, ac ſtomachum non uno jure movere;
Quin etiam in meritas irarum accendere flammas
Magnanimum Abnerem. Nec pectore ſubſtitit iræ
Ferveſcens æſtus; ſed deforis ardor in ore
Emicat, & meritas ſannis ſtat reddere ſannas.
Quare animo ardeſcens ad Regem talia fari.
Húcne ſeges meriti cadit ingratiſſime Regum?
Huc benefacta ruunt? Hæc noſtris gratia geſtis
Redditur? Huc recidunt tantarum munera rerum?
Umbroſâ citiùs carituras fronde putâſſem
Arboreas nemorum ſedes, quàm oblivio poſſit
Mentis adire ædes meritorum; quæ tibi fido
Deditus officio Mavors hucuſque profudit.
Anne tibi penſi non ſit: te ſumma tenere
Imperia Iſacidûm noſtro delata labore?
Undenis tribubus te leges ſcribere, noſtris
Nemo negare valet ſudoribus eſſe ferendum. Et

Et tamen accepti jam muneris immemor (ô te
Plùs nimio ingratum!) Lethæas mergis in undas
Omnia, & authorem tanti aſpernaris honoris.
Nunquam Thariacos verſaret dextera faſces;
Ni virtute meâ, regni ornamenta ſederent
Haud gratis manibus. Sed non ſic crimen abibit
Ingratæ mentis. Meliori ſceptra Dynaſtæ,
Atque fidem Martis tradendam, jure probando,
Deſtino; qui meritas reddet pro munere grates,
Atque volet juſtum virtuti ferre minerval.
Dixit. At Isboſeth propriâ ſe lege gubernans,
Abneris ridere minas, nihilíque cavillos
Pendere, ſuſpenſóque virum aſpernarier ore.
Hìc ſe deſpectum nova per ludibria cernens
Abner tot meritis clarus, conſurgit in iras
Majores. Quare decretum mentis in actum
Ducere conſtituit, regnúmque extradere Saulis
Judææ capiti; cui jura vel ipſa faverent
Cælitûm, & auguſtum deſignavêre theatrum
Principis, ac meritos populus decrevit honores.
Nec fore difficiles undenas gentis Hebrææ
In ſua vota tribus, ſi vellet, nôrat abundè
Marſpiter; à cujus nutu dependet Idume,
Armáque ſupremi venerantur juſſa ſtrategi
Unicè, in omnigenam deſcendere prompta ſequelam.
Nec mora: ſpectatæ fidei delegat ad aulam
Nuntia Jeſſidis; quæ regni jura merenti
Illico deferrent Domino, pacíſque rogarent
Fœdera ab Iſacidûm ſolio, fideíque probarent
Munia, non uno, cêu congruit, argumento.
Hæc ubi Jeſlæo Vati, Judæque Monarchæ
Præproperi retulêre viri: pro more, benigno
Accipere affectu David; ſocialia lætus
Fœdera cum obſtricta ſibi dudum pangere gente
Ac ſibi legitimo delatum jure tribunal
Principis, undenáſque tribus, Hebríque regendas

Acce-

Acceptat faſces. Nam decernente ſciebat
Æthere, Jeſſiacum ſibi jure accedere ſceptrum.
Interea Abnerus mentis ſancita daturus
Marte, ac arte potens fandi, terrórque, timórque
Omnium, & officio ſibi dedita gentis Hebrææ
Pectora non dubitans, Summates ſtirpis Idumes
Talibus affatur dictis. Illuſtria regni
Thariaci decora, ac juſti, rectíque tenaces
Abramii generis Patres, ac gloria Judæ.
Non equidem vos clara latent oracula veri
Numinis, electæ non raro prodita genti;
Quêis jubet, Iſacias unus moderetur habenas,
Atque Palæſtinæ ditiones dirigat unus.
Ac hunc non uno Chananæis tradidit oris
Indice, per noſtri Samuelis thaumata Vatis;
Qui nuper ſacro Jeſſæum David inunxit
Unguine, & auguſtâ, Superis mandantibus, arâ
Impoſuit columen regni. Non effugit ullum
Veſtrûm, quod robur David ſuſceperit alto:
Quando prægrandem Phlegræâ è ſtirpe gigantem
Abjecit terris contortæ verbere fundæ,
Electúmque genus probris, ac funere ſolvit.
Hic ſatiùs veſtras poterit tutarier oras
Viribus inſtructus Divûm; quàm Martis abortus,
Ac generis noſtri labes. Quis, amabò, peroſum
Ignorat Superis? Quis neſcit Ditis alumnum,
Tiſiphonéſque ſatum? Nè multis: peſtis Hebrææ
Isboſeth gentis regnat, populíque Lycaon
Efferus, in noſtram diſponit ſceptra ruinam.
Quem Cæli ſtatuunt Chananæis ſcribere leges
Gentibus; huîc faſces regnorum deferat Hebrus:
Nè favor aſtrorum Pharias ſe vertat ad oras;
Quæ noſtræ ſtirpis famam, ſortémque laborant
Sternere, & Arſaciis Judam transmittere ſceptris.
Quare agite, & veſtris, dum aſpirant ſidera, rebus
Proſpicite Iſacides: quò tanti gloria creſcat

No-

Nominis, ac decimo ſtet Hebræûm fama nepoti.
Vix ea fatus erat, rationis momine victi
Thariadûm Patres, manibus, pedibúſque ſequuntur
Abneris conſum. Jam mens eſt omnibus una:
Abjecto Isboleth, Jeſsîdi ſigna parare
Principis, ac fidei ſe obſtringere ſacramento.
Dum videt in proprium Jordanis lumina conſum
Ire citra dubii mentem, regníque tiaram
In merita Hebræi decoris ſe tempora ferre:
Illico bis denos, de Martis flore, Patrúmque
Sorte viros Abner ſibi jungit, certus adire
Jeſsîdis ſolium, regni oblaturus honorem,
Undenáſque tribus. Jam notam tendit ad aulam.
Perge bonis avibus, fidei comitatus amore.
Si fueris Pylades, veniet tibi David Oreſtes:
Aut Niſum Euryalo junget, fideíque minerval
Reddet, & officiis obſtringet Caſtora Pollux.
Ut verò Abnerem Rex humaniſſimus audit
Accelerare gradum, fidíque afferre Gradivi
Pollicitum haud pridem munus: per gaudia ſe ſe
Ferre Palæſtinæ Princeps, ac limine primo
Expectare virum. Vix conſpicit eminùs Hebri
Princeps Abnerem, venienti occurrere; ſtrictis
Excipere heroëm Rector Jeſſeïus ulnis,
Atque hominem rebus geſtis, virtutéque clarâ
Inclytum, ad auguſtas ſecum deducere ſedes.
Dum Regis penetrale ſubit mavortius heros;
Cùm prono ſe ſe vultu demittit ad aram
Regalis pallæ, fulgentem murice veſtem
Baſiat, & fidei juratam porrigit arrham,
Undenáſque tribus, totius nomine gentis,
Abs fucis toto Jeſsîdi conſecrat aſſe.
Ut caſſam obſervat percauto lumine David
Fraude fidem: abjectum terræ ſuſtollit in altum
Actu expers famulare decus; complexibus ambit
Haud dubium fidei ſtudium, undenáſque ſalutat

Jam ſibi devinctas in fido milite turmas.
Nè verò fidei merces videatur abeſſe
Debita, non unum Regnator ſpondet honorem
Virtuti Abneris. Subſellia jura meretur
Gloriæ, & eximium per ſæcula ducere nomen
Intemerata fides, procul arcens corde Sinonem.
Hanc ubi felicem, famâ vulgante per aulam
Principis, accepit ſortem, Mavortis alumnus
Agnatus ſolio Joab: formidine multâ
Tangitur, alterius ſortis ratus incrementa,
Decrementa ſui fore poſthac forſan honoris.
Atque hinc curarum volvit ſub pectore fluctus,
Infeſtátque animum non una procella timoris:
Nè fortè imperium, Martíſque ſuprema capeſſat
Munia rivalis. Nec vano fortè pavore
Corda quatit Joab, metuens diſcedere ſummo
Munere, Jeſſiacum quo duxit in arva Gradivum.
Quare livoris ſtimuli, irarúmque ſubire
Joabi pectus, lentáque exurere tabe
Ilia, vipereóque animum depaſcere dente.
O crudele malum Lernæâ ſævius Hydrâ!
Hoc fovet innumeros, nutrítque in corde ceraſtes
Jugiter, ac ipſas afflat, cruciátque medullas.
Nec fatale malum livoris agreſtia pulſat
Limina; ſed natale ſolum trabeata frequentat
Atria Regnantûm, per claros toxica ſpargens
Aulæ Summates. Huic proxima ſemper oberrat
Ambitio regni, nullo ſaturanda tributo
Gloriæ, at immenſæ perquirens pabula famæ.
Si videt in magnas quemquam conſurgere laudes;
Dejectam reputat propriam, ſibi noxia, ſortem.
A bonitate malum generat ſibi mater iniqua.
A famæ ſplendore, atrâ caligine ſe ſe
Obruit opprobrii. A fulgente per ora decôre,
Therſitis ducit vultus. A fronte ſerena,
Ac hilari riſu, lacrymarum flumine manat

Ju-

Jugiter, ac mœſto rumpit præcordia planctu.
Eſt livor fellis rivus, de nectare mellis,
Atque thymi ſcatebra profluens. Eſt fructus iniquæ
Sortis, honeſtatis vegeto de germine natus.
Eſt inteſtinum ſerpens in pectora virus,
Gloria ab externa veniens, atque umbra, ſecundâ
Luce carens, animi, non pervaga corporis umbra;
Quæ privat vacuam rationis lumine mentem.
Denique, nè multis: virtutum proterit agmen,
Omnigenámque citat vitiorum in corda phalangem.
Quid quod ſubjectus livori cæca capeſſit
Conſilia, & temeros non rarò concipit auſus;
Quéis linguæ, ac rectæ mentis perrumpit habenas.
Hoc agit effrenis Joab. Nam lege ſolutus
Ætheris, invidiáque flagrans, œſtróque furoris
Percitus, ad magnum lymphato currere greſſu
Principem, & indomitis hæc probra effundere labris.
Ecquid agit David? Quæ ſtat ſententia menti?
Ergóne committes ſolium, regníque ſalutem
Transfugæ, & haud dubias verſanti pectore technas?
Húncne voles primis donare favoribus aulæ?
An te fortè latet ſimulatio tecta fideli
Schemate, perjuríque capi lubet arte Sinonis?
An non perverſum ſub amico, Siſyphus alter,
Ore coquit ſenſum fraudis, ſolióque ruinam
Apparat, & noſtræ deſignat funera genti?
Nî caveat Princeps: Judææ fata miniſtrat
Ultima, & undenis tribubus, tua ſceptra Phrynondas
Adjiciet, regníque decus convellet iniquo
Ordine verſutus Mavors. Nec callidus aſtu
Ingenium hìc fraudis ſiſtet; ſed turbine probri
Obruet Iſaciam per fæda opprobria gentem,
Infamíque dabit tua Princeps nomina ludo.
Si mens ſana throno eſt, aliud verſare ſub alto
Pectore nè reputet conſutum fraude Gradivum;
Quàm quò præſenti percurrat lumine fraudis

Dædalus armorum ſeriem, Martíſque parati
Ordinem, in adverſas ruiturum forte catervas,
Si rabies hoſtis Judææ ſceptra laceſſat.
Has Ithacus, non fallo, ſtrophas, technæque theatrum
Exſtruit in noſtram cladem. Socialia fingit
Fœdera, Thariacóſque tibi deſpondet honores
Perfidè, ut Abramides inopinos pellat in aſtus,
Atque throno, & nobis extremum dedecus addat.
Quare age, ſubleſtúmque caput, pro munere ſceptri,
Conſilii præverte modo, Martíſque doloſi
Fabricam in authorem ſceleris, fraudíſque revolve;
Quò tibi perpetuo ſtet nomen Principis ævo.
Hæc Joab livore tumens, œſtróque furoris
Percitus ad Regem. Sed cùm argumenta maligno
Fuſa labro, in vacuas effundi Principis aures
Cerneret, ac rapidis tradi conamina ventis:
Jactat per varias animi molimina curas,
Pérque alium ſe ſe conſum, mentíſque procellas
Mancipium invidiæ verſat. Nec ſolus in ægra
Mente ſedet livor. Sed jam quoque corde Phrynondas
Imperat, exitiúmque parat rivalis honori.
Quare in Grajugenas ſtatuit deſcendere technas,
Atque parare ſcelus ſub amico ſchemate, víque
Tollere, quem imperio ſolii tumulare nequibat.
Ac ſic Marmarici genium, rabiémque Leonis
Sumere Joabus, vulpíſque imitarier aſtus:
Artibus ut tacitis, nec non ſtimulante furore
Invidiæ, perdat rivalem nominis hoſtem.
O crudum ingenium, ſævóque Borysthene cretum!
Et verò obtinuit volitam ſententia metam.
Quem fraudis conſus, violentáque ſignat Erinnys
Cum livore ſcopum, non raró ducit in actum.
Fortè probaturus Jeſsîdi fœdus amicum
Abner, quod rectè pepigit; remeabat ad oras
Tharais accelerans: quò totas gentis Hebrææ
Vires imperio Davidis traderet, atque

Imme-

Immerito raperet ſceptrum de jure Dynaſtæ.
Hæc abit in certum Abneris migratio fatum.
Dum quippe ad notas reflectit Marſpiter oras;
Inſidiis Joabus adeſt. Quid fraudis adornat?
Præpropera ablegat de magni nomine Regis
Nuntia; quæ celerem revocarent illico Martem,
Utque Ducis ſolio confeſtim munus amicum
Siſteret, atque alium caperet cum Principe conſum;
Quem fortaſſe recens Jeſsidis cura recoxit.
Abner in obſequium facilis, morémque Regenti
Geſturus, reflectit iter, facturus Hebræi
Principis imperium. Si Rector mandat Idumes,
Protinus in vaſtam ruet heros Martis arenam.
Non hic ambiguis agitat ſuſpectio curis
Obſtrictum fidei pectus, nullæque malorum
Umbræ divexant animum. Non mortis imago
Obviat, aut mentem fraudis ſimulacra pererrant.
Integra nempe fides omnes hoc calle fideli
Ire putat. Qualis ſibi quiſque videtur; eâdem
Dimetiri alios, normáque, fidéque laborat.
Interea reduci, comitante occurrere fraude,
Abneri Joab fallax, Hebronis ad ipſa
Mœnia, & Evryalum, Niſúmque aſſumere vultu
Perfidus, atque fidem geſtu, blandóque probare
Lumine, & haud dubios totus ſpirare favores.
Accedit propiùs; circumdat brachia collo;
Baſiat Abnerem, taléſque expromit amores,
Quos vix Pirithoo Theſeus deferre valeret.
Actoridem reputans Joabum fraudibus expers
Abner; in amplexus pariles, & baſia ſe ſe
Explicat, ac fidi munus teſtatur Achatis,
Ignarus fati. Sed luditur arte Pelaſgâ.
Ut verò Joab ſecuro tramite crimen
Duceret infidum, ferróque abſumeret hoſtem?
Ab ſocia Martis deluſum abducere turma
Protinus Abnerem; quaſi præſens poſtulet ordo

Rerum, ſecretas audire, & reddere voces,
Multáque de noto regni molimine fari.
Dum videt inviſo, tempúſque, locúmque carere
Arbitro inhumanus Joab: meditata furentis
Pectoris, invidiæque malum ſub corde tumeſcens,
In lucem proferre ſtudet. Nè verò morarum
Fortaſſis ſpatium conceptos differat aſtus:
Illico in Abneris (prô! quæ mala fata parantur?)
Ilia demergit ferrum, terræque Gradivum,
Abjicit, & multo perfuſum ſanguine, faſtu
Proterit, atque jubet ſtygias tranare paludes.
At nè quo ſceleris patrati teſte probetur
Impius, arcanum celeri pede quærit aſylum,
Atque fugâ tutam ſibi retur adeſſe ſalutem.
Sed quò quò fugias, ſequitur mens conſcia facti,
Ac diæ fulgur Nemeſis; quæ crimina plectet
Acriùs, & meritis te quæret tradere pœnis.
Nil magìs irritat Superos, quàm techna cruenta,
Privatúmque nefas in publica damna patratum.
Adraſtia premit crimen. Vel vindice flagro
Afficit in vivis, aut noxas plectit Averno.
Hanc ubi ſanguineam lugubris fama ruinam
Enarrat ſolio: pertriſti vulnere Regem
Percutit, atque gravi Jeſsídis corda dolore,
Ac mærore ferit, curíſque ingentibus urit.
Quippe haud ignorat ſapientia prædita conſi
Lumine; quæ ſævo diſpendia funere ſurgant,
Hoc rerum præſente ſtatu. Conjectat acuto,
Maturóque thronus ſenſu; quæ proxima regno
Damna, ac pernicies hac cæde emergere poſſit.
Unde animo ſecum Jeſsídes talia volvit.
Prô malè turbatum, jam pacto fœdere, nexum
Pacis; qui ſecum Chananiti plurima traxit
Commoda, & optatam fecit ſperare quietem
Afflictis Hebri rebus. Prô crimen iniquum!
Quis furor indomitum Joab ſemovit ab æqui

Tra-

Tramite; ut Abramidûm leges, ac jura revellat
Gentium, & immani noxis immunia letho
Corda daret, meritámque fidem provivere vitam
Neſtoris, optando Buſiris pelleret ævo?
Quæ mens Iſacidûm populos, hoſtiſque ſubibit
Pectora; dum celebres vulgabit fama per urbes:
Agnatum noſtro generi, bellíque triumphis
Inclytum, & excelsâ mentis, consíque verendum
Laude virum, noſtris cecidiſſe in funera terris?
An non invidiæ labem, crudúmque tyranni
Dedecus impingent; quorum per labra volabit
Abneris cædes? An non horrebit Idume,
Undenæque tribus ſe noſtro tradere ſceptro?
Quid quod pollicitæ revocabunt fœdera pacis,
Atque novo belli recrudeſcente furore,
Ultrices ſatagent de nobis ſumere pœnas.
Hæc ubi non vano trutinavit pondere veri
Jeſſiades: ſua ſenſa palàm producere genti
Thariadûm, ac jurare ſuis per conſcia mentis
Sidera, ſe nullo, maleſvadâ cæde, teneri
Crimine, conſilióque procul ſe mortis abeſſe.
Devovet hinc meritis ſcelus execrabile Diris,
Ac necis authorem ſpondet ſe vindice ferro
Plexurum. Sic vera Themis, quæ præſidet æquo
Jeſsîdis ſolio, mandat. Clementia Regis,
Hîc foret impietas. Rigidis in crimina pœnis
Imperium ſurgat: nè conniventia ſceptri
Innumeras ſcelerum citet in mala facta catervas,
Atque in ſe meritum irato vocet æthere flagrum.
Non impune ferat crimen, cui jura ſeveros
Attribuunt faſces. Hac ſe ſe lege gubernat
Juſtus Saraidûm Rector, Themidóſque ſacerdos.
Ut verò tantæ fidei non immemor Hebri
Princeps, cêu ratio poſcit, monimenta relinquat
Debita; ſubjectas ſceptro ciet illico turmas,
Atque celebrari funebria juſta fideli

Imperat heroi. Sed nè quoque munere deſit
Ipſemet Iſacides: exemplo ſumma præire
Lumina Thariadûm; ſciſsâ procedere pallâ,
Tegmine lugubri triſtis, mæſtúmque tueri,
Atque ſequi largo mavortia funera fletu,
Supremóque, viris comitatus, honore parentat.
Poſtquàm magnificis tumulari exangue cadaver
Sedibus Abramidûm Princeps demandat: ab alto
Pectore deducit planctus, querulóſque ululatus.
Tum fundit lacrymas, humectans grandibus ora
Guttis, ac tepido lacrymarum gurgite funus
Perpluit, immenſum ſic teſtans corde dolorem.
Non logus, aut fucus diſcurrit in ore Monarchæ.
Non Ithacos Rex verus amat. Fallacis imago
Principis, eſt oculis Cæli, populíque peroſa.
Quod Jeſſæus agit Princeps, id corde volutat.
Conſentit factis animus. Qui deforìs ante
Lumina Thariadûm dolor eſt, is mente vagatur.
Non plùs officio Patris, fratríſque valebat
Præſtare Iſacides fidei. Sic crimine nemo
Arguet ingrato fidum Mavortis amorem.
Hic verè accepti memorem ſe muneris orbi
Exhibet, ac famæ laudes, noménque perenne
Transmittit mundo; qui vel poſt fata rependit
Gratiam, & emeritos illi perſolvit honores;
In cujus meritum jam non cadit ampliùs aurum.
Iſtud nempe meret lacrymarum jure minerval
Vera fides Martis. Nec recti munus amici,
Atque fidem penſare valent quæcunque tributa
Principum, & illuſtres, quos dividit aula, favores.
Quò verò fidei monumenta in poſtera durent
Sæcula: Saraico feſtiva trophæa Gradivo
Erigit, ac tumulum rutilantibus induit armis.
In ſummo fulvam obrizo, criſtíſque coruſcam
Caſſida ſuſpendit. Cuî ferro nexile tegmen
Subjicit, à pulchro chalybis ſplendore refulgens.

Indè

Indè orbem clypei lævâ, dextrâque minacis
Fulmineum affigit gladium, ſubdítque pharetram
Miſſilibus gravidam, atque adducto cornua nervo
Aptat, cum variis, quas geſſit Marſpiter, armis.
Tandem hoc inſcribit breve carmen grata Monarchæ
Dextra; quod Abramidi fidei documenta miniſtret.
Hic jacet illa fides Martis; quæ ſtare perennis
Nunquam non meruit. Jacet, at poſt fata reſurgit,
Victura æternis heroo nomine luſtris.
Quisquis continuis optas transmittere ſæclis
Famam, virtuti fidei te vivere par eſt.

MAR-

MARCUS GUTTERIUS *Rarum fidei, & conſtantiæ militaris exemplum.*

DIdacus de Haro in Africam exulatum abiens, Marco Gutterio caſtrum ſitu loci, ac munitione firmiſſimum in fidem tradit, tuendúmque fortiter committit. Alphonſus XI. Legionis Rex arcis potiundæ avidus, cùm Marci fidem, nec opum, nec honorum pollicitatione, in caſtri deditionem flectere valeret, obſidium loco admovet, integro ſeptennio extractum. Inediâ, aliíſque calamitatibus conſumpto milite præſidiario, ſolus ſuperſtes Gutterius, clavibus arcis collo appenſis, ſemianimis ad portam munimenti decumbit. Quem viribus defectum, arce occupatâ, hoſtes tollunt in humeros, & ad Regem deferunt. Alphonſus collaudatâ viri fide, ac fortitudine, non diu pòſt medentium induſtriâ reſtitutum, aſſerit libertati. Is rude donatus, rectà ad Didacum in Africam ſe ſe confert. Ubi cùm rei geſtæ primis diebus præconem, tum immemorem beneficii, ingratæque mentis comperit Didacum; viliſſimam indutus lacernam, clàm redit ad Regiam Alphonſi, in-

térque

térque canes ejus, communi victu, & habitatione contentus, delitescit. Sed non diu in occulto latet illuſtris virtus. Protrahitur ad ſolium Alphonſi. Hic Gutterius lacrymis, ac eloquentiâ eò flectit Regem; ut caſtrum armis, & omni commeatu, velut antè inſtructum Didaco redderet. Marcus adeò liberali beneficio mirè hilaris, continuò per literas monet herum exulem, veniret, caſtrum reciperet, ſéque fide datâ liberaret. Didacus rei admiratione perculſus, è veſtigio reddit alias; quibus munimentum Regi Legionis tradit; Gutterium fide exſolvit, & vitam tantæ fidei, memoriámque nominis vovet immortalem. *Roder. Santius Hiſt. Hiſpan: Part: 3. c. 37. ad annum* 1200.

INfractas animi vires, robúrque Gradivo
Suppar, & ſtabilis rarum virtutis honorem,
Ac Themidos legalis opus, Marténique, fidémque
Auſoniis dignam faſtis, quam ſera recantent
Sæcula, Calliope heroo modulamine mundo
Decantare ſtudet. Marcus Gutterius heros
Tarteſsâ de matre ſatus, ſed patre profuſus
Odryſio, mihi carmen erit. Da maſcula virtus
Non Agamemnoniam, quâ turgent pectora, dextram:
Non vires Latii; ſed tantum ſuffice nobis
Roboris, ut dignâ celebremus Pallade, cretum
Marte virum, Oenotriis potiorem jure Metellis.
Caſtrum erat excelſo ſituatum culmine montis,
Fama Quiar nomen tribuit; quod vertice nubes
Impulit, atque minas jactabat in æthera, ſurgens

Turri-

Turribus aëreis. Hoc formidabile ſeptum
Naturæ ingenio præciſis rupibus auctum,
Pectora quæque metu ſpectantûm implevit, & omnes
Circumquaque tuens, ſubjectas terruit oras.
Viribus armorum tumidum, Martíſque paratu
Inſtructum ſtat munimen, cêu acta veſtuti
Temporis enarrant. Hoc vallum mira coronant
Mœnia; coctilibus ducuntur pergama muris;
Aggere firmatur; nullo eſt quaſſabile ferro;
Mulciberi ridet furias, hoſtíſque furores,
Adverſóſque aditus deludit nobile caſtrum.
Hoc Didaco, cui nomen Haro, de ſanguine Regum
Heſperiæ, patriâ teſtatum lege merebat.
Forſan is Alphonſi Legionis Principis irâ
Territus, ac generi metuens, extremáque ſorti
Fata inſtare videns, proſpecturúſque ſorori
Uricæ; quæ jure ream ſe crimine multo
Novit in Alphonſum: Maſſylas cogitat oras,
Impavidam Lybicâ vitam ducturus arenâ.
Et verò hoc tutum, formidine ductus, aſylum
Inquirit cautus Princeps. Eſt charius ævum
Patriâ. In exilium præſtat, quàm funus abire.
Dum properum componit iter, Naſamonia poſthac
Littora culturus: munitam turribus arcem
Concredit notæ fidei, validóque tuendam
Milite Gutterio tradit. Nam mente ſagaci,
Præditus, ac conſo Didacus, pernovit abundè;
Quem verſet tacito Regnator pectore ſenſum
De celſo Martis clivo. Quare arma Gradivo
Æmula confidit Marti, Regíſque furores
Præcipit invicto confiſum ludere caſtro.
Gutterius Didaco promptus, fideíque daturus,
Quod mundus ſtupeat, ſpecimen: cita juſſa capeſſit,
Acceptáque fide, tutandum robore ſeptum
In ſe continuò recipit. Nè verò fidelis
In dubium mens ire queat; per ſidera jurat:

Non

Non ſe ceſſurum venturæ Principis iræ,
Atque armis licèt Odryſiis, dum vita ſuperſit,
Unáque devoti ſtet corpore gutta cruoris.
Nec Marcus fidei promiſſæ defuit unquam.
Hæc eſt vera fides, quæ victima cedere duris
Haud metuit fatis, occumbere, ſtare parata
Jugiter, ac nutus, cêu par eſt, ſpectat heriles.
Rara fides, quæ nec fatorum ſolvitur irâ.
Interea Alphonſus ſapienti regna gubernans
Imperio, ac pacis ſatagens, circumſpicit arcem
Exitiale malum ſolio, quo plurima regno
Noxia conſurgent. Hanc ergo protinus alto
Attribui exoptans juri, cupidúſque potiri:
Nullum non movit lapidem; quo martia ſceptro
Clauſtra ſubeſſe velit, regníque ſtudere Monarchæ.
Sed quid agit Princeps? Ecquod molimen adornat?
Mittit, qui repetant caſtrum, quod jura coronæ
Tranſcripsêre, abitu Didaci, Uricæque novercæ.
Quid pacti, fideíque tenax ad juſſa reponit?
Nè multis fidi Martis reſponſa moremur:
Verba refert, quæ jura probent. Germana reatu
Criminis Alphonſo ſola eſt obnoxia. Pœnas
Sola proinde ferat. Didacus delicta ſororis
Expiet? Hoc equidem legum ſancita vetare
Ritè ſolent. Fidei ſunt credita mœnia noſtræ;
Cui nulla Heſperii præſcribunt jura Dynaſtæ.
Cùm videt immotum Princeps, nullóque movendum
Pondere verborum pectus: molimine tentat
Expugnare alio. Promiſſis grandibus urget
Munimen tradi ſolio, ſpondétque favores,
Ac obtrudit opes, & honori nominis offas,
Cæteráque, imbelles quæ poſſunt flectere mentes.
Littus aras Princeps. Vano conamine pactam
Exturbare fidem ſatagis. Marpeſia cautes
Firmo corde ſedet, nullo infringenda labore,
Ardua cêu rupes, quæ vaſtum deſpicit æquor,

Ven-

Ventorum rabiem, tempeſtatúmque furores
Ridet, & horriſonos fluctus, pontíque procellas
Suſtinet, adverſúſque omnem, cælíque, maríſque
Sævitiem invicto ſtat robore neſcia frangi:
Haud ſecùs ad ſtreperas, verborum fulmina, voces,
Imperiíque minas, fremitus, iræque fragores
Gutterius ridet, juſsíſque ardentibus obſtat,
Nec prece, nec pretii merce expugnabilis heros.
Irrita facta videns Alphonſi machina, ferri
Viribus excelſum molitur ſternere ſeptum.
Admovet æratas, Gradivi fulmina, moles;
Quêis jacit ignivomas nitrato pulvere glandes,
Ac tonat enſe minax. Obſtantibus ultima fata
Marte fremente parat, ſtragéſque necéſque minatur
Omnibus; arctatâ quos obſidione coronat:
Protinus Heſperio ni dedant colla lupato.
Sed firmata nequit fidei ſententia mentem
Vertere Gutterii. Stat ſepta, fidémque tueri,
Tarteſsíque omnes explodere Principis iras.
Quare ſuccenſus rabie, præcépſque furore
Bæticolûm Rector, catapultis frangere muros,
Arietéque æratos tentat perrumpere vectes.
Mœnia quaſſantur; cælo ſurgentibus ingens
Semita planatur ſaxis; ſuper ardua valli
Conſcendunt hoſtes. Sed fœdam adverſa ruinam
Crebriùs arma ferunt. Reſupinus fracta volutat
Membra ſolo miles. Nil mucro, aut horrida ferro
Spicula proficiunt: jactata nihil per inane
Fulgura flammarum: nil miſſilis efficit ignis:
Nil furor armorum, nihil ambitioſa cupido,
Denique nil totus veniens in bella Gradivus.
Evincit Mavortis opus. Vanè omnia tela
Mulciber excludit. Nil proficientibus armis
Stat vallum Didaco, Sed caſtro firmior omni
Inconcuſſa fides Marci, non mobilis ullo
Turbine, nec toto Regum evincenda furore.

Rara

Rara fides, quæ nec pretio, nec vincitur irâ.
Ac ſic ſeptenis (portentum!) præcavet annis:
Nè quà vel ferro cedat, fraudíve Sinonis;
Dædala quod finxit naturæ dextera ſeptum,
Tutatúſque locum gnavè, proſpectat in omnes
Inſidias hoſtis, totâ Legione fremente,
Alphonſóque crepante iris. O inclyta virtus!
Magnanimum fidei ſpecimen, quod poſtera narrent
Tempora, & æternis inſcribant ſæcula faſtis.
Zopyrus hoc facinus ſtupeat. Quin Spartacus ipſe
Obſervet fidei ſpectabile ſacramentum.
Interea quod non toties iterata valebat
Machina Gradivi, rerum penuria fecit.
Impugnat maleſvada fames non pervia Marti
Mœnia: Triptolemus nullas deportat ariſtas
Viribus exhauſtæ genti, nemóque miniſtrat
Perdomitam Cererem, victúſque parabilis omnis
Deſtituit caſtrum: macies depaſcitur artus,
Oráque defœdat. Mortis ſimulacra videres.
Jámque gradu lento procedit ad arma Gradivus:
Tela manu extorquet, fractíſque moleſta lacertis
Excutit arma fames: ſub pondere genûa labaſcunt.
Horrida pallore eſt facies, & mille, per ora,
Pérque genas, frontémque errant, ſinè ſanguine, rugæ.
Lumina ſtant atris fædè tumulata cavernis,
Jámque vident lethum. Reſolutis oſſibus hæret
Rara cutis: potior compago ſolvitur artûm:
Corpus iners torpet: miſerandum fata minantur
Exitium, indubiámque necem, niſi cedat edendi
Pervigil eſuries, quæ nocte, diéque fatigat
Ilia, & in vacuis latrant jejunia venis.
Sed cùm nulla daret frugum, Ceteríſque caniſtra
Extorris patriâ Didacus: Libitina ſubintrat
Mœnia, & in laſſas ducit ſua bella phalanges;
Viribus evictas proſternit barbara turmas,
Occíditque omnes. Solus non cedere fatis

Gutterius, meritus Pylii provivere vitam ;
Qui vivâ virtute famem, lethúmque moratur.
Fortè fidem metuunt vel tangere funera. Quippe
Virtus fatorum eſt domitrix, expérſque ſepulchri.
Solus adeſt jam arci Marcus, pro mille futurus
Unicus. Ajacem Grajum, vel Coclita Romæ
Jam quoque Bætis habet. Sed nè hoſti extrema liqueret
Pernicies caſtri; diſcurrere mœnibus altis
Undique Gutterius; ſimulatâ voce ſuorum
Pectora firmare, hortaríque ad bella cohortes.
Hinc molem ingentem ſaxorum volvere in hoſtem :
Indè nitro fœtas in vallem ſpargere flammas :
Omnia moliri. Geminis ſic fortè diebus
Diſtinet obſidium, ſpecularis circitor arcis,
Excubitor ſolus, Dux, miles, & omnia ſolus.
Verùm ubi deficiunt cum viribus omnia; fatum
Ipſe citat, lethóque ultrò ſe ſe obvius infert.
Ut tamen inferias ſibi tanti gloria Martis,
Juſtáque perſolvat, ſtatuátque trophæa Gradivi :
Dentatas ſepti claves, cêu torquis honorem,
Appendit jugulo, Phryxeo vellere dignus.
Tum paſſu jam ægro petit oſtia turris aheno
Cardine firmata, & valido ſtridentia ferro,
Semaniméſque artus, confecto corpore, terræ
Abjicit, heroam poſiturus funere vitam,
Séque obicem opponit, moriturus, pectore; vivus
Qui nullum paſſus fidei commiſſa ſubire.
Vera, tenáxque fides in vitæ limite durans.
Cúmque coronantes fortiſſima pergama, caſſam
Obſervant armis, ac defenſoribus arcem :
Irrumpit violenta manus. Pars vecte levare
Oſtia : pars celſos tuto auſu ſcandere muros,
Ac ſibi cedentem, ferróque, ac igne carentem
Debellare arcem. Vix vulſa à cardine ſepti
Janua (prô Superi !) defectum viribus, atque
Luctantem cum morte virum (tremor occupat omnes)

Sema-

Semanimem offendunt, nudâ tellure jacentem
Impavidum heroëm. Virtutem ad ſidera tollunt,
Atque imponentes humeris onus haud grave, (quippe
Vix hominem, at ſimulacrum hominis, vel corporis umbrā
Dira fames egit) validis deferre lacertis;
Heſperiæ ut ſiſtant, defuncto Marte, coronæ
Prodigium herois. Defertur. Rex ubi cernit
Illuſtrem virtute virum, Mavortis alumnum,
Si non Martem ipſum; lachrymis vix temperat. Iræ
Num ſpecimen fuerint, aut veri ſigna doloris,
Nemo ſatìs referat. Quamquam vel in hoſte probari
Rara ſolet virtus. Jubet ergo Machaonis arte
Reſtitui fractas belli molimine vires,
Præteritæque dari pulſo languore, ſaluti.
Impigra cura datur. Nec tantùm cura medentûm
Proficit, ac frugum ſaties, & fragmina panis,
Immiſtúſque liquor Cereris; quæ corpus inane,
Depaſtúmque famis rabie, vitæ, atque colori
Reſtituêre ſatìs. Curato corpore, Princeps
Dona offert, laudátque fidem, ſempérque tenacem,
Atque inconcuſſam bellorum turbine mentem
Pro meritis ornat. Quid ad hæc Gutterius? Abſint
Regis, ait, procul abſint munera. Nulla meretur
Præmia, rupta fides Domino; quæ morte pianda
Jure venit. Vitam fugientem cura reduxit
Principis? O utinam ferro ſuperaddita functis
Manibus iſta fides eſſet! Sunt reddita vitæ
Tempora? (me miſerum!) per te mihi nomen ademptū eſt,
Quod poteram Elyſiis, jam inglorius, addere campis.
Vita equidem ſupereſt, at morte ingratior ipſâ.
Hêi ſortem inviſam! Jam mallem fata ſubîſſe;
Quàm poſthac plures inhonorus ducere ſoles.
Heſperio perquàm placuit vox libera ſceptro.
Heroâ vox digna fide, quæ obtrudere neſcit
Palpum; nec vanos circum palatia fumos

Z Ven-

Vendere conſvevit. Conceptum pectore verbum
Mentis, ad auguſtas ſinè fuco detulit aures.
Unde, quod obſtupeat mundus, deſcendit eburnâ
Sede Tagi Rector; complexu ſtringit honoro
Virtutis ſublime decus, robúrque, fidémque
Prædicat, immunémque jubet deducere vitam,
Juráque liberti tribuit. Quò Martis alumnus,
Invictâ comitante fide, jam liber abibit?
Quò te Marce pedes? An non te patria poſcunt
Limina, ſeptenos Domino viduata per annos?
Te natale ſolum repetit, conſórſque moratur,
Amplexúmque parat ſoboles, ac ſanguine juncti
Expectant avidè. Nè differ vota tuorum.
Libera jam tandem, confecto Marte, quietis
Otia jure capis. Septenis meſſibus acta
Bellorum ſeries, requietis tempora poſcit,
Neſtoreúmque meres reparatis viribus ævum
Ducere Gutieri. Sed Marti deditus heros,
Illecebris callum jam dudum obduxit, & omnem
Præteritæ ſortis rationem pectore miſit.
Ædes faſtidit patrias. Non mente revolvit
Ampliùs aut natos, aut ſacra jugalia Marcus.
Sed quid tandem agitat? Nomados contendit ad oras,
Incultáſque petit, Naſamonia littora, terras,
Acta relaturus Didaco; quæ garrula necdum
Forſan fama tulit, metuens mala nuntia ferre.
Perge bonis avibus, meritus Mavortis honore;
Quem Latiæ portent aquilæ, famæque recantet
Buccina, quà latè ſe porrigit orbis uterque.
Vix ſolus Libycas tangit Gutterius oras;
Accedit Didacum, ſed non ſinè teſte doloris
Indice; quo Domino jacturam deferat arcis.
Haud ficto mærore animi, lacrymáque fideli
Ora, genáſque madens, gemitúſque à pectoris imo
Ducens, abrupteque loquens, exponit iniquæ

Sor-

Sortis jura tremens. At herus, quem rumor acerbus
Fortè per obſtrictas non uno nomine dextra
Reddidit actorum certum, complectitur ulnis
Ambabus fidei ſpecimen, laudátque, probátque
Martis opus. Jam non Marcum, verùm ordinem iniquum
Temporis incuſat; quo non ſuccurrere caſtro
Extorri licuit patriâ, ſævámque cavere
A propria ditione famem; quæ perdidit arcis
Gloriam, & indomito tribuit tot funera letho.
Unde virum humanè recipit, multóque benignus
Affectu ſequitur, gratanti munere penſans
Officium, pactámque fidem, quam præſtitit armis.
Sed ceu mobilibus níl eſt incertius auris,
Quæ jam Phœbæo plaudentes lumine terras
Arrident, toto ſpargentes gaudia mundo :
Jam vice conversâ, piceâ caliginis umbrâ
Prætexunt orbem, & contractæ nubila fronti,
Atque animo inducunt, mœrore, dolore, ſequente:
Haud ſecùs in varios agitur cum tempore ſenſus
Æthere mobilior Didacus. Jam ſerva placere
Jure fides, Martíſque labor, vultúque miniſtrum
Candidiore ſequi. Sed jam irreparabile caſtri
Occurſare animo damnum, torvóque tueri,
Atque ſubirato non raró lumine Marcum.
Tandem pernicies ſepti ſibi vendicat omnem
Affectum Didaci. Non ſe jam porrigit ultrà
Bella fides animo, ſeptenâ æſtate probata.
Hinc quoties illi ſe forſitan obvius adfert
Gutterius; toties oculis, mentíque redire,
Hêi! gentilitii deperdita gloria caſtri.
Nec valuit Didacus conceptum mente dolorem
Occulere, ac tacitâ moderari pectus habenâ.
Quare ſuſpirat, gemit, optat, reddier ardet
Aërium ſeptum, generis decus, ornamentum.
Jámque minax oculis, ac hirquo lumine Marcum

Reſpicere, ingrataque nefas admittere mentis,
Suſpectámque putare fidem. Non pectore celat
Ampliùs irarum flammas. Quin ſæpe profari
Verba: ſibi caſtrum reddat; quod perdidit orâ
Heſperiæ, ac tanti jacturam nominis orbe
Sarciat; ùt fidus ſubjecti præcipit ordo.
O quò mens ingrata ruis? Num gratia facti
Excidit? Hæc fidei penduntur præmia? Cælum
Hanc ſpectare potes ſinè pœnæ fulmine mentem?
Ecquid agis Didace? Hunc ingrati criminis auſum
Ipſa perhorreſcunt naturæ jura, DEíque
Condemnant leges. An non deferre patronam
Officiis fidei dextram, lux mentis, honeſti
Regula depoſcit, Themidóſque ſtatera referre
Præcipit alternas grates, memorémque fovere
Jure ſinum? Sed (prô Superi!) te oblivia tantæ
Jam capiunt fidei. Quæ te dementia vertit?
An pejor Libycâ eſſe ferâ, Pœnóque leone
Deligis ingrati vitio; qui præſtita penſat
Munera nonnunquam obſequiis, dominámque veretur,
Naturâ ducente, manum, poſitóque furoris
Impete, pro meritis famularia munia præſtat?
Et tu Marmarico vis ſævior eſſe leone?
Et tu (verba date Evmenides) tu pectore nutris
Exciſum ſaxo genium? Vah durior ipſis
Cautibus! Anne tuas immitis Caucaſus ædes
Occupat? An te tanta fides non molliet? O te
Exturbari hominum cenſu, dignúmque moveri
Orbe utroque caput: ſi te non gratia tangit,
Immemoríque cadunt benefacta ingentia corde.
Si ſapis, extemplò non gratum pectore virus
Evome, nutritámque luem mora nulla per artus
Serpere ſuſtineat: nè ingratæ toxica mentis
Cum vita jugulent animum. Si vipera fibris,
Aut gremio concepta fremat, lethale per omnes

Diffun-

Diffundens artus virus, fata ultima ſignat.
Haud gratæ mentis vitium, fera vipera dici
Jure poteſt; quæ damna ſibi funeſta miniſtrat,
Vipera vi pariens. Aconitum hoc ocyùs imis,
Corporis, ac animæ jubeas exeſſe medullis,
Si Virtutis aves, cêu par eſt, vivere vitam.
Verùm Gorgoneo cretam de ſanguine ſtirpem,
Immemorem fidei Didacum; qui penè furoris
Turbine Gutterium ſequitur, caſtróque potiri
Rurſus avet, probríſque notat (prô crimen iniquum!)
Segnitiem Martis. Sed quid Gutterius? alto
Pectore mærorem reprimit, victórque futurus
Ipſe ſui, patitur temeræ convicia linguæ,
Et ſuper ingratum contractis ſæpe lacertis
Ingemit, ac tacito ducit ſuſpiria corde.
Tandem haud ferre valens repetiti jurgia probri,
Inviſúmque nefas; nec linguæ prælia poſthac
Eſſe ferenda ratus (quis enim ferat iſta?) dolori
Pharmaca ſuppeditat; non quæ maleſvada miniſtrat
Irarum rabies; at præſens flagitat ordo
Temporis, ac rerum. Sed quæ ſententia mentem
Obtinet herois? Clàm ſe ſe proripit æde
Adverſâ fidei, repetítque cito pede Regis
Heſperiæ Auguſtal, ſpectacula mira daturus
Mundo, ac Bæticolis, fideíque novum argumentum.
Verùm nè ſolio dudum præcognita virtus
Martia fortaſſis pateat: formam exuit omnem
Gutterius, vilémque capit de plebe lacernam,
Injiciens centonem humeris; quem rideat Irus,
Abjiciátque Codrus. Sed nè quoque cautius illum
Lumen fortè notet, ſe informi ſchemate celat,
Non jam Gutterius, ſed Iberûm turpis Hemippus.
Cæſaries inculta ſedet, promiſſáque fœdè
Defluit, ac horret ſquallore, ſitúque viator.
Mentum abit in ſylvam. Tetrâ ferrugine malas

Pingit, Therſiten meliùs ſimulare nequiret.
At quò Gutteri? Quem verſas pectore conſum?
Ecquid ages? Patrias forſan remeabis ad ædes?
Quò celeras? Mirum refero. Subit antra moloſsûm
Regia, latrantíque gregi ſe fidus achates
Addit, communémque capit, quam projicit eſcam
Verna cani, ſocius pecudum, victúque, domóque
Delitet ad tempus. Sed tandem prodita virtus,
Illuſtrem vidit, celari neſcia, lucem.
Et veluti tetrâ tumulatus Cynthius umbrâ,
Sub piceo latitans nimbo, fulgentior orbi
Emicat; ut victo debellat nubila cælo:
Haud ſecùs obſcuro pecudum ſtabulatus in antro,
Mancipióque minor Tydêus, ubi cognitus aulæ,
Alphonſóque fuit, prodivit clarior, imam,
Decreto ſolii, perſonam ponere juſſus.
Scitari hìc Princeps: cur tantum Martis honorem
Abjiciat canibus? Cur dignam Principe mentem,
Ac ſceptris mundi, fœdo commiſerit antro?
Gutterius virtute ſatus, polléníque diſerto
Neſtoris eloquio, primùm vana omnia mundi
Explicat, & fragiles aulæ declarat honores,
Humanáſque vices docto ſermone revolvit.
Poſtea in haud gratum ſcitiſſima copia fandi
Deſcendit vitium, tantóque à pondere rerum,
Verborúmque cadit prægnans oratio; fulmen
Eſſe Periclæum ut reputet perculſus Iberi
Princeps eloquio Svadæ. Vix talia fudit
Oenotriæ Arpinas. Tandem quò verba referret,
Quémque ſcopum teneant, facundo chromate linguæ
Depromit, latebráſque animi producit in auras.
Officii immemorem Didacum, tantíque laboris
In caſtri obſidio ſeptenis meſſibus acti,
Exponit liquidè Marcus, ſeptóque potiri
Velle, refert, reddíque ſibi, quod triſtis egeſtas

Per.

Perdidit, ac maleſvada fames. Dèin cernuus heros
Accidit Auguſti pedibus, lacrymiſque perorat:
Nè ſinat Heſperiæ Rector ſe vivere porrò
Infamem, fideíque minùs jam forte tenacem;
Ut Didaci crimen cenſet. Quod ſi tamen ævi
Munera fortè favet ſolium: rogat, obſecrat omni
Annifu Marcus, reddi ſibi credita caſtri
Pergama; quò fidei valeat monimenta probare
Ingrato nimiùm Didaco, ſolvíque fideli
Pacto, quod pepigit fidam Mavortis ad aram.
Accipit hæc facilis Princeps in vota Gradivi,
Flexanimámque ſtupens in Martis pectore Svadam,
Annuit optatis. Quare jubet illicet armis
Muniri caſtrum Princeps, omníque paratu
Inſtrui, ùt antè fuit; quando obſidione domandum
Juſſerat arctari, ſeptem vertentibus annis.
Hic ſibi continuò veluti jam redditus heros,
In plauſus gratéſque agitur, veneránſque benignum
Poplite lunato ſolium, nil antè volutat
Pectore; quàm Didaco munitum reddere ſeptum,
Séque, ſuámque fidem jam exſolvere protinus ardet.
Nec mora: Gutterius fida internuntia mittit;
Quæ referant Domino: patrias remearet ad oras
Illicet, atque arcem, fidei cêu tradidit, armis,
Ac Cerere inſtructam, juri tranſcribat herili,
Séque fide ſolvat. Miſſas dum fortè tabellas
Lumine percurrit Didacus: cêu fulgure tactus
Attônito torpet ſimilis, fideíque tenacem
Gutterii mentem, verbis, animóque recantat,
Atque immortali ſtatuit dignam eſſe trophæo.
Ut verò infidâ ſe ſuſpicione probaret
Immunem Didacus, cordíſque arcana paterent:
Confeſtim reddit graphio perarata tebellæ
Munera; quêis gentilitiam jubet ocyùs arcem
Tarteſſi reddi ſolio, fideíque ſolutum

Fœdere Gutterium præſtat, vitámque perennem
Advovet, ac toto illuſtrem clareſcere mundo
Optat, & æternis transmittere nomina faſtis.
Cedite jam Fabii Romanæ gloria gentis,
Scipiadæ, Decii, Torquati, omnéſque Metelli
Cedite cum Mariis, vel quos fortiſſima belli
Græcia decantat. Capanéus, Tydêus, Polynices,
Parthenopæus ovans, Agamemnonis arma, vel Ajax
Eſte procul, tumidóſque viro ſubmittite faſces;
Quem nullum à fidei ſemovit tramite crimen.
Omnes nempe meret nunquam temerata triumphos
Cana fides, Latiis, Grajiſque ornanda trophæis.

SE-

Septem Fratrum Machabæorum illuſtre martyrium.

1. Machab. 1. & 2.

IMmiſſus ab Rege Antiocho in Judæos militiæ Dux Apollonius, occupatâ per fraudem Jeroſolymâ, arcéque Sionæ â præſidio armorum inſeſsâ, execrandi Jovis ſtatuam proponit adorandam, eíque vetita per leges animalia in victimas mactari, abſumíque nomine Regis præcipit. Plurimos amor vitæ ad nefanda ſacrificia impulit: non pauci mori potiùs, quàm Religionem violare parati, ſuam DEO fidem per diriſſimos cruciatus probavêre. Hos inter ſeptem juvenes eâdem matre progeniti, annis quidem diſpares, ſed virtute pares, glorioſam mortem oppetiêre. Septimum, eúmque natu minimum per genitricem ſubruere tentat barbari nequitia, proliſque duritiem emollire. Quid illa? Simulat obſequium tyranno: alloquitur puerum linguâ patriâ, & ad ſubeundam fortiter mortem idoneâ oratione animat. Lanienam immaniſſimam non tulit fortiùs tenellus heros; quàm ſpectârit horoina mater. Quæ demum ipſa quoque infando ſupplicii genere conſumpta, & ſuo, & natorum purpurata ſan-

guine, tot lauros retulit, quoties in ipſa filii, illa in filiis vicit, & triumphavit.

FAtorum domitrix virtus, quæ ſola beatos
Efficit, æthereóſque jubet conſcendere clivos,
Theſpiades in metra citat, Pindíque ſororem
Mœonio aſvetam numero, conprimis in auſu
Evocat heroum. Canet hæc virtutis alumnos,
Septenos fidei teſtes; quos una profudit,
Impavidóque aluit genitrix fortiſſima ſucco,
Atque animo invictos præmiſit in æthera natos.
Hos epicis cantare modis dum Muſa laborat:
Robur ab intrepidis victorum manibus orat;
Ut ritè Aonio ſua præſtet munera plectro.
Tempus erat, fati quo ferreus ordo Sionis
Arcibus incubuit, Cæloque minantia ſparſit
Omina: purpureos Solymæ per compita rivos
Innumerâ populi fundendos cæde, genúſque
Iſacidûm ſævo tollendum funere, lingua
Aſtrorum edixit. Prænuntia ſigna volabant
In ferrugineo glomeratæ nubis amictu:
Horribiles viſu formæ, terroribus omnes
Complêrunt vicos, oculos, animóſque timoris
Fulgure quaſſantes, ac triſtia quæque minantes.
Quippe quater denis tum noctibus, atque diebus,
Frenigera æthereis diſcurrunt agmina campis,
Inſtructa irato telorum fulmine, & inter
Se ſe diſtrictis bellantes cominùs armis
Concurrunt acies. Aſt eminùs ignea mittunt
Spicula, & aëreis lugubria bella theatris
Edunt, inſoliti Martis ſimulacra cientes;
Sanguineáſque patrant trepidanti ſidere ſtrages,
Flumine puniceo manante per humida cæli
Regna, Jovis ſedes. Nec rebus defuit omen.
Nunquam etenim vanas æther denuntiat iras.

Vix

Vix aliquot Phœbe implêrat radiantibus orbem
Cornibus: Argivus pleno ſe turbine Mavors
Imperio Antiochi, veri Diomedis Achivûm,
Ac Grajûm Phalaris, Solymæam volvit ad urbem,
Hebræa Argolico domiturus pergama ferro.
Vix venit, vicit. Nec tam felicibus armis,
Quàm vafris de more ſtrophis, ac fraudibus uſus
Mars Doricus, patulis Solymæ ſe poſtibus infert,
Proſtratúmque metu, non belli fulmine civem,
Subjicit Iſthmiaco Danaum Bellona capiſtro.
Necdum ſanguineis fluxerunt compita rivis:
Non tetræ mortis facies volitare per urbis
Limina: non cædes populi, Martíſque cruenti
Aſſurgunt tumuli. Nondum Vulcania peſtis,
Atque faces belli, per tecta, ac fana voranti
Ore rapi; at ſolùm violentis dextra rapinis
Imminet, ac vacuas gazis implere crumenas
Ardet, ceu ſvadet belli proclivior uſus,
Atque relicta ſibi Mavortis jure poteſtas.
Prima eſt belligeræ pubis dos, nempe rapina,
Ac ſitis obrizi. Sic creſcunt Martis amores.
Poſtquàm Saraidûm Reginam ſubdidit urbem
Imperio Danaum miles: devota Tonanti
Culmina conſcendit, rivalem nubibus arcem,
Delubrúmque opibus dives; quod Rector Idumes
Condidit, ac multo quondam decoraverat auro,
Hìc ſibi Grajugenæ mavortia figere caſtra,
Et tutum firmare gradum, gentíque ſubactæ
Jura dare, ac totam conſtringere legibus urbem,
Ut verò patriis Jûdæam ritibus Hellas
Exuat, ac Doricis vivendi moribus Hebrum
Induat: in media ter ſancti Numinis ara,
Inceſti ſimulacra Jovis fabricata labore
Mortali ſtatuit. Nec ſolùm Grajus adorat
Marſpiter infamem non unâ labe Tonantem;
Sed quoque thuricremis mandat ſua Numina ſacris

Digna-

Dignari Abramidem, ac ſummum placare deorum.
Et quod narratu fœdum eſt, dignúmque ſilendo
Obtegi, ab immundis, ſetáque horrentibus ara
Turpatur ſuibus. Nec mirum hoc fortè videri
Caſtalidı poſſit. Quid enim devota mephiti
Græcia, & inceſtis duntaxat amoribus alta,
Aptiùs infami valuit deferre Tonanti ?
Atque hoc ſetigerum, & grunnitu nobile probrum,
Electo obtrudit populo, mandátque ſeveris
Legibus; ut primæ divorum conſecret aræ
Victimam, & in gratas Jeſsîdes inſtruat eſcas,
Et ſe ſe arvinâ, pinguíque in ſumine paſcat.
Hæc ubi ferali Judæam ſanctio legis
Concutit, ac Regis decreta capeſſere præco
Imperat: aut vitæ crudelia fata ſubire:
In varios ſurgunt titubantia pectora motus
Iſacidûm. Pars longam optans provivere vitam,
Sacra nefanda facit, fœdóſque imponit honores
Aris: pars latebras quærit, tutóſque receſſus.
Nonnulli potiùs crudeli occumbere fato
Decernunt animis, funúſque ſubire cruentum;
Quam leges violare DEI, ſcelerúmque gravari
Pondere, & æternis ſua plecti crimina pœnis.
Eſt ſatiùs crudo vitam deperdere letho;
Quàm conſcire nefas, dignúmque Acheronte piâclum.
Et verò haud paucos Danai duxêre per omne
Supplicii ferale genus. Per tela, per ignes
Immanéſque neces Jeſſeïa lumina perdunt;
Quæ vetitis Grajûm ſacris reverentia Cæli
Submovet, ac patriæ ſe conformare, probante
Æthere, ſtat legi. Protracti in funera myſtæ
Relligionis honos. Patres, matréſque cruorem
Funere non veriti, mercantur morte beatæ
Principium vitæ. Per vulnera mille ſubire
Innocuas optant ſedes, umbríſque dicata
Atria, in æthereos olim mutanda penates.

Nec renuunt diris inſontia terga flagellis
Porrigere: hinc rhamnus deſævit; ſcorpius indè
Artus dilaniat. Succedunt taurea ferro
Armata uncato: toto ſalit ulmea grando
Corpore, ſanguineos protrudens verbere rivos;
Queîs Superis de lege datam, veróque Tonanti
Subſcripsêre fidem. Sed poſtquàm nulla cruoris
Ampliùs exhauſtis diſcurrit guttula fibris:
Inſontes celerant probroſo figere ligno;
In quo vera fides plaudit, Cælúmque trophæa
Erigit, atque gradus parat ad Capitolia Divûm.
Quid quod Thariadûm matres obſcœna negantes
Munera ferre Jovi, tranſverſo ſæviùs orni
Stipite diſtendunt: nec non lactentia collo
Pignora, & innocuos addunt in funera natos;
Quod Diomedæus furor horreat, atque Procuſtis
Ira averſetur. Quid multis? Omnia latè
Cædibus accumulant. Nec clarâ ſtirpe creatos
Eximit immanis Grajûm feritate tyrannis.
Inſontes tradit chalybi, millenáque denſat
Funera, & innocuam tellurem ſanguine tingit,
Diffuſóque rigat Solymæ arva propinqua cruore;
Ut ſacris fidei ſuccreſcat adorea campis.
At dum ſævities truculento jure per omnes
Judææ ſævire plagas, ac edere ſtrages
Pergit, & humano ſaturari funere gaudet:
Septeni juvenes Macchabæâ ſtirpe profuſi
In parilem accedunt, effuſo ſanguine, ſortem.
His clarum à Proavis genus eſt, ac nomen avitum.
Non equidem ætatis par omnibus accidit ordo,
At virtute pares; quam primo lacte biberunt
In patrias gnavi leges. Hi facta videntes
Barbara Grajugenûm, nec tot ſpectare valentes
Funera, & innumeras, quas effera dextera cædes
Haud ſaturâ feritate edit, fortíque timentes
Nobili, ab immiti decedunt protinus urbe,

Ac

Ac generi proprium Suſandri nomine caſtrum
Præproperis repetunt ciſiis; quo rebus in arctis
Perfugium inveniant. Sed nulla potentia tantis
Viribus æqua venit. Latè ſe vaſta tyrannis
Explicat, ac ſævas protendit in omnia dextras.
Nemo latêre poteſt. Arcanos miles Achivus
Indagare ſinus, latebras, cæcóſque receſſus
Excutere, Abramidéſque ſuâ divellere ſtirpe,
Atque fidem gratam Superis abolere laborat.
At dum relliquias abſtrusâ ſede latentes
Iſacidûm, vafris veſtigat naribus Argûm
Vertagus: in prædam non vili ſanguine cretam
Incidit è voto. Turritum Martis iniquo
Turbine debellat caſtrûm, ſolitóque furore
Obruit, ac matrem ſeptenâ prole beatam
Nexibus adſtringit ferri, natóſque revinctis
Poſt tergum manibus raptat, cunctóſque tyranni
Aſſecla ad immanem Danai Buſiridis aulam
Captivos ducit. Prô! quæ fera ſcena paratur!
Procedunt ſeptem conſtricti brachia ferro
Cum matre impavida nati, nullóque pavoris
Pondere depreſſi. Libertas quippe ligari
Nulla poteſt mentis. Bojas hæc, atque numellas
Læta ſubit, ridétque feros Buſiridis auſus;
Qui ſolùm poſſunt obnoxia ſternere letho
Corpora; dum melior pars ſoli ſacra Tonanti
Subjacet, æthereis victura beatior oris.
Poſtquàm ſanguineum diri ſubiêre tribunal
Principis innocuæ mentes: crudelia vultûs
Fulgura continuò ponit, ciliúmque ſerenat
Iride, & in placidos mutat fera lumina nictus,
Ambroſiámque aptat labris; quò ritibus Hebri
Exuat, & Danais conformet moribus alto
Sanguine prognatos. Capitur virtutis odore,
Ac flore ætatis trahitur vel ſæva Procuſtis
Ira, & manſveſcit poſitâ feritate Lycaon.

Obſtu-

Obſtupet eximiam vernanti corpore formam
Sauromata Argivus: niveo circumlita ſucco
Purpura malarum demulcet ferrea Regis
Pectora: labra placent Pœſtanis æmula ſertis:
Alliciunt nitidis fulgentia lumina flammis,
Atque oris decus omne placet. Sed diſplicet una
Pectore fixa fides; quam corde revellere Princeps
Nititur, ínque ſuas Jeſsídem ducere leges.
Quare nectareo depromere talia labro.
Magna Palæſtinæ, nec non Chananitidos oræ
Lumina, vos atavûm ceræ, fumoſáque Patrum
Atria commendant. Primævo flore juventa,
Ac roſeis pulchra umbra genis, & multa paternæ
Gaza domûs, morúmque decus, quod corpore toto
Emicat, Argolico ſe præbet amabile ſceptro.
Hoc ſolium vobis tribuit, matríque favoris
Munera; ſi abjecto recutitæ legis abortu,
Ad noſtros lubet ire deos, Danaíque Tonantis
In veniam facilis, placare altaria donis.
Æqui decernit ratio, quod Jupiter Argûm
Imperio minitante jubet, noſtrúmque tribunal
Sceptra, vicéſque gerens Superûm, mandare jubetur.
Si morem geritis, de quo non ambigit Attis,
Atque panomphæo ſtat ſolvere debita patri:
Immortale decus generi, noménque paratur;
Natio quod ſtupeat verpûm. Vos gloria regno
Summa manet. Patriis accedet divite cornu
Copia theſauris, ſempérque perennia vobis
Gaudia manabunt, decimóque beata nepoti
Sæcula ſuccedent. At byſſina verba Phrynondæ,
Regii, & ingentes quos porrigit æris acervos,
Promiſsíque amplam ſegetem, famæque tributa
Excipere humano riſu, nullóque moveri
Munere Germani. Nam cælica præſtolari
Dona, ac æternas mercari funere gazas,
Opprobrióque lubet cæleſtem quærere famam.

Dum

Dum videt immotum ſepteno pectore conſum,
Ac ſolii illecebras vanis ſucceſſibus ire,
Deluſus virtute thronus: mutare ſerenum
Afflicti vultûs cilium, torvúmque tueri,
Frontíque innumeros caperatæ inducere ſulcos.
Jámque ardere genis, fumoſas naribus iras
Spargere, teſtaríque gravem toto ore furorem
Argolicus Sciron. Hinc ſævo percitus œſtro,
Tiſiphones, Ditíſque nepos, quò neſcia flecti
Corda per illicium, ſævo molimine frangat:
Imperat actutum produci dira furoris
Inſtrumenta Scinis Danaûm; quêis territa viſu
Pectora, ſubjectas ſceptro dent illico dextras.
Argivus miles regalia juſſa ſecutus,
Verbeream exportat ſegetem, flagra, taurea, rhamnos,
Ac proſcindendo lateri quæ ſuggerit uſus.
Hic lamnas flammis candentes, ille cataſtas,
Iſte rotas, alius liquidâ ſartagine bullas
A pice ſurgentes, alii crudelia quæque
Theromedontiacis, Liparæéque excuſa caminis
Oſtenta ante oculos ponunt, juſtóque timore
Inclinare animos ad ſacra nefanda laborant.
Sed fera quantumvis rapiunt conamina venti.
Aſpera nil faciunt, nec quicquam mollia proſunt.
At veluti haud ferro patiens, flammáque domari
Gemmarum Princeps adamas, conſiſtit eodem,
Æternátque ſtatu, nunquam fulgentia mutans
Ora, ſed invictum ſervat, retinétque vigorem:
Haud ſecùs immoto perſiſtunt pectore ſeptem
Iſacidûm gemmæ. Rident aggeſta minarum
Fulmina & intrepido crudelia funera vultu
Accipiunt, nullâ ceſſuri ſorte tyranno.
Vera gradi Virtus per ſæva, ac aſpera gaudet.
Dum verò indomitas obſervat Principis iras
Mente, oculíſque ſagax mater: jam jámque tonantem
Argolici rabiem ſolii, ruituráque ſceptro

Ful-

Fulgetra in innocuos, percauto lumine, natos
Prævidet: ut ſacrâ formatos lege, tenaces
Propoſiti reddat; patrio ſic chromate paucis
Affatur genitrix. Nôſtis mea pignora, clarum
Thariadûm vos eſſe decus, Cælique beandos
Gloriâ, & æternis ſanctiſſima nomina faſtis
Inſcribenda hodie, ſi ſubdere colla negatis
Legibus Argivis, ſtygiiſque excuſa caminis
Ficta deûm ſimulacra gradu calcatis honoro.
Nôſtis vos omnes Machabæâ ſtirpe creatos,
Sanguinéque heroo fuſos; quos aſpera quæque
Ferre juvat ſemper. Nullo Buſiridis auſu,
Atque minis frangi, pérque omnia tela Procuſtis,
Inpavidos, alacréſque animis, ac vultibus ire,
Virtutis documenta probat. Sic ſcanditur æther.
Pulchrum eſt pro patria, pro Relligione, DEóque
Fata extrema pati, ferrúmque, ignémque ſubire,
Æternámque ſibi mercari funere vitam.
Quare agite, & veſtro patriæ ſubſcribite legi
Sanguine: ſic natos agnoſcet mater, & aſtris
Gignet, ſidereis vos præmiſſura viretis.
His ubi compellans dictis, firmare Sionis
Legibus approperat ſobolem; Buſiris Achivus
Retur, naturâ miſerante hæc fortè profari
Matrem, ac in nutum ſolii compellere natos:
Quò ſervet vegetam ſepteno corpore vitam.
ed cùm nemo manus, oculóſque ad juſſa tyranni
orrigit; id quod erat reputans, deſcendit in iræ
 rælia, & immanes protrudens pectore voces,
etonat hæc Phalaris. Vel Grajis protinus aris
acra date: aut noſtro fietis victima ferro.
ic major natu, Machabæus nomine, zelo
citus, ac vitam pro cælis ponere certus,
trepidè hæc ſolio reddit. Rex maxime Regum.
fficio faciles, ac regia juſſa ſequentes,
nos æqua jubes, mundi dominator habebis.

Verùm ut ſacrilego faciamus ſacra Tonanti,
Votivúmque pecus Danaas mactemus ad aras:
Hoc equidem nullus Regum, mundíque poteſtas
Ducet in effectum. Majus nos ſpectat ab alto
Numen; quod terræ fabricam, Superúmque beatas
Eruit è nihilo ſedes, mundúmque gubernat
Providè, & in tumidos exercet jura Monarchas.
Huic meritos, ſi fortè jubes, adolemus honores.
Non ære effuſos, vel cretos caudice divos
Iſacidûm colit alma fides. Nos lege vetamur
Cælituum, hæc ridenda Deûm ſimulacra vereri;
Quos ſcelerum infamat labes, velut acta prioris
Temporis exponunt. Quid enim proſapia Divûm;
Quam ſummo recolit, cèu fertur, Achaia cultu,
Eſt aliud mundo, quàm multi criminis auctrix?
An non ille Tonans, quem tellus Graja tremiſcit,
Fornice ab inceſto infamis, prædóque pudoris
Audit per totum, quà ſe ſe porrigit orbem?
Ecquid veſtra Paphis, nisì tecta nitore ſaburra
Sordium, & innocuæ ſcopulus, peſtíſque juventæ?
Dicite, quid veſter, Geticis qui præſidet arvis,
Belliger ille Deus, nisì multæ cædis origo,
Sanguine duntaxat gaudens? Quid veſter Apollo
Pimpleïdum præſes, Cyprio nisì percitus œſtro
Arcitenens impurus erat? Quid Plejade natus
Veſter Atlantiades, quàm doctus vivere rapto
Harpalus, Autolycíque nepos? Quid thyrſiger ille
Pampineis ſemper redimitus tempora ſertis,
Quid? nisì perpetuis ſua mergens labra falernis
Helluo, & in ſcelerum projectus lurco barathrum?
Atque hæc fœda jubes, ſceleríſque patrona vereri
Numina Thariades? Id nulla effecerit ætas,
Nulláque quantumvis protruſa tyrannis Averno
Evellet leges patrias, veríque Tonantis
Dogmata; quæ ſoli duntaxat vivere mandant

Vir-

Virtuti, rectíque jubent procedere calle.
Hæcné abjuremus Cæli decreta, ſalutis
Arrham; quæ æthereis promittit præmia regnis?
A nobis abſit, procul omnibus abſit iniqua
Vivendi ratio, Nemeſis penſanda rigore,
Tænariiſque pianda rogis. Stat mente tenaci,
Pro Superis, ac lege mori, corpúſque caducum
Ponere, & immenſas perferre tyrannidis omnes
Argolicæ pœnas, ferrúmque, ignéſque ſubire;
Quam patriæ Themidos leges violare, manúſque
Pôrgere ad immundas, quas Attica ſuggerit, eſcas.
Impolluta lubet transmittere pectora Cælo;
Quod parat æternas nobis imponere lauros.
Hæc ubi dicta dedit firmatus robore Divûm
Abramides: rabido mentem correptus ab œſtro
Antiochus, Diris agitur, lymphatáque verba
Ore vomit, ſæváſque jubet de pubere pœnas
Sumere, & immani Jeſsídem extradere letho.
Nec mora: tortorum rabies exſcindere linguæ
Munera facundo pubi; de corpore pellem
Diripere, atque cutem trepidis avellere fibris.
Indè pedum, ac manuum ſupremas demere partes
Forcipe crudeli: truncatum corpus aheno
Injicere undarum ferventi abs igne flragrante,
Ac totam liquido carnem diſſolvere letho.
O ſævam Phalaris ſcenam! quam Muſa tueri
Quaſſa timore nequit. Sed quæ mens ſurgit Apellæ?
Ecquis Thariadûm jam verſat pectora conſus?
Non hoc percelli genitrix, ac pignora fato;
At vultu intrepido germani funera cernunt,
Et cupiunt parili confeſtim occumbere letho.
Non ità fixa ſuis altè radicibus hæret
Dodonæa arbos; cùm pleno turbine Caurus,
Vel Boreas ſolidam de ſede revellere ſtirpem
Nititur: invicto ceu perſtant pectore, nullis

Ceſſuri fratres pœnis. Quodcunque Pelagus
Sciron ſupplicii decernat adire macellum,
Inpavidi accedent. Formido nulla ſubibit
Pectora; nîl tantas poterit percellere mentes.
Virtus, cêu Phœbus, ſibi vultu conſtat eodem.
Dum Scinis Argivus, marmor, cautéſque rigere
Corde notat fratrum: jubet alterum, & alterum atroci
Extradi letho, pérque horrida funera duci,
Crudeles paſcens oculos, animúmque ſaginans
Sanguine, cêu Atrêus, vel cretus ſtirpe Gelonum.
Jámque alter fratrum ſubiens fatale theatrum
Nomine Aber, fauſtam patitur per vulnera ſortem.
Indè Machir pœnis admotus ſidera ſcandit
Tertius. Huic quartus ſuccedit in æthera Judas,
Ac tum quintus Achaz Cælorum præmia carpit.
Tandem ſextus Areth ſaxorum grandine ſævè
Obrutus, emoritur. Sic diro funere ſeni
Conſumpti fratres, cippóque, rotíſque cruenti,
Ac membris omnes mutili, merguntur aheno
Spumanti, flammâ ignito, lotíque per undas
Fluminis, expertes nævo, nulláque notati
Labe, in ſidereos ſe tollunt protinus orbes.
Atque hæc Cælorum victricia ſigna tulêre
Fratribus in ſenis ſervati legis amores.
Fortior eſt pœnis, ardentior ignibus ipſis
Verus amor Superûm. Vincit crudelia quæque
Ingenia, ac cælo robur, viréſque favente,
Plùs perferre poteſt, quàm dira inferre tyrannis.
Mens etenim vallata DEI, legúmque timore,
Mulciberi ridet furias, ac omne doloris
Alleviat pondus, tormentorúmque furores
Ridet, & inſanas ludit Buſiridis iras.
Sed quid ad hæc genitrix ſobolis certamina ſpectans?
Mota equidem reputa fœcundæ viſcera matris
Ordine naturæ. Non eſt res luſibus apta,

Na-

Natûm ferre neces oculis. At viribus auctus
Cælorum pietatis honos, firmúſque paternæ
Legis amor, potuit premere altum corde dolorem.
Non rigat exhauſtas lacrymarum flumine malas,
Cum Niobe in ſipilum, rupémque abitura: nec alto
Pectore deducit gemitus, planctúque tribunal
Occupat; at vigiles natorum ad funera curas
Admovet; ut charam præcedant pignora matrem,
Præmittátque aſtris, cælo paritura ſecundò
Jam ſeptem geminos melior Cornelia natos.
Sed necdum tragicum deponit Muſa cothurnum.
Quis ſupereſt actus? Funeſta cataſtrophe adurget
Feralem ſcenam. Sepone Camæna pavorem.
Unus adhuc natu minimus, ſi temporis ætas
Accenſenda venit, reſtat, vitalibus auris
Veſcens; cui ſors à ſupplantatore Jacobo
Accidit: ut teneris etiamnum viribus Hebri
Pumilus, indomitos, primâ pietate, furores
Frangat, ſitque fero major virtute tyranno.
Hunc inter bullas primævo flore vigentem
ntiochus ſervare cupit. Quid fraudis adornat
'erſutus Princeps? Puerilem flectere mentem
'ititur à Svada matris, notóque lepôre,
:que jubet charum verbis mollire puellum
l nutum ſolii; recutitos mittere ritus,
cráque Grajugenis confeſtim ſolvere Divis.
c mater licitis ſceptrum luſura Pelaſgum
ibus, officium ſimulat: (ſic ludere technis
c vetat ipſa Themis) non quò dilecta tyranno
nora in obſequium Cidaris, legéſque profanas
gat, ac Danais formandum moribus aptet;
mollem induret pupum, cerámque juventæ
:at in æthereas digito meliore figuras.
prudens genitrix. At quid Chananitis Acanthus?
terræ abjectus, laniemæ certa futurus

Victima decumbit, ſubiturus fata Jacobus
Ultima, céu fratres. Hunc mater caſſa timore,
Vocibus affatur patriis; quò fallat Achivum
Principem, & arbitrium circumſtans ludat amazon
Sarais, æternóque paret ſua pignora regno.
Eja, inquit, fili, noli deſciſcere avitâ
Relligione Patrum. Virtutis tramite Numen
Ire jubet. Fratrum jam lambit tempora Cæli
Laurea, jámque tuo præfulgida adorea baccis
Aptatur capiti; ſi leges ætheris audis,
Nec refugis ſacros teſtari ſanguine ritus.
O charum pignus! Matris miſerere, tuíque
Te pariter tangat miſeratio ſtirpis avitæ
Gemmula: degeneri facto nè forſan inuras
Virtuti patriæ labem, fratrúmque receptos
Sedibus æthereis deformet crimen honores.
Hoc te devinctum naturæ legibus orat
Enixis precibus genitrix. Te ſanguinis author
Obſecrat; ut vitam pro Cælo ponere pergas.
Tolle oculum ad ſuperos ſoboles perchara penates,
Æternúmque animo Numen, ſolúmque reverſa
Pectore, & infames Grajûm aſpernare deaſtros;
Per quos ad ſtygiam planatur ſemita pœnam.
Aſtra inconnivo duntaxat lumine mater
Aſpectare jubet. Cælo provivere fluxam
Addecet ætatem, Superíſque occumbere par eſt.
Hoc vitæ ſpatium, quod fluminis inſtar ad æquor
Accelerat Lacheſis, poterit crudele tyranni
Auferre imperium, ferróque extradere corpus;
Aſt animum, ùt nôſti, divino ſemine cretum
Eripere haud potis eſt. Nulla hunc abolere vetuſtas
Temporis, aut chalybis rabies, flammæque poteſtas
Prævalet; aut fatum perituro ſubjicit ævo.
Macti animo fili! perdura fortiter inter
Sanguineas, crudáſque neces, quas dira tyrannis

Appa-

Apparat: uſuram lucis non perdis amatum
Pignus; ſed vitæ ſpatium, quod ſubjacet anno
Labili, in æternum mutas feliciter ævum.
Jam nos expectat meritis promiſſa beatûm
Regia; quâ ſeni lauro jam tempora cincti
Plaudunt Germani. Tali ſi funus amore
Virtutis ſubeas; te caſto mater amata
Excipiet Cælis gremio, dulcíque fovebit
Baſio, & æthereo cum natis læta vireto,
Texet ſidereas victrici flore corollas.
Vix ea dicta dedit; cùm major ſorte virorum
Roboreâ puer exclamat. Non pareo ſceptri
Imperio; at legis mandata capeſſere fas eſt;
Quæ nobis Superûm per Moſen gratia miſit.
Indè puer non jam lallantûm frangere more
Verba; ſed eloquio pollentem Neſtora vincens,
Atque Periclæo propè fulmine talia fari.
O ſæve, immanis, trux, impie, barbare Princeps!
Perge levare ſitim miſerorum ſanguine tigris
Effera: perge tuis laxare furoribus amplos
Buſiris Danaum frenos, noſtrúmque cruorem
Fundere perge Scinis. Sed ſcito, vindicis iras
Numinis, immites plexurum verbere faſces,
Jámque tuo ſceleri meritiſſima tela parari;
Quæ rigidas properant de crimine ſumere pœnas.
Nos equidem juſtis Divorum dextera flagris
Expiat, ac noſtræ veſana piacula gentis
Tempeſtate gravi plectit, nimbóque doloris
Obruit; at nullâ temeratum nube ſerenum,
Candidiórque ibit Phœbus; dum juſta furoris
Nubila diſcedent, Chananææ debita noxæ.
Supplicium luimus, ſed Cæli ſorte beandum,
Atque immortalem, mortali à funere, vitam
Arbiter æthereus reddet, juſtúmque minerval
In meritum fidei tribuet. Nos vera moratur

Gloria, te probrum. Rhamnuſis ſontica plectet
Crimina Grajugenum, Cæli decreta prementûm,
Ac feriet meritis etiam poſt fata flagellis.
Hæc ubi magnanimo impubes fortiſſimus ore
Prodidit, indomitis Princeps exæſtuat iris,
Totóque ardeſcit vultu, teſtante doloris
Indicem, ab imbelli vinci molimina ſceptri
Pumilo, & opprobriis exponi Regis honores.
Quare vindicibus temerum compeſcere labrum
Stat pœnis ſolio. Quin totam evellere gentem
Stirpitùs, ac regnis pacem fundare Pelaſgis
Decernit Sciron, Phalaríque immanior Hellas.
Indè jubet reliquas, quæ excudit ſæva tyrannis
Depromi actutum pœnas, puerúmque per omne
Supplicii exercere genus, tollíque cruento
Funere: nè poſthac audaci ſceptra laceſſat
Ore puer, ſoliíque minas deludat Idumes
Pupulus, in Danaum probrum, cidaríſque pudorem.
Nec ſe difficilem porrectis pumilo præbet
Artubus, in ferrum, flammáſque paratus abire.
Inſultat crudis manibus, ridétque Procuſtis
Machinam, & in media lanienæ morte triumphat.
Non tener iſte heros crudelia fata ſubivit
Fortiùs, ac natum ſpectavit fœmina mater.
Poſtquam ſeptenam præmiſit in æthera prolem
Invicta Hippolyte Chananitidos, atque Lacænis
Matribus, & Latiis major virtute Camillis:
Jam quoque fata citat, natíſque adjungier ardet,
Ac parere æternam lethali vulnere vitam.
Et nuribus robur mentis, virtúſque propinquat
Fatorum domitrix. Mortis cupit illa theatrum
Unicè, & in parilem natis accedere ſortem.
Nec deſunt votis immitia Regis Achivi
Sceptra, Palæſtinam letho abſumptura Corinnam.
Eſt tollenda, inquit Diomedes Argus, echidna:

Nè

Nè de viperea ſuccreſcant ſtirpe colubri
Ampliùs, in Danaos ſparſuri aconita Monarchas.
Nec mora : fæcundo viduari ſanguine Tevcam
Saraidûm, jubet Imperium, crudóque necari
Funere, & octonum ſepteno funus acervo
Continuò extradi : nè quod fortaſſe ſuperſit
Inviſâ de ſtirpe malum : quod Dorica turbet
Sancita, auguſtóſque probris infeſtet honores.
Plaude tuo genitrix, ſepteno plaude tuorum
Sanguine natorum. Jam non te veſtiet unus
Murex ; ſed tegmen multo fulgebit ab oſtro.
Plaude triumphali Cælorum plaude theatro
Mater, tot lauris, totidémque palæſtrica ſertis ;
Quot mente impavidâ ſpectâſti funera natûm.
Vos verò nati, ſeptena corona, choreas
Ducite in applauſum matri, pæana canentes,
Atque immortales genitrici nectite lauros ;
Quæ vos æthereis genuit feliciter oris.

Septem SS. Fratrum dormientium prodigioſus ſomnus.

DEcio Imperatore Romano, omni genere immanitatis Chriſtianos exercente, ſeptem Epheſini juvenes, germani fratres, Patriciáque familiâ oriundi, metu imminentis ſupplicii, urbe profugi, in montis vicini ſpecu perfugium quæſiêre. Hoc ubi Decius certis rumoribus accepit; miſit continuò, qui viventes, jámque in ſomnum lapſos, obducto muro in ſpelæo tumularent. Ducenti propè fluxerant anni, cùm patefacto exitu, diſcuſſóque divinitùs ſomno, noctem ſe unam dormîſſe rati, Epheſum Malchum fratrem ablegant, victui neceſſaria comparaturum. Is panes empturus, cùm nummos veteris monetæ è loculis promit; oritur in frequenti populo ſuſpicio, clàm effoſi metalli. Quare peregrini cultûs homo ſiſtitur Proconſuli. A quo in ſeveriorem quæſtionem vocatur. Malchus de impoſito crimine ſe purgaturus, ad fratrum fidem, & latibulum provocare; in quod ipſos pridie Decii furor, timórque ſuppliciorum conjeciſſet. Veritatis cognoſcendæ avidus Proconſul, ſpeluncam pluribus comitantibus adit, fraternámque cohortem divi-

nâ

nâ quadam ſpecie refulgentem conſpicit, reique novitate attonitus, ad eorum pedes ſe ſe abjicit. Tum accipit ex viva voce ſeriem rei inaudito prodigio actæ. Illi ſeptimo ab vigilia die, ab humanis rebus ad æternitatis præmia conceſſerunt. *Sigonius Lib.* 13. *Imper. Occident.*

ENdymion mihi carmen erit, non Latmius heros,
Quem circumfuſo pulchri ſoror æmula Phœbi
Complexu dignata fuit, ſeniíque moleſto
Exſolviſſe jugo fertur, donóque ſoporis
Obruit æterno. Non illum Muſa recantat
Somnifero conjuncta deo. Sed clarior orbi
Endymion mihi carmen erit; quem gloria Divûm
Felici excepit gremio, immortale bravium
Sopito tribuens, meritáſque in Martyre laurus.
Hunc dum Calliopes tuba ſuſcitat, altáque rumpit
Otia, non uno ſomnis ludentibus ævo:
Noſtra ſoporato nè Caſtalis obruta probro,
Materiem indecori pariat; vigilantia Cælis
A ſeptem geminis depoſcit robora Divis.
Poſtquam Romuleos truculento munere faſces
Imperiíque capeſſit onus, protruſus Averni
Gurgite feralis Decius: nè ſolus eburno
Conſideat ſublimè thoro; connubia pangit,
Et ſibi ſanguineam ſociali jure maritam
Jungit Sulla novus, crudelia monſtra daturus
Attonitis horrore plagis, queîs terreat orbem.
Et verò innumeros profundit barbara fœtus,
Obſtetrice nuru ſtygiâ, crudelis Enyo,
Semper Cadmêa ſemente feracior, atque
Oſtentis, trepidante ſolo, per cuncta vagatur
Agmina Chriſtiadûm. Mundum formidine complet.

Ter-

Terrificæ irarum formæ, vaſtique timoris
Se portenta immanè rotant per territa monſtris
Lumina; quæ paſſim rabidi documenta furoris
Theromedon dedit Oenotriæ, Phalariſque Quirinus.
Utque gregem innocuum CHRISTI, jurataque Cælo
Pectora, ad infames Dictæi Numinis aras,
Thuráque ſacrilegis cogat ſudare deaſtris:
Chriſticolas vario percellit funeris auſu,
Frangere ſuppliciis ſatagens. Quos verò ſeverâ
Flectere lege nequit, Superis, fideíque dicatos:
Per diras jubet ire neces, per tela, per ignes,
Per notas feritate feras, per ſaxea fati
Pondera, pérque profunda freti, funeſtáque ligni
Opprobria, atque alias crudeli funere pœnas;
Ut Decio rabies ſvaſit. Sed prodiga vitæ
Pectora, purpurei Proceres, præbere cruorem
Fortiter, & ſuperam mercari ſanguine vitam.
Eſt Cæli longum, ſed perbreve temporis ævum.
Verùm cùm longè, latéque cruore natare
Omnia Romuleus jubet Atrêus, ac magìs ardet
Immanes cumulare neces, velut ebria tigris
Sanguine: fulmineum ſiſtunt ſeptena furorem
Lumina Chriſtiadûm, germanâ ſorte creati,
Joniæ gentis Proceres, Epheſíque Dynaſtæ,
Ac regni immortale decus. Si cætera ſpectas,
Quæ claros reddunt: præcelſi nominis ordo,
Heroum robur, ſublimis gloria mentis,
Corporeæ dotes, & amœnæ gratia frontis,
Ac niveo ſpirans pergrata modeſtia vultu,
Supra undas populi, plebíſque efferre myricas.
Hos ut Dardaniis ſervaret barbarus oris
Sauromata, illecebras primùm, mulſúmque propinat,
Ac Hyblam labris; nec non popyſmate mulcet
Verborum, mentes fratrum. Dein thuris honore,
Panchæáque jubet lacrymâ placare Quirinos
Continuò Divos. Si juſſa faceſſere pergant

Romu-

Romulidûm ſceptro; Regnantûm ſpondet amores,
Donáque morigeris, ac vaſtæ pegmata ſamæ,
Amphitheatrali circumportanda theatro.
Sed labor Imperii ſtudio vaneſcit inani.
Caucaſeâ citiùs ſolves de rupe Promethêum,
Ac priùs Heſperium Titan remeabit ad ortum;
Quàm concepta fides abeat, luménque faventi
Sidere tranſmiſſum gentilibus obruat umbris
Vana fides Latii. Rapiunt conamina venti,
Succeſſúſque cadunt. Quare ſuffulta Pelaſgis
Artibus, atque ſtrophis ſceptri ſuprema poteſtas,
Exuit inſigni germanos ſtirpis honore,
Ac gentilitias, fulgentia cingula, bullas
Claro ſubducit generi, rapturus & ipſum
Ævi florentis ſpatium; nî ſacra capeſſant
Auſonia, atque piâ Divos venerentur acerrâ.
Indè animo verſare jubet, conſóque agitare
Inter diſcrimen vitæ, mortiſque: quid iſto
Ordine ſit rerum meliori ſorte parandum.
Ecquid ages germana cohors tractabilis ævo
Vernanti? Quæ fata leges? Quo tramite perges,
Ancipites inter vitæ, mortíſque ſtateras?
Hinc tua Dardanius quatit atria fulgor honoris,
Illicióque trahit magnarum gloria rerum,
Ac famæ ſuccendit amor, pulchrúmque videri
Prædicat, & mixtis invitat adorea ſtrenis.
Indè fera oppugnat violenti horroris imago,
Horridáque ante oculos Libitina exterret, acerba
Pœnarum ſimulacra minans, ignéſque, crucéſque,
Milléque tella rotans, ac funera mille tyrannis.
Alcidis bivium eſt. Virtus, ac noxa propinquat.
At quò ferre manus, quò vota extendere fas ſit,
Fluctuat ambiguo mens irreſolubilis æſtu.
Sic perſæpe metus, ſpéſque uno corde duellant,
Atque per oppoſitas ducunt præcordia curas.
Non ſic cùm rabidi commiſcent prælia Cauri;

Flu-

Fluctivagis agitur quaſſata carina procellis,
In varios impulſa ſinus: céu pectoris undat
Æſtibus, ac dubios verſat ſub corde labores
Fratrum clara cohors. Res eſt obnoxia fatis.
Non equidem Auſoniæ tangunt præconia famæ,
Non periturus honos, non vani nominis aura
Illecebrâ remorante capit; ſed funeris horror
Per trepidas verſat curas, animúmque reſorbet,
Atque ſibi ſubdit timor in crudelia fratres
Fata abducturus. Terrent diſcrimina vitæ.
Unde metu ſvadente fugam, ſe protinus aptant
Ad tutos deferre ſpecus, raptímque paternis
Collectis opibus, partímque in pauperis Iri
Largiter effuſis dextras, omníque ſoluti
Pondere, in Ochlonium ſe projecêre receſſum.
Jam vita in tuto eſt. Degent per ſæcula vitam.
Hoc ubi, perfidiâ ſtimulante, tuliſſet ad aures
Principis Oenotriæ, veracis buccina famæ:
Solis inacceſſam radiis ſepire latebram
Continuò mandat. Sic nempe auferre laborat
E medio fratres. Nè verò revellere ſeptum
Dextra queat, conferto ſaxorum aggere claudi
Præcipit ora cavæ rupis, terráque recondi
Spirantes animas, fidei monumenta daturus,
Ac tumulum generi. Sed nil Buſiridis ira
Proficit: in longum ſe vita exporriget ævum,
Et poſt Dardanii fœdiſſima fata tyranni,
Vita ſuperſtes erit Virtuti; quæ eripit atris
Se Lacheſis manibus, feſtóſque agit orbe triumphos.
Sic virtus ſpectata viget, quam gratia Cæli,
Atque fides animat, multóſque indurat in annos,
Immortale decus præſtans. Sic obruta rupe
Fratribus in ſeptem vitali veſcitur aurâ:
Quippe ubi congeſtâ tumulatos rupe tyrannus
Autumat; in placidum ſubmittunt corpora ſomnum,
Indulgéntque oculis dulcem ſinè lite ſoporem.

Ante fores antri, nec non ſanctiſſima fratrum
Pectora, diſpergit fœcunda papavera Morphêus,
Atque ſoporiferas cum Lethe temperat herbas,
Edomitans curas, omníque labore ſolutos
Efficit, ac trepidos longè jubet eſſe timores.
Sic per bina cubant placidè (mirabile dictu!)
Sæcula: nec ſacros rabidè depaſcitur artus
Sæva fames; ſed nec ſerpit per viſcera tabes.
Nec Libitina ſuis armata furoribus, antri
Septa ferire audet, Cælo remorante ſororum
Barbara fata trium. Vivent in ſæcula fratres,
Nam ſtamen vitæ Numen deducit in ævum,
Ac in longævam decernit abire ſenectam
Corpora, non ullo violanda furore caduci
Temporis, ac Clotûs. Fixa eſt ſententia Cælo,
Septenos, fidei teſtes, producere ſomnos:
Dum noctem amoveant oculis vigilantia ſemper
Numina, prodigium mundo, fideíque datura.
Sic penè in geminum deducunt Morphea ſæclum.
Interea Joniæ civis, de divite cenſu
Adolius, rupis Dominus, ruríſque propinqui
Poſſeſſor fidei, melioris, tecta parari
Præcipit in proprio, fatis urgentibus, arvo,
Armentis mandram, pecoríque daturus ovile
Quod numero innumero accrevit. Nec defuit apta
Materies caulæ. Vicinus quippe miniſtrat
Cæmentum collis, rupéſque obſeſſa parato
Marmore, ſuppeditat faciendæ accomoda moli.
Vix gnavæ fabrûm trullæ rupêre cavernæ
Oſtia: longævum diſcuſſit lumine ſomnum
Arbiter æthereus, rurſúmque reviſere Solem
Præcipit, ac reſidem detergere pollice Morphêum,
Atque bonum vigilare diem. Sed nocte levati
Septeni fidei teſtes, duxiſſe ſoporem
Uno duntaxat, per amica ſilentia Phœbes,
Se noctis reputant ſpatio. At cum luce, timoris

Accedunt umbræ. Decii perſpecta tyrannis
Fortè neces quærens, juſtâ formidine complet
Innocuas mentes. Omnes hæc cura remordet:
Ecquæ Romuleus deſignet fata Procuſtes
In genus electum. Quare mens omnibus una eſt:
Mittere de latebris germanum nomine Malchum;
Cognita quem virtus, & pulchra modeſtia vultûs,
Ac habilis morum gravitas, & gratia formæ
Reddidit in paucis charum, populóque verendum.
Hunc perſonatâ redimitum cyclade, ad urbis
Mœnia delegant, Latiæque tyrannidis auſus
Indagare jubent. Et cùm vacua ilia pulſet
Impacata fames; Cerealia dona parare
Legitimo mandant pretio; queîs improbam edendi
Expugnare juvat rabiem, ſtomachíque latratum.
Vix ferrugineam radiatâ lampade noctem
Phœbus abire jubet cælo, vulgúſque minorum
Siderum, in antiquas cogit repedare latebras:
Cùm ſe ſe Malchus tenebroſâ effundere rupe,
Ac haurire diem, paſcíque abs ætheris aura.
Dúmque gradu tacito, tremulóque per obvia fertur
Æquora camporum, circumvolitante ſagaci
Lumine, per varios, queîs duxit ſemita, vicos,
Omnia formidans: eccum, (mirabile viſu!)
Jam nova ſtat rerum facies. Vetus urbis imago
Deſiit, atque aliis exſurgunt oppida muris.
Jámque aliæ turres, pinnæque perardua pulſant
Sidera: non veteres ſe jam objectare penates,
Aſt alii ſe oculis mirantibus indere vultus.
Hìc Ducis æterni vexilla, trophæáque cernit,
Chriſtiadûm ſublime decus; quod cæca tyrannis
Auſonii damnare Scinis, multóque onerare
Dedecore aſvevit. Crucis hæc ſimulacra, per urbis
Pergama, per vicos, ac compita didita paſſim,
Attonito ſimilem Malchum, plenúmque ſtuporis
Reddere, & in varias diſtractum ſpargere curas,

Hæ-

Hæret ab inſolita perculſus imagine rerum,
Miratúrque novas unius tempore noctis
Surrexiſſe ædes, & ſecum talia fari.
Quæ nos orbis habet regio? Quo climate mundi
Degimus? An patriis hodie verſamur in oris:
Aut colimus terras alio jam ſole calentes?
An ſub Hyperboreum nos fata tulêre Bootem:
Vel fortè Heſperiam, Nabathæáque regna videmus?
Sunt equidem patriæ quædam veſtigia terræ.
Non ſitus urbis abeſt. Eadem faſtigia celſus
Collis alit. Quid quod ſinuoſi littora Ponti
Sunt eadem. Non ſe Nereî, Thetidóſque tulêre
Sceptra aliò: nec ſunt, nisì fallar, diſpare cultu
Jugera Triptolemi, Cereríſque novalia; ſed nîl
Urbi Epheſi de Epheſo ſupereſt. Vetus illa receſſit
Forma, decúſque urbis. Validis ſtant pergama muris;
Verùm alia omnino facie, cinctúque triumphant.
Et quid ſacra DEO trabs hoſpite, nobile lignum
Denotat? An donum fidei, luménque favente
Sidere demiſſum Romanis fulget in oris?
Hoc equidem victrix Cælorum gratia ſummo
Jure poteſt; ſed non hæc execranda tyrannis
Cælica dona meret, noſtríque cruoris hirudo.
Effera, Tænariis potari digna fluentis.
Ergo ſtrophas fallax Latium, fraudíſque theatra
Inſtruit, haud cautos ſic irretire laborans
Chriſtiadas, diróque inſontes tradere letho,
Atque necare fidem, noſtrámque evellere ſtirpem.
Hæc ubi ſollicito formidans corde volutat
Malchus, in umbroſas rurſum remeare latebras
Illico decernit, rem libraturus operto
Conſilio fratrum. Sed cùm non vana timoris
Omina verſarent animum: nè fortè ſubirent
Funus in extremo jam ſtantes limite vitæ,
Atque famis mala præda forent, & victima lethi:
Continuare viam ſtatuit, Cereríſque coëmpto
 Mune-

Munere, ad antiquam greſſum revocare cavernam.
Dúmque petit poſtes urbis bipatente recluſas
Ordine; jam major ſubit admiratio mentem.
Quippe novo cernit redimitos ſchemate cives,
Ac nunquam viſos. Nec jam per vana Tonantis
Nomina jurantes audit, velut obtinet uſus
Joniæ, ac Latii; non per ſtyga, pérque bifrontem
Janum, Latonæque genus; ſed pacta fideli
Munere firmantes, per veri ſigna Theandri.
At nè deſertos peteret dea pallida fratres,
Eſurie exturbante animas; quæ fortè receſſus
Jam patulos adiit: feſtinat cura parare
Perdomitam ſaxo Cererem, bulgáque recluſâ
Eruit æs vetulum, quod ſæcula priſca dedêre,
Ac frugum fabro pretium pro panibus aptat.
Hic ubi ſignatam non viſo grammate maſſam
Conſpicit obrizi, ſolérſque per omnia luſtrat
Et pretium, atque fidem: peregrinum noſcere cenſum
Arte valet nullâ. Quare citat illico cives;
Quos vicina ſuis commercia ſedibus addunt.
Exhibet his auri lamnam, vigilique precatur
Lumine rimentur, pretioſos pondere nummos.
At nulla in veram deſcendit notio partem:
Indagare valet nemo, quâ ſorte, manúque
Cuſa moneta foret. Latii veſtigia, lauro
Inſignita patent equidem; ſed deficit uſus
Communi ſtudio populi. Monimenta videntur
Oenotriæ, ac veterum certa argumenta virorum.
Hinc pro plebejûm ritu, ſuſpectio vulgi
Naſcitur: in tacitas præſentia lumina gazas
Fortuito incurriſſe ſtatu. Muſſare popellus,
Atque ciere alios dextrâ. Ruit undique magno
Murmure vis populi, circumvallátque corona
Civilis juvenem, matrúmque, patrúmque caterva.
Ac cêu per varias maturis floribus herbas
Virgineæ volucres, & dulcis civis Hymetti

Vere

Vere novo rapitur, reſonis per ſidera bombis :
Non ſecùs haud viſum confuſo chromate Malchum
Circumſtare Epheſus, veterémque ſtupere monetam.
Sic ubi turba frequens, latera undique, & undique ſtipat
Inſontis Malchi: gelido riget ille pavore,
Perſvadétque animo, crudeles mittere dextras
Sanguineam Decii rabiem, diríque parari
Supplicii ferale genus. Circumſpicit omnes,
Percurrítque oculis; ſed nullum fata tulêre
Vel generis teſtem, defenſorémve probatæ
Virtutis trutinæ. Patronam ferre recuſat
Turba manum, verſans varium ſub pectore conſum.
Dúmque ſuam innocuus facundo munere cauſam
Protegit, atque probat ſinè fraude, malíque reatu
Eſſe ſibi mentis ſtudium, nullóque teneri
Crimine: chroma novum, veteríſque haud cognita linguæ
Copia, nec non barbaricæ velamina pallæ,
Ac oris pallor, gelidæ formidinis index,
Jam magè ſuſpectum de noxa reddere Malchum.
Suſpicio & vilem populi proſerpit in algam.
Quare continuò inſontem rapiúntque, trahúntque
Ad Rhadamantæos, Prætoria debita, faſces,
Atque ajunt veteres, oſtenſo divite cenſu,
Ignotóque auri pretio, expilâſſe crumenas.
Æacus Joniæ, vultu, cauſâque ſeverus
Arbiter, in tales ſua ſolvit pectora voces,
Juſtitiæ trutinam nobis ſuprema poteſtas
Byzantina dedit. Dubii ſunt credita nobis
Jura fori. Varias rerum cognoſcere cauſas,
Aut damnare reos ſceleris, vel ſolvere vinclis
Innocuos, crudóque probos ſubducere letho
Congruit, Aſtreâ nobis tribuente ſtateram.
Jam tua res agitur. Si impacti criminis orbum,
Expertémque doli, te juris lance probâro :
Eximet urna tibi niveum, cêu jura repoſcunt,
Calculum, & in patrias referet te gloria terras.

 Si

Si verò, ùt minimè remur, te tramite legum
Deflexiſſe probant plebes; nec criminis auſum
Legitimè removes: nigrum te theta manebit;
Quo te nec validæ poterunt exſolvere dextræ.
Ergo, quod Themidos rigidiſſimus ordo requirit,
Ingenuè reſponſa refer. Sic nôſſe tribunal
Cauſarum pondus, trutinâ librante, valebit.
Dic, quibus æthereas primævi luminis auras
Hauſiſti terris? Quo climate fuſus in orbis
Limina? Num obſcurâ, vel clarâ ſtirpe creatus?
Quas ceras atavûm, vel quæ plebeja recenſes
Stamina? Quíſve pater? Quod nomen origine primâ
Ducis? Quos numeras, vel quales ſanguine junctos,
Ordine depromi volumus. Quid rure relicto
Patrio, ad Jonias juſſit concedere terras?
Non celare fidem, ſancti reverentia juris
Præcipit, ut noſtræ ſit veri notio legi.
Fare, age, quas veteres referârit dextera bulgas?
Quóve loco dites cenſus, ac æris acervos,
Argentóque, auróve graves, reperire ſecundâ
Sorte tibi licuit? Vetitâ num Colchidos arte
Lapſus in arcanas, gazâ indignante, latebras,
Viſcatam immiſiſſe manum te fortè fateris?
Eja aje, vera refer, tacitâque in ſede latentem
Pectoris ede fidem: nè fœdæ carceris umbræ,
Admotæque faces lateri, te reddere vera
Supplicii gravitate parent, cogántque fateri
Crimina, quêis certo fortaſſis jure teneris.
Eja age vera refer. Themidos ſic flagitat ordo.
Hæc ubi dicta dedit Prætor: ſua jura tueri
Malchus ad Aſtreæ ſedes, ac talia fari.
Arbiter Joniæ, cuî Gnoſſus, & Æacus urnam
Cedere jure poteſt. Tu ſervantiſſimus æqui
Appendis trutinam, ſubigíſque piâcla fateri,
Quos juris libella citat, legúmque tribunal
Evocat in cauſas; Tua juſta capeſſere par eſt.

Ut

Ut verò noſtræ liqueat tibi notio ſortis :
Ad quæſita, fidem veri, nîl corde premendo,
Reddimus, ac rerum ſeriem, quam lege requiris,
Expedio dictis. Quæris, quæ patria nobis
Primùm ſidereas cum vita faverit auras ?
Quâ ſim ſtirpe ſatus ? Quod nomen origine patris
Ducam, quíve meam contingant ſanguine ſortem ?
Nè verum ſimulare putes, ac arte Pelaſgâ
Ludere : ſum patriis Epheſinus cretus in oris.
Eparchus genitor claris natalibus ortus
Edidit in lucem, Malchi mihi nomina tradens,
Atque opibus, famâque potens, hac urbe ſupremos
Inter agit Proceres, totâ ſpectabilis orâ.
Nec deſunt generis conſortes, ſtirpis avitæ
Lumina; quæ civis multo ſectatur honore,
Summates Epheſi venerans. Hi vera probabunt,
Si lubet ad Latios jus illis dicere faſces,
Quod verò exemptas bulgæ de gurgite gazas
Attinet, has patriæ nobis favêre crumenæ ;
Has dites loculi, quos natis deſtinat arca
Patris, & in lautos dat jura domeſtica cenſus.
Non ſatus Autolyco ſum ſanguine : nec mihi Caci
Obvenit piceata manus. Non ſcrinia quiſquam
Expilâſſe putet : vel Colchidos artibus, atque
Carmine Theſalio, terræ exciviſſe ſepulchris
Arcanas veterum gazas. Nam noſtra flagellat
Arca laborati congeſtos æris acervos,
Immenſúmque auri pondus, ceu fama per ora
Civium, & Jonias nunquam non prædicat oras.
Hæc ubi fatus erat, nullo ſibi conſcius auſu
Delicti Malchus : commota fuêre ſtateræ
Jura, ac arbitrium perculſæ fluctuat urnæ.
Nunquam etenim notus conſeſſi ſanguinis author
Accidit, aut Malchi nomen, vel avita propinqui
Conditio generis. Non certis prodita ſignis
Notio, in aſſertam valuit deſcendere ſortem.

Quare animis pendens, dubiiſque affectibus errans
Æacus, in varios agitur ſenſus, reputátque
Malchum forte ſtrophâ fraudis, tectáque Sinonis
Arte, rigoroſum deludere velle tribunal,
Aut alios agitare dolos. Quò vero Zalevcus
Joniæ accedat vero, per verba tonare
Enthea, & increpitum, latebroſo carceris antro
Imperat actutum claudi, ſtrictiſque gravari
Inſontes artus bojis, & colla numellis
Stringier, atque fidem veri, crepitante flagrorum
Grandine, pérque faces ardentes, pérque cataſtas
Extorquere jubet. Tacitâ ſic nocte latentem
Pectoris, in lucem ſatagit deducere noxam.
Attonat innocuum ſententia barbara Malchum,
Exanguíque horrore quatit, dubiúmque relinquit
Quò ſua fata ferat. Jactat lacrymantia circùm
Lumina; patronam circumſpicit undique dextram.
At cùm nullus opem, ſervatorémque pararet
Ambiguæ rerum cauſæ: provolvitur ante
Prætoris faſces. Lacrymis hìc irrigat ora,
Implorátque aram Themidos, multoque perorat
Eloquio, immeritámque ſtudens avertere pœnam,
Promit, quæ valuit facundæ gratia linguæ,
Atque ita legitimam compellat Judicis urnam.
Cognitor Joniæ, cauſarúmque arbiter æque.
Si fortè innocuam jam meta noviſſima vitam
Jure fori remanet; nec porrò funus acerbum
Declinare datur: ſtat crudo occumbere letho,
Atque pati pulchram pro CHRISTI nomine mortem.
Jámque avet æternum licitari ſanguine Regnum.
Quare de Oenotrio ſcitatur Svada tyranno,
Déque iris Decii quærit: crudelius ævi
Num ducant ſpatium? Pingátne cruore Procuſtes
Chriſtiadûm, Auſoniæ coccum, juríſque ſtateram
Immitis Latii Phinêus, Scirónque gubernet?
Perculit inſoliti Prætorem quæſtio dicti,

Mira-

Miratúrque animum Malchi, feralia quondam
Jura revolventem Decii. Negat, ulla cruentæ
Illius ſupereſſe orbi veſtigia vitæ:
Nec quicquam Joniis hoc de Buſiride terris
Degere, quàm fœdæ teterrima nomina famæ,
Ut terræ, Cælíque probro. Sed Malchus ad iſta
Mirari tacitè; variata ſtupere dierum
Tempora, mutatóſque annos, ac talia fari.
Proxima lux abiit: revoluto Cynthius orbe
Alter adeſt; Geticis Latius quo ſævior armis
Auſonios Decius faſces, & jura Quiritûm
Prætulit Joniæ terris. Hic ſacra Theandro
Agmina, Chriſtiadúmque genus, per mille coëgit
Funera, ſacrilego fumare Sabæa Tonanti
Thura; aut humanam cum ſanguine fundere vitam.
Nos eadem, quamvìs illuſtri ſtirpe creatos,
Oppreſſura fuit, ſtygiis emiſſa caminis
Sævities Decii. Sed certi funeris horror,
Impendénſque metus, nè diræ fulmina Romæ,
In noſtros unà jugulos, ſortémque tonarent,
Illicet arcanas juſſiſſent quærere ſedes.
Quare germani ſeptem, comitante timoris
Aſſecla, ad Ochlonias greſſu non deſide rupes
Tendimus, immanem fugituri hac ſede ruinam.
Utque fidem Themidi clariſſima notio præſtet,
Nec quicquam dubites: ſenos ſupereſſe probabunt
Lumina germanos, trepidâ ſub rupe gementes:
Si non fortè piget te ſcrupea tecta ſubire,
Aut fidam ablegare manum, quæ jura miniſtrat.
Non hìc error adeſt. Non ludimus arte Pelasgâ.
Dixit, & attonitam portenti ſorte ſtateram
Reddidit, atque fidem propè jam perſvaſa dedêre
Pectora jurata Aſtreæ, veríque probare
Pondera Juſtitiæ myſtes, mirúmque vereri
Prodigii teſtem. Sed nè quo fluctuet urna
Præſidis ambiguo; ſancit portenta videre

Divinæ Virtutis opus, Malchoque fidelem
Se jungit comitem, magnâ comitante catervâ
Tum ſtreperæ plebis, tum quos Prætoria juris
Ponè ſequi mandant, ſtipante ſatellite faſces,
Prætoríſque latus. Jam accedet notio veri.
Perge Themis cuſtos, & ſervantiſſimus æqui,
Quò te vota citant. Vires ſuperantia cernes
Thaumata naturæ, non ullis cognita retrò
Temporibus; quæ ſola DEI, ſuperúmque poteſtas
Edidit, immenſam vim teſtatura Tonantis.
Æacus ut notæ contingit limina rupis,
Rimatúrque oculis cautes, & fragmina ſaxi
Circumquaque videt; dubio fulgore coruſcæ
Objiciunt ſe ſe lamnæ. Has dum fortè revolvit
Lumine, percurrítque probè; (mirabile viſu!)
En tibi, ferratis inaratas chalcide ſcalpris
Comperit eſſe notas; quæ fido teſte probârunt:
Jam longo volvi fermè duo ſæcula curſu;
Cùm germana cohors Decii crudelia fugit
Tempora; ut abſtruſo vitaret fata receſſu.
Utque magis veri ſuccedat notio; rupis
Continuò ſpelæa ſubit, viſurus an ævi
Complerint gemini ſpatium, vitæque fruantur
Munere, Neſtoream ſuperantes fortè ſenectam.
Dúmque ſpecum trepidante gradu, longóque meatu
Abdita terrarum penetrat: ſeptena tuetur
Cum Malcho fratrum decora & non vana locutum
Arbitrio propiore videt. Prô thaumata rerum!
Humanos equidem vultus, ac membra ſagaci
Lumine delibat; ſed mirâ luce refulgent,
Inſolitúmque jubar terris abs æthere miſſum
Aſpergunt latebris fratres. Non tetra mephitis
Corpore procedit; nec tabes occupat artus;
Sed ſuper Aſſyrium nares demulcet odorem
Aura ſpecu fragrans. Spirant cælúmque, DEúmque
Omnia quæ verbis produnt. Nec multa locutus
Joniæ

Joniæ Minos, lunato poplite terræ
Labitur, ac fidei teſtes, cêu ſidere miſſa
Numina, magnifico ſupplex veneratur honore.
Bis ternos, unùmque dies, poſt bina ſoporis
Secula, mortalem fratres deducere vitam
Præcipit æthereus Rector. Sapientia veri
Numinis oſtentum hoc voluit; quo vera pateſcant
Thaumata, Chriſtiadúmque fides, iterúmque ſub auras
Ritè probaretur redituros corpore manes,
Atque DEI vires, mentis revocare favillas
In luteam molem poſſe, ac virtute ſupernâ
Qui valuit formare novum, renovare vetuſtum.
Aſt ubi ſeptenum retulit Pallantias ortum :
Ultima lux ſeptem deſcendit fratribus, ævi
Terminus; ut lumen Phœbæâ lampade ſurgat
Clarius, æthereis fulſurum ſemper in oris.
Felices animæ, quas alta ſilentia noctis
Penè quater denis expertes funere luſtris,
Tandem ad ſidereos ſinè nocte tulêre penates,
Æternáſque domos. Sic longos carpere ſomnos
Jure licet, dulci ſic indulgere ſopori ;
Qui demum vigiles ſuperas deducit ad oras.

Judicium SALOMONIS.

3. Reg. 3.

INhæſit Salomoni à primo rationis uſu, ſitientiſſimus ardor ſapientiæ; quam à DEO enixè flagitabat. Hujus conſequendæ conciliatricem habuit pietatem, & fervens precandi ſtudium. Placuêre Superis regno dirigendo accommodæ preces. Plùs accipit, quàm rogârit. Cum acerrima mentis intelligentia, ampliſſimæ opes, & gloria à Cælo data. Specimen animi, ſapientiæ altioris lumine illuſtrati mox præclarum prodidit, in famoſa mulierum duarum controverſia, pro vindiciis ambigui infantis. Erant illæ eodem ſub tecto, codémque tempore fœtu ſolutæ, quem tamen non eodem curabant ſtudio. Altera quippe, dum incauto cubatu, noctu ſuum oppreſſiſſet, alteri in utramque aurem dormienti, vivum ſubripuit. Plagium iſtâ repetente, illâ refragante, conceſsêre ad tribunal Salomonis, ſuper prole ſua acriter, ſed ambiguè diſceptantes. Judex æquitati deditus, jubet in ancipiti lite diſtringi gladium, ſuámque matrum utrique partem in jure dubio

bio tradi. Accepto Regis judicio, commoveri viſceribus vera parens, cedere jure ſuo, cupere ſalvam prolem ſuam, Regémque obteſtari, vivam tradat parti adverſæ. At plagiaria crudelem ex alieno dolore voluptatem captura, dividi poſtulat infantem. Hìc Regum ſagaciſſimus verâ matre deprehensâ, pietatis, & amoris præjudicio, à natura matribus inſito, cauſam ancipitem feliciter terminavit. Famà ſapientis judicii longè, latéque vulgata, maximam apud univerſos Salomoni reverentiam, & gloriam conciliavit.

PRodigio plenam Chananæi Principis urnam,
Aſtreæque decus, nullis æquabile Regum
Legibus, à veræ limatum cote Minervæ,
Dignum Neſtoreâ depromi jure Suäda
Calliope referet. Tantæ non Muſa Sophiæ
Par equidem numeris veniet, Themidóſque tribunal
Majus Aſopiade, condigno ſcandere metro
Ac pede Mœonio potis eſt; cuî deficit omnis
Argolica, & Latii celebrandæ copia fandi.
Ut tamen Iſaciæ legum decreta Minervæ
Pro modulo cantare queat, ritúque canoro
Perſonet: à ſupera tenuem pro more Sophia
Depoſcit radium, nunquam non indiga luce
Cælite; quâ innatas diſpellat pectoris umbras.
Vix ſe Davidides impubi ſorte levavit,
Primíſque exceſſit jam pubes ſcitus ephebis,
Ac veri haud dubium lumen, falsíque tenebras
Diſcrevit jam mente ſagax: cùm mira cupido,
Atque fames animum ſubiit, doctiſſima Phœbi
Caſtra ſequi, ac vero Muſarum nectare labra
Proluere, Aonidúmque choris miſcere Regentis

Mu-

Munera, quò dignas ſolio conjungeret artes
Jeſſiadûm ſapiens Princeps. Hinc jugiter altâ
Secum agitat mentis trutinâ; qui Pallados almæ
Limina, & ingenuas Parnaſſi invadere ſedes,
Ac Cyrrham valeat, claríſque hærere Camænis.
Vix fortè Eois roſeus ſurrexit ab undis
Cynthius, & curæ ſurgunt, animúmque laceſſunt
Principis, in geminos Heliconis ſcandere colles,
Scitáque Pieridum non ſegni corde ſororum
Dogmata ſectari. Vix ſe ſe humentibus umbris
Telluri invexit, ſurvo circumdata peplo
Nox curæ domitrix, placidúmque in laſſa ſoporem
Pectora diffudit Morphêus: pulcherrima ſe ſe
Ferre per auguſtum ſopiti phaſma Monarchæ
Tritonis Superûm, cerebro prognata Tonantis,
Atque in Rege ſui caſtos accendere amores,
Digna omni ſolio mundi, ſceptróque potiri.
Hæc noctis ſimulacra videns, ſpeciémque decoro
Schemate conſpicuam cæli, meritámque coronas
Gloriam: in Abramiam per ludum Morpheos aulam
Deducit Princeps, ſocialia fœdera pangens,
In regni ac populi felicius incrementum.
Tantus amor Sophiæ. Digna eſt hæc Principis arrhâ.
At poſtquàm irriguum detergit pollice ſomnum
Thariadûm Rector; vano ſe phaſmate noctis
Deluſum obſervans, & inanes pectore formas
Somniferum pinxiſſe deum; mœroris obumbrat
Regia corda peplo; tacitas ceſſiſſe per umbras
Dudum exoptatæ gratiſſima dona Magiſtræ.
Quare ſupplicibus, lunato poplite, votis
Sollicitat cælum, rogat, inſtat, Numen adurget
Perdius, ac pernox: ſapientis munera cordis
Ut tandem tribuat; queîs recto ducere juris
Ordine ſubjectos valeat, Themidóſque tribunal
Dirigere Iſacidûm Minos. Plùs quippe ſagaci
Arbitrio pollens Rector, divina Minervæ

Lem-

Lemmata, & excelſum prudenti pectore conſum,
Cêu par eſt, reputat, quàm multos æris acervos,
Ac Creſi gazas, irritamenta malorum.
Nec Regem exornat populari ſanguine tinctum
Muricis oſtentum; non baccâ, auróque refulgens
Frontis apex, ſceptríque decus, ſoliíque tumeſcens
Eſſedum, & Aſſyriis inſtrata tapetibus aulæ
Pegmata; ſed mentis lumen, juríſque ſtatera
Pervigil, & rerum fato prudentia major
Condecorat Regem. Quæ dona ut cælitùs hauſta
Davidides capiat; pietatis mutua ſumit
Arma, ac aſſidui ferventia tela precatûs;
Quêis facilè expugnet cælum, reddátque benignum
In ſua vota DEUM. Votis Cælum annuit æquis,
Dum forſan quatuor, ſpectatus Rector Idumes
Luſtra ævi cenſet, creſcítque in vota Regentis
Ardor, ab æthereo ſapientum dona Magiſtro
Combibere, ac veras Aſtreæ diſcere leges:
Surgit in excelſum Gabaonis nomine collem,
Vertice frondoſo lætum, Cælíque dicatum
Cultui, & æterni devotum Numinis æde.
Millenam hic pecudem divinis immolat aris
Hoſtiam, & enixè rogitat, cêu parvulus, altum
Æthera: quò dociles ſibi tandem mentis honores
Propitium faveat Numen; quêis dirigat Hebri
Immenſum propè jam populum, rectéque gubernet
Auxilio Superûm, commiſſos ſidere faſces
Principis Iſacidûm. Nec votis defuit æther.
Audiit hæc facilis precibus, flagrantia Regis
Vota, panomphæus cæli, terræque Monarcha,
Decerníque ſuam ſuperis transmittere natam
Sedibus, Abramidûm ſolio, pulchrúmque Sophiæ
Deſponſare decus ſupremis faſcibus Hebri.
Hæc ſceptro pariet ſapientis plurima mentis
Pignora, & arbitrii, natóſque parabit in uſum
Conſili, & in Themidos ducet penetralia Regem.

Qua-

Quare dum votis ardentibus aſtra fatigat
Nocte, diéque pius Princeps, doctóque beari
Munere, Thariacas quò juſtè dirigat oras,
Flagitat inſtanter: ſuperâ deſcendit ab arce
Aut genius ſpeciem referrens, aut ipſa Sophiæ
Gloria, cælorum partus, miróque decora
Tegmine, ab æthereis deſumens ſchemata regnis.
Pro! quid Muſa videt? Quæ ſe Dea mittit ab alto
Sidere? Quàm pulchro fulget, plaudítque paratu
Corporis, Oebalios vincens, Tyrióſque colores.
Coccineam roſeis chlamydem, gemmíſque coruſcam
Artubus inſumit, picturatúmque ſereno
Splendet ab obrizo tegmen, viridíque ſmaragdo
Fulgurat, atque alio baccarum lumine claram
Diffundit lucem. Pallam ſtellante micantem
Jaſpide, regali per terram ſyrmate verrit.
Arbore Caſtaliâ præcingit tempora: fronte
Mites diſcurrunt Charites, omníſque Camæna.
Haud dubia ex oculis magni ſapientia Patris
Proſpicit: in pulchras deſcendunt ſidera malas,
Exſuperántque nivem Phœbes. Sed Phœbus inaurat
Cæſariem nymphæ, collucens verticis alto
Suggeſtu, ridénſque labro Thaumantias errat.
Denique quidquid habent ſpecioſi pulchra Tonantis
Atria, & ornatu ſuperis reſplendet in oris,
Omnia in eximiam ſparſerunt ſidera natam,
Jam ſinè commento Pandoram. Hæc prima Dearum,
Fulgida in auguſtos defigens lumina vultus,
Oráque diducens placidè manantia rore
Cecropis, atque thymo fragrantia, talia fatur.
Illa ego ſidereis venio demiſſa theatris
Gratia, & ætherei tibi defero nomine Regis
Nuntia: quò in proprium quidvis depoſcere votum
Arbitrii pro jure queas. Quæcunque regendo
Thariadûm populo, lubet exoptare benigna
Numinis à dextra; pleno tibi ſidera cornu

Effun-

Effundent ſuperis in votum protinus oris.
Fare, age, quæ mentem verſat, ducítque cupido
Rerum? Quo poſcit cumulari munere tantis
Appoſito ſceptris? Dubiis nè affectibus erra:
Quidquid aves, Cælum per me tibi mittere ſanxit.
Deprome aſtutum, quæ ſtet ſententia menti.
Nil hìc cunctatus, flagrantia promere vota
Jeſſæus Princeps; ſuſpiria ducere ab imo
Pectore, & elatis cum lumine in æthera palmis,
Has iterare preces. Lumen de Lumine primo
Efflictim mentis rogito, veríque Magiſtram
Conſilii, ac legum de Cælis poſco Sophiam.
Ingenuæ placuère preces. Hinc filia lucis
Æternæ, in tales deducit pectora voces.
Saraidûm Princeps. Recto tua vota feruntur
Ordine. Quod poſcis Chananææ legis amore,
Approbat ætheereæ cum Aſtrea Pallados ordo.
Et quia non longæ produci ſtamina vitæ,
Nec tibi regales voviſti accedere gazas
Cenſúſque immenſos; ſed ſolum lumen ab alto
Mentis; ut in juſtam deſcendas jugiter urnam
Æacus Abramidûm: cæleſtis luminis imbres
In tua diffudi præcordia; nè quid iniquo
Ordine decernas. Jam ſemper legibus æquis
Cauſæ momentum dirimes, juríſque tribunal
Semper erit citra falſi, noxæque reatum.
Hoc tibi collato ſapientis munere, vincis
Omnes præteritos multo diſcrimine Reges.
Nec tibi par ſurget de cuncta ſorte Regentûm;
Qui tanto vigeat ſublimis acumine mentis,
Quíque regat parili vaſta orbis climata conſo.
Cùm verò à Cælo ſapientis munia Regis
Poſthabitis aliis, quæ mundi ſceptra repoſcunt
Sollicito optâris voto: tibi copia rerum
Affluet, immenſóſque DEUS ſuperaddet acervos
Æris, & omnigenis regni ditabere gazis.

His

His unà accedet tantarum gloria rerum,
Ac laudis, famæque decus; quæ mundus uterque
Attonito ſimilis ſtupeat. Non luderis aſtu.
Æther nec falli potis eſt, nec fallere quemquam.
Dixerat, ac ſuperam ſe rurſus flectit ad oram
Pallas, & optato donatum munere Regem,
Ac lege inſtructum Themidos, Conſóque relinquit.
Tum verò illuſtri ſapientis luce beatus
Jordanis Princeps, veri cognoſcere leges,
Falsíque errores clarâ diſcernere mente;
Creſcere cunctarum ſolers prudentia rerum,
Ingeniúmque animo velocius ire; videre
Omnia, quæ dici valeant, rectéque taceri.
Perfacilè evadit ſapiens, quem ſidera formant.
Denique jam ſapiens Princeps, qui Neſtora longè
Anteit, atque ſophos omnes. Hunc nulla latebant
Abdita naturæ, rerúmque peritia nulla
Effugiit, Themidos lex nulla, aut Maxima juris.
O felix Princeps! felix Reſpublica, cujus
Dirigit Imperii vigilans prudentia clavum.
Nam cêu velivolâ Tiphis volitare carinâ
Per tumidum Thetios regnum, Pontíque furentis
Tutè bella valet, variíſque expandere ventis
Carbaſa; ſi nôrit ſpumantes æquoris iras,
Ac brevia, & ſyrtes, nec non infamia Scyllis
Cærula, & infeſtas ratibus vitare Charybdes:
Haud ſecùs Imperii navim qui ducere juſti
Tramite, per ſævas, quæ ſurgunt orbe, procellas
Noverit, atque fori rixantem ſæpe Maleam
Frangere jure valet: Themidos non ille tribunal
Allidet ſcopulis; nec publica membra carinæ
Imperii, ambiguos rerum deducet in æſtus.
Nunquam Thariacus Princeps, cuî publica rerum
A Cælo commiſſa ratis, per devia juris
Æquora præcipitem rapuit; ſed duxit in æqui
Ordine ad Aſtreæ portum, rerúmque ſalutem.

Unum duntaxat Themidos mea Muſa referre
Molitur facinus, paucóque innectere metro
Davididis trutinam. Sic cêu ex ungue leonem,
Haud ægre agnoſcet, quà ſe ſe porrigit orbis:
Quantum de vera Jeſſæo corde Sophia,
Conſultíque animi fuerit, juríſque perampla
Notio, quæ mundi poſſit diadema decere.
Forſan erant geminæ vili de ſorte profuſæ
Iſaciæ gentis matres, Glyceræque, Hecaléſque
Haud dubiæ abneptes, ſub eodem degere tecto,
Convictúque pari ſolitæ producere vitæ
Tempora, & in turpi ſe conditione locare,
Ac Phrynes quæſtu. Partu fortaſſe ſolutas
Una eadémque dedit felicior hora, cubili
Eôdem diſtentas. Geminâ ſe prole beatas,
Incolumíque ſatu ditatas utraque gaudet,
Nominéque applaudit matris. Sed non in utramque
Par ſtudium prolis, nec cura accedit alendi
Pignoris, ùt gnavam decet accurare parentem,
Altera quippe ſuum incauto ſituata cubatu
Oppreſſit tenerum ſub noctis tempora partum,
Eliſítque animam de parvo corpore nati.
At poſtquàm ignavus cedens abs lumine Morphêus
Deſtituit matrem, primúmque occurreret ulnis
Amplecti ſobolem, lactíſque alimenta tenellis
Suppeditare labris: reperit ſinè munere vitæ
Infauſtam prolem, ſubitóque extradita letho
Pignora lugubris mater. Prô fata! quid iſtud?
Hic primùm in lacrymas, gemitúſque ſoluta, ſiniſtram
Deplorat ſortem, curáſque accuſat inepto
Munera collatas nato. Non lactea dona
Ampliùs effundit; ſed ſalſo rore cadaver
Irrigat, atque graves condemnat corporis artus,
Inſontis cauſas lethi. Sed parvula poſtquàm
Funera ſat multo lacrymarum perpluit imbre:
Vertit ad oppoſitum rorantia lumina ſtratum,

Et geminas, tacito commotu, ſurrigit aures,
Advertítque animos, obſervatura ſagaci
Pectore: num vivam ſervet pars altera prolem;
Aut etiam vitâ ſpoliârit pignus amatum.
Verùm ubi vitales, parvis ſpiratibus, auras
Ducere vicino pupum notat aure grabato:
Alterius fauſtâ macreſcit ſorte Sinope
Improba, & invidiæ ſtimulis agitata, dolore
Tangitur: incolumi rivalem pignore Phrynem
Gaudere, ac matris nomen ſervare, decúſque.
Sed quid agit cognata dolis, genióque Phrynondæ
Fæmina; ut evellat bacchantes corde dolores,
Leniménque ferat? Quis credat, corde volutat:
Quî valeat lætam privare propagine matrem,
Orbatámque ſuo gemebundam reddere nato.
Nec techna effectu caruit. Dum quippe ſopore
Obrutam, & obſtreperos efflare è pectore ſomnos
Thaida cognoſcit Lais: conſurgere ſtrato
Illicet, & gelidam manibus comprêndere prolem.
Indè thoro alterius fatalia membra locare
Parvuli, & æthereo potientem lumine natum
Surripere, atque gradu ſuſpenſo, inferre grabato,
Viventémque ſuo lateri componere pupum.
O vafrum Glyceræ ingenium, ac affine Sinonis
Artibus, atque Ithaci. Genitrix eſt fæmina fraudis.
Interea excuſſo per curas altera ſomno,
Ut primùm evigilat, gnavæ perſolvere matris
Continuò officium ſatagit, niveóque tenellum
Paſcere rore ſatum. Sed nè ſòrs victa ſopore
Membra levet citiùs, quàm provida cura repoſcat:
Admovet ora labris, & pronas applicat aures,
Exceptura levem parvo de pectore ſomnum,
Atque animam pupi exſpirantem lactis odorem
Pergratum matri. Sed cùm veſtigia vitæ
Nulla notat; nec ſe ſe lenis anhelitus oris
Prodit: contrectat molli caput, atque genarum

'lanitiem dextrâ. Prô! terror in ilia ſerpit
Ɩatris. Nam rigido conſtrictos frigore ſentit
ırtus: cêu vero jam parvula membra natarent
'unere, & immiti cecidiſſet victima fato.
Inde ad nativum genitrix revocare vigorem
Iititur amplexu, gelidâque exſolvere brumâ.
t fovet in caſſum. Jam ferrea jura ſubivit
tropos, ac Lacheſis, Clotúſque in limine degit.
oſtquàm jam ſpolium Parcarum, ac flebile funus
omperit: afflicto rumpens ſuſpiria corde,
.uctiſonos edit planctus, complétque cubile
ɩueſtubus, & triſtes effundens voce dolores,
ım ſinè commento Clymene, Niobéque vocanda
ıraidûm, dulci privata propagine mater.
ltera in occultos vigilans Acheloias aſtus:
êu gemitu, fremitúque forent excuſſa ſoporis
fficia, attonitæ ſimilis clamare: quid iſthoc
octe intempeſtâ munitâ perſonat æde?
n vi perrumpit quiſquam, ferróque revellit
ſtia? Quídve notant queſtus, planctúſque profuſi?
ic proprio privata fato, plangoribus ædes,
: gemitu tundens, inter ſuſpiria largis
etibus interfuſa, ſui narrare ruinam
gnoris infauſti mater. Vah ſortis iniquæ
lia, vociferans, inquit, quid mæſta parabo?
:i video fatis natum ceſſiſſe per umbras
ɔctis, jámque gravi lethi torpore jacere
animem, nullâ revocandum Pœonis arte.
ım verò afficto Lais verſuta dolore,
lverſam ſortem miſeretur Thaidos, atque
ındolet horrendo ſubreptum funere natum.
fallax mulier, quæ affectus concipit omnes!
lè petit vafre, quænam contagia morbi,
ɪináve, in pupi genitricis cura notârit
:ubus, interitûs cauſam? Verùm illa reponit:
ınquam lethiferam vernanti corpore peſtem,

Languoríſque iviſſe malum; quod fata citaret
Proxima, & immiti Libitinæ traderet ungui.
Quare iterum in multos effundens lumina rivos,
Immodicos edit queſtus, & pectora plangit,
Pluſque æquo rigidum fatorum incuſat acerbè
Ordinem, in innocuam crudè ſævire parentem
Unius ſobolis. Dum triſtia luctibus implet
Limina: reſponſat clamore, dolore Sinope
Callida, & in fictas cogit ſua labra querelas,
Atque pares Hecales teſtatur vafra dolores.
Sic magnam noctis partem dum mæſto ululatu
Inſumunt matres; hæc verè, aſt altera fictè:
Interea Eois Titan redivívus ab oris,
Noctis regna fugat, lucémque reducit in orbem,
Atque ſuas latè protendit lumine vires.
Dúmque unà infames radium diſpenſat in ædes
Cynthius ipſe ſibi purus, nullóque notandus
Crimine terrigenûm: genitrix inopina reverſat
Funera, tum manibus, tum cauto lumine ſcrutans:
Quæ tandem fuerit defuncti proxima nati
Cauſa, datura ſuo lenimen fortè dolori,
Si genuina mali verè inclareſcat origo.
Sic ubi funereum permultâ indagine pupum
Perluſtrat tacitè, frontémque, genámque, labrúmque,
Ac totum vultûs tractum, molémque reviſit
Corporis: à ductu naturæ ſentit abundè,
Atque notat Phrynes: non hunc cecidiſſe rubentem
De proprio natum gremio; cuî linea vultûs
Diſpar, abſimiliſque foret. Dum cerea verò
Membra videt ceſſiſſe oneri, compreſſáque cernit
Corpora; quod ſolers genitricis cura ſagaci
Munere præcavit: dubio non fluctuat æſtu
Ampliùs, ereptam ſibi noctis tempore prolem
Ducentem vitæ ſpatium, fœdúmque cadaver
Applicitum lateri, rivali fraude Sinopes.
Unde dolor matris juſtas conſurgit in iras,

Illa-

atum repetens plagium, reddíque vigentem
ſtulat inſtanter natum, belléque valentem
ſtitui propriæ matri, cêu flagitat ordo
ris, naturæque jubent ſancita referre.
c quoque in ardentes Hecales verſuta furores
rgere, & impoſitum plagii removere piàclum
titur, atque negat furti ſe jure teneri
imine, & ultrices minitatur ſontica pœnas.
tamen hæc iterum, atque iterum ſibi pignora reddi
aude ablata petit. Negat altera fortiùs. Illa
ſtat ſollicitè, majori voce repoſcens
opria : at iſta vafram jactat per jurgia linguam,
probriúmque jacit, lannáſque in vota profundit
erius juri per certas debita leges.
c tamen hæc vocem reprimit, juríque parentis
minimo cedit ; ſed reddi pluribus urget
blatam prolem. Sed pluribus altera verbis
agitat matrem, probríque aſpergere labe
rgit, & innocuam falſis vexare cavillis.
c paria effundit calidæ convicia linguæ
ra ſati genitrix, ſtimulos addente doloris
ndere, & in varias componit jurgia ſannas.
nque animis ardet pars utraque more furentis
laris, a Bromii veſanis cornibus ictæ,
ncurrúntque pari clamore, ac prælia miſcent,
ligerántque probris; quæ Muſa referre quieti
dita, jure timet. Tandem cùm vera potíri
n poſſet vivo genitrix mœſtiſſima nato :
vocat ad ſolium Regis, Themidóſque tribunal;
od dirimat dubiam juſto libramine cauſam,
tríque attribuat prolem. Non abnuit ire
era ad Iſaciam, cauſæ confiſa, ſtateram :
m videat nullo rivalem poſſe probare
e, vel arbitrio: per amica ſilentia noctis
atam ſobolem, impactíque reprêndere furti.
c ſuperinjecto, quem ſors tulit obvia, amictu,
 Cêu

Cêu geminæ Evmenides properant, crinémque ſolv
Suffuſæque genas pallore, & rauca vomentes
Jurgia per vicos. Vah! quæ convicia, plebe
Subſiſtente, ferunt per compita, ſæva minantes
Plurima, ùt Ogygiæ celebrantes orgia matres.
Dum verò Auguſtal contingunt Principis Hebri
Baſſarides: ſolium poſcunt, Themidóſque tribunal
Actutum pateat; quod nulli claudit Iduméus
Àrbiter, in Cræſum parilis, Codrúmque Monarcha.
Nec ſe difficilem Minos, atque Æacus oræ
Exhibet Abramiæ, juris ſancita daturus
Legum incorruptus vindex, rigidúſque reorum
Cognitor, æqualem nunquam non Judicis urnam
Paupertæ, gazíſque movens. Sunt quippe Regentis
Munera; cuî Themidos trutinam conceſſit Olympus,
Sêu Tros, sêu Rutilus veniat deferre benignam,
Cùm ratio cauſæ depoſcit, Judicis aurem.
Sublimi Princeps ſolio tum fortè ſedebat,
Veſtito obrizi pretio, lamníſque nitente
Lydiæ, & Eoo candenti dentis honore,
Majeſtate gravis. Geminum latus, ære refuſi
Bis ſeni, aut plures ſtipant, ornántque leones,
Et pulchro ad celſum conſurgunt ordine Regem,
Magnanimúmque probant, vultúque, oculíſque loquuntur
Terrarum Dominum, Regúmque, orbíſque Monarcham.
Dum videt ex alto geminas reverenter Erinnes
Ad ſolii cecidiſſe gradum; conſurgere mandat
Illico, percontans: quæ cauſa accedere juris
Orcheſtram jubeat, juſtúmque ſubire tribunal
Principis Iſacidûm? Tum Thais prima vereri
Corpore lunato ſolium, verúmque dolorem
Atteſtans habitu membrorum, talia fari.
Invicte Abramidûm Princeps. Injuria cogit
Appellare thronum; quam præſens fæmina nobis
Intulit, eripiens natum, quem continet ulnis.
Oppreſſit proprium ſub noctis tempora partum,

Haud

Haud cautè recubans thalamo, noſtróque cadaver
Subtruſit vafre lateri, tacitéque revulſit
Hanc vivam ſobolem, nocuo livore laborans,
Me vivo gaudere ſatu. Non fallo tribunal
Tharaidûm Aſtreæ. Sunt conſcia ſidera furti.
Quare age pro juſta cauſarum cognitor urna,
Continuóque jube: mulier mihi propria reddat
Pignora; quæ nobis naturæ contulit ordo.
Accipit hæc unâ Judex æquiſſimus aure.
Verùm cum Themidos rationem nôſſet: utramque
Debere audiri partem; quò momina cauſæ
Apprimè liqueant: jubet illico reddere verba
Alteram, & objectum ſcite convellere crimen.
Tum verò in lacrymas, planctúmque ſoluta Synope
Perfida, in adverſam contorquet talia partem.
Magnanime Iſacidum Rector. Livore maligno
Hæc agitur mulier, noſtræque eſt invida ſorti.
Hæc proprium oppreſſit, per amica ſilentia Lunæ,
Incauto accubitu natum. Hinc oppreſſa dolore,
A viva hac poſcit ſibi ferri prole levamen.
Quem manibus teneo partum, favor Omnipotentis
Obtulit, à nullo tollendum legis iniquæ
Ordine; nî meritas cupiat dependere pœnas.
Eſt meus hic, inquit, meus eſt. Hic altera Regis
Accedit propiùs ſolium, ſimiléſque profundit
Voces, ac inquit: meus eſt, juſtiſſime Princeps,
Eſt meus hic natus. Conteſtor ſidera. Cœlum
Altera teſtatur pariter, lacrymíſque perorat
Utraque, & auguſtum muliebri voce tribunal
Ac planctu feriunt matres, dubiúmque relinquunt
Principem, & ancipitem reddunt per jurgia cauſam.
Dúmque per alternas verborum prælia voces
Saraicæ miſcent Bacchæ; nec pondera rerum
Ulla ſat afferret rationis momine nixa;
At ſolo jus duntaxat clamore probarent:
Concipit eximium Regis ſapientia conſum;

Quò veri ſenſum muliebri corde probatè
Eruat, & certam queat internoſcere matrem.
Plùs quippe affectus prodit, cui ſemper adhæret
Fœmina mobilior ventis; quàm fraude Sinonis
Illitus in nuribus ſermo. Quod pectore celat,
Hoc amor, aut rabies Glyceræ declarat abundè.
Quare, ùt de latebris veræ genitricis amorem
In lucem veri ducat: nudarier enſem
Præcipit Abramidùm Judex, ferròque ſecari
In geminas natum partes; ut portio utrique
Æqualis cedat. Prô! quæ ſententia Regis?
Hic varius populum ſenſus, Proceréſque pererrat
Territum, inauditam ſolio deſcendere legem,
Secum mirantem tacitè. Pars ſæva Monarchæ
Imperia, edictúmque putat: juvenilia cenſet
Pars alia Iſacidûm Regis decreta, genúſque
Conſilii, haud unquam Chananæis proditum in oris.
At poſtquàm eventum ſancitæ legis, Idumes
Perbellè cecidiſſe Patres, plebéſque notàrint:
Non poterunt non Thariaci decreta probare
Principis, & fœtam ſapienti munere mentem,
Omnes unanimi celebrabunt laudis honore.
Cùm disjungendam ſtricto tenet enſe ſatelles
In geminas prolem partes, ferríque micantis
Fulgur in alta levat: corde illico vera moveri
Naturæ impulſu genitrix; attollere vocem,
Ac lacrymis perfuſa genas, edicere: cedo,
Cedo meo juri. Vivum ſervate puellum,
Incolumémque ſatum date protinus, ah date matri,
Ficto jure ſibi adſciſcentis nomina matris.
At contrà clamat Lais plagiaria: ferro
Dividite infantem. Natum partire ſatelles
Illico, ùt auguſti mandata dedêre Monarchæ.
Sit mihi pars ſobolis: pars altera ſit tibi, juris
Quod ratio poſcit. Themidos ſic præcipit ordo.
Interea Iſacidum Minos ſapiente ſtateram

Pondere delibrans, veram deprêndit ab ipſo
Matrem germanam affectu, pietatis aperto
Indice teſtatam ; quæ vivum cedere partum
Malit ; quam ſævis diviſum tradere fatis.
Quare ait : hæc vera eſt genitrix ; huic redde vigentem
Confeſtim prolem. Naturæ jura loquuntur,
Et veri affectûs ratio confirmat abundè :
Hanc eſſe auctricem nati, verámque parentem.
Sic vicit, quæ non ſapienti munere vinci
Debuit Aſtreæ. Semper bona cauſa triumphat.
Sed causâ cecidit, quam condemnaverat antè
Ordo naturæ, quàm Judicis urna, Themiſque.
Atque hoc judicium ſapiens divulgat in orbe
Fama volans, ſolióque refert Chananitidos ipſam
Pallada, & ætheræ portenta ſedere Minervæ.
Ex quo Davididi laudis præconia ſurgunt,
Creſcítque Iſacio celeberrima gloria regno.
O utinam plures ſapientûm munera Reges
A Cælo peterent! Reditum fortaſſe pararet
Aſtrea, in ſuperos à crimine pulſa penates.

LIDERICI

Rigor Juſtitiæ.

JOſeramnus filiorum Liderici natu maximus, fortè cum fratribus propè arcis paternæ habitaculum ludo corpus exercebat. Eò agreſtis mulier, paucas in calatho fruges, poma erant, venales ferens, accedit, æris aliquid levandæ fami prolium collectura. Joſeramnus conjectis in edules fructus oculis, eorúmque cupidine allectus, abrupto luſu, opes ruris à Galathea mercatur, pretium mercis tantiſper jubens eam præſtolari. Verùm diſtracto per alia Joſeramno, ad ſerum uſque veſperum in ſua ſtatione hæret mulier ſpe ſuâ fruſtrata. Quare illuſum ſibi rata, pauperem reviſens caſam, geminam prolem inediâ extinctam comperit. Exactâ inter lamenta nocte, die illuceſcente, utramque prolem ulnis complexa, viam ad Lidericum, jura tum dicentem, corripit, tribunal intrepidè accedit, depoſitíſque humi liberorum corporibus, ſupplex in genua procumbit; cauſæ ſeriem (dolore, & amore diſertam faciente) exponit, judiciique ſeveritatem ab juſto Principe expoſcit. Lidericus re, ùt erat, probè compertâ, Joſeramnum ætatis flore vernan-

nan-

nantem ſecuri jubet ſubjici. *Buſelinus in Annalibus Gallo-Flandriæ Lib: 2. ad annum 955.*

JUſtitiæ feralis opus, Themidóſque ſeveram
Plùs æquo trutinam, faſcéſque per ipſa ruentes
Viſcera natorum, patríſque immite tribunal
Calliope ſtupefacta refer. Vix ulla tulêre
Sæcula, Minois quamvìs de ſtirpe profuſum
Judicis arbitrium; proprium quod funere natum
Tolleret, inſontémque daret ſub ferrea pubem
Jura, ac innocuam macularet ſanguine vitam.
Hanc dum Mœonio ſatagit decurrere plectro
Inſoliti juris lancem: tu robora noſtræ
Aſpira Muſæ, quæ fáſque, nefáſque tueris,
Dudum ſidereis Aſtrea recepta theatris.
Fortè Liderici Joſeramnus gloria, natus
Primævo vernans etiamnum flore juventæ,
Sanguinéque effervens, ludo exercebat amœno
Corpus cum reliqua de fratrum ſorte caterva.
Sic uſus format claris natalibus ortos,
Non unum variis Solem deducere ludis,
Cêu genius tulerit. Primùm ſibi præmia ponunt,
Invitántque animos pretio, prævertere ſe ſe
Curſu adnitentes, rapidíſque attingere metam
Paſſibus ardentes, certi comprêndere palmam.
Poſtquàm laſſatæ rediêre per otia vires;
Sphæromachia placet. Sic fallere tempora, primæ
Ætati, ac vario fas eſt contendere ludo.
Unde pilam geminare lubet, crebróque per altum
Volvere inane placet ſphæram, rurſúſque cadentem
In ſuperas revocare plagas, iterúmque labantem
Pellere præproperè, celsíſque remittere cælis,
Nè vitio quoquam langueſcat ceſpite terræ.
Sæpius expulſim glomeratur, ſæpe datatim
Communi adniſu. Jam pulchrum ſtatur in orbem,

Ille

Ille pilam adverſæ parti, dextræque propinat :
Iſte aliò mittit. Partes ità fertur in omnes ;
Dum totam juvenum percurrat ſphæra coronam.
Vix hoc, pro lubitu, ſtudio, fallente juventæ
Otia, defuncti pubes: cum turben ephebis
Perplacet, appoſitos ſtrepero gyramine ludos
Facturus pueris. Joſeramnus verbere primus
Turbineum impellit buxum. Quem protinus alter
Curvati urget ſpatiis, omnéſque flagello
Exercent, varioſque rotant, verſántque per orbes,
Mirantúrque ſibi parere volubile lignum.
Dumque per inſontes demulcent pectora ludos :
Fortè venit mulier, de Panos ſtirpe creata,
Atque Pales dilecta nurus, Galateáque rure
Prodita vicino. Pomonæ hæc munera portat
Texto de juncis calatho, quæ diſtrahat, æris
Mercatura aliquid, Cererémque datura caniſtris;
Quò ventris rabiem, ſtomachíque arcere latratum
A ſe, atque afflictis valeat pauperrima natis.
Flandria tum ſævo dominatu preſſa gemebat
Urgentis ſua damna famis; quæ plurima regno
Funera, & innumeras egit per compita ſtrages.
Hæc dea, vel monſtrum potiùs de ſede profuſum
Tænari, in exitium populorum exporrigit ungues
In conum rigidos. Scabros rubigine dentes
Exerit, atque parem cum letho flagitat eſcam.
Pallorem vultu, buxúmque per ora vagantem,
Exeſáſque genas macie, fugitiváque retrò
Lumina, & horrorem ſtabulantem pectore Flandris
Exhibet, ac vaſto inducit jejunia regno,
Inferníſque parat convivia plurima menſis.
Ac primùm agreſtes, præſente tyrannide, mandras
Involat, & viles ſævè bacchatur in artus :
Quò Cererem expellens arvis, Panóſque labores
Jugere camporum profligans, proximet urbi
Fata, necéſque paret. Jámque indiga tecta ſubibat
Affli-

Afflictæ ruris Glyceræ, lethoque tributum
Pendere in extinctis decrevit barbara natis.
Hanc implacatam tuguri quò limine peſtem
Arceret miſeranda nurus : (velut ante canebat
Pieris) arboreos fœtus deportat in urbem ;
Quò rediens, natis Cerealia dona reportet.
Forſitan in dulces Joſeramnus lumina fruges
Conjicit, allectus (ceu fert hæc mollior ætas)
Munere Pomonæ, multáque cupidine ductus,
Ac ſtimulos addente ſiti, ſedare calorem ,
Atque avidum flagrat votum. Nè funera pomo
Inſideant, metuo. Sed vernans flore juventa,
Haud ullâ properi capitur formidine lethi.
Quare continuò lætos abrumpere ludos ;
Mercari jam ruris opes ; ſpondere Napææ
Excedens fruges pretium, paulúmque morari
Præcipit ante patris locupletes Principis ædes :
Dum ferat in mercem promiſſos dextera cenſus.
Hic ſe ſe, ac fratrum, perdulci fruge, catervam
Recreat è voto. Sed cùm non omnia poſſent
Munera Pomonæ germani abſumere ; ad aulæ
Limina ſe propero, reliquis comitantibus, urget
In ſua fata gradu, calathóque recondita ruris
Dona, per illuſtres diſpenſans illico turmas,
Gaudet, & inſolito ſubſultat puſio plauſu,
Poſſe placere ſuis. At poſtquam recreat aulam
Hortenſi ſpolio ; lætos ſe fundit Acanthus
In varios pro more ſales, multóque lepôri
Deditus, urbanis abſumit tempora ludis.
Interea ex animo, totóque è pectore mittit
Pollicitum frugi pretium ; quod debitus ordo
Exigit, & longas Galatea moratur in horas.
Crebriùs hæc oculos reflectit ad oſtia clauſtri
Nobilis, atque ſuâ ſtatione moroſiùs hæret,
Promiſſúmque avido cunctatur pectore cenſum,
Per famulatrices mittendum jure labores.

Ve-

Verùm cùm Titana videt, creſcentibus umbris,
Jam properè Heſperias ſe ſe inclinare ſub undas,
Tellurémque notat tetrâ caligine noctis
Obrui, & aſtrivagam ſuperis conſurgere Phœben
Orbibus, ac nullum, clauſis jam poſtibus arcis,
Vernili ſe ferre gradu, qui debita frugi
Solveret: illuſum retur ſibi ruris alumna.
Unde abit in mœſtos gemitus, & perpluit ora,
Atque genas lacrymis. Tum palmis pectora plangit,
Luctiſoniſque ferit ploratibus æthera, ſortem
Incuſans miſeram, quæ ſéque, ſuóſque maneret.
Omina ſunt fati. Libitina mapale ſubintrat.
Ecquid agat fructu, nummóque orbata miſella
Ælia; quóve ſuam ſpem, rémque exporrigat ultrò,
Ignorat penitùs. Quare diſcrimine mota
Pignoris, ad propriam revocat ſe concita mandram,
Ac celerat curis comitantibus, atque dolore
Stipata haud modico, viſura lare: ecquid edendi
In natis rabies, ac dura patrârit egeſtas
Interim, & eſuries vacuos diſperſa per artus.
Dum magale ſubit, ſcirpo, cannáque paluſtri
Conditum; ut indaget, quæ ſors miſeranda peretret
Pignora: (prô ſuperi!) Libitinam munus obiſſe
Hoſpitæ, & auxilio famis extinxiſſe gemellam
Deprêndit ſobolem, duntaxat pelle, meríſque
Oſſibus hærentem. Tum verò funera matrem
Exſternant, errántque animo ſinè voce dolores.
Mens torpet conſtricta malo, lacrymíſque, oculíſque
Duntaxat loquitur: tacitum ſub pectore vulnus
Attonitæ ſimilis nutrit. Sed mœror in auras
Corde fremens exire parat. Tandem ergo ſoluto
Oris conſtricti vinclo, triſtiſſima fundit
Murmura, lamentíſque auras, viduúmque mapale
Pignoribus, replet. Jam protinus ire ſuprema,
Funereo mater gemitu, ſibi fata precatur.
Jam diras vomit in juvenem ſibi penſa negantem
Debi-

Debita pro arboreo fœtu. Jam amplexibus ambit
Ereptam fatis ſobolem, longéque ſecundam
Natorum reputat ſortem, per jura levatam
Præcipitis lethi, multóque labore ſolutam,
Innumeráque mali ſerie, quam fata parabant.
Jámque optat Pyliam natos provivere vitam
Afflictæ matris columen, Lacheſiſque furores
Crebriùs incuſat: properatis ſtamina penſis
Incîdiſſe æquo citiùs. Sic queſtubus altam
Inſumit noctem, variiſque affectibus errat,
Atque animo verſat longi tormenta doloris.
Ipſa adeò tacitæ moderatrix Cynthia noctis
Attonitam ſiſtit bigam, triſtéſque Napææ
Accipiens planctus, miſeretur fata perempti
Pignoris, & denſis involvens ora tenebris
Ingemit, ac tepidis humectans lumina rivis,
Irrigat agreſtes lacrymarum rore penates.
At poſtquàm niveam regno diſcedere Phœben
Boſphorus imperio cogit, roſeóque reſurgit
Pallantis curru, croceo velamine corpus
Fulgida, purpureóque orbi ſpectabilis ore:
Mater utrumque ſatum validis complectitur ulnis,
Pergrave jam pondus. Funeſtâ hac mole gravata,
Mox iter ad claras Liderici corripit ædes,
Juſtum flebilibus compellatura tribunal
Vocibus, ac æquum Nemeſis petitura rigorem.
Dum rapido fertur per devia, & invia greſſu,
Ac nemorum penetrat ſaltus, lætáſque Dianæ
Percurrit ſedes: ſylveſtria numina Fauni,
Latonam geminâ reputantes prole beatam
Viſere fortè nemus, plauſum, choreáſque parare
Occipiunt Divæ. Sed dum petulantia figunt
Lumina capripedes, propiúſque accedere tentant,
Ac geminum cernunt funus portare lacertis:
Protinus in veteres, perculſi horrore, latebras
Præpropero ferri curſu, nymphâſque monere

Illi-

Illicet, arboreis ſe tutè ſedibus abdant ;
Nè per Hamadryadas lethi contagia ſerpant.
Interea celerat Galatea, ac proximat urbi
Impavido greſſu. Terrentur funere matres
Obviæ, & exanimes horrent accedere proles.
At poſtquam gemino Liderici ad Principis aulam
Pondere onuſta venit, ſe ſéque impellit anhelo
Spiritu ad Aſtreæ propiùs Galatea penates :
Continuò ad juſtum lugubri voce tribunal
Flagitat admitti, cauſam dictura diſerto
Naturæ eloquio; quod ruris Svada docebat.
Nec ſannæ removent famulantûm ab Judicis urna.
Non Proceres arcent: nec Principis ora, thronúſque
Majeſtate gravis, nec verba tonantia juris;
Sed vultu intrepido Themidos ſe ducit ad aram,
Regni incorruptam compellatura ſtateram.
Hìc gemina extincti mulier mœſtiſſima nati
Corpora deponit terræ. Submittit utrumque
Poplitem, & ante ſacram juris provolvitur aram,
Verba parans, quæ dictat amor, juſtíque dolores.
Jámque ad Juſtitiæ myſten, ac Æacos urnam
Attonitam novitate rei, vel talia fatur.
Rutheniæ Princeps. Te Flandria jure veretur
Æquum aſſertorem legum, veríque patronum.
Ut verò cultor Themidos vulgeris in orbe ;
Excute jam juſtam cauſarum cognitor urnam.
Materiem juris præbent tua viſcera nati,
Atque mei, vili quantumvis ceſpite creti.
Quas hìc ante tuos, lugubria funera, proles
Depoſui Liderice pedes; Joſeramnus iniquo
Ordine ad infernas miſit crudeliùs umbras.
Nam dum ſe in varios propè ſepti mœnia ludos
Effudit germana cohors: me ponè ſubire
Contigit in calatho portantem munera ruris,
Pomonæque ſatum; quem venum exponere ſvaſit
Dira fames, noſtræ plùs æquo immitior oræ.

His nato eſurie preſſo, ſuccurrere matris
Officio volui. Naturæ quippe repoſcunt
Jura, arcere malum, quod fatum pignoris urget.
Vix fortè arboreos conſpexit lumine fœtus,
Allectus Joſeramnus erat. Flava illico poſcit
Dona, appromittens juſtum pro merce tributum;
Quin æquo majus pretium, ſi poma faverem.
Expedio actutum, certâ ſpe ducta, caniſtro
Munera Pomonæ; præſtolans debita frugi
Penſa abs magnifico confeſtim limine, matri
Transmittenda inopi. Sic natis ære parâſſem
Edomitam ſaxo Cererem, durámque fugâſſem,
Atque implacatam rabiem, quæ ſævit, edendi.
Verùm dum pretium pro frugibus, ante penates,
Ad primum noctis regnum, præſtolor: ab aula,
Vectibus, ac ferro probè clauſa nemo venire,
Nemo ferre æris quicquam; quod jure merentur
Gratæ ruris opes. Quare diffidere rebus
Occipiens, nullo pro merce beanda tributo:
Continuò ad proprias ſedes feſtina reflecto,
Me curâ comitante, gradum; viſura, quid urgens,
Ac maleſana fames tenui perſolverit æde.
Et (prô me miſeram!) geminum afflictiſſima funus
Invenio mater, fatúmque ſubiſſe mapale,
Ac famis imperio, natos miſiſſe ſub umbras.
Huc ſuprema egit ſobolem penuria rerum.
Utraque vitales etiamnum carperet auras,
Tradita jam letho proles, matríque levamen
Pluribus adferret luſtris; ſi clara propago
Principis, in fruges miſiſſet jure minerval:
Aut ſaltèm matri Cerealia dona dediſſet
Natorum in vitam. Joſeramnus denique fatis
Hanc ſobolem expoſuit, longóque excuſſit ab ævo.
Jam Liderice tuum eſt, Themidos verſare tribunal,
Atque nefas nati quamvìs, expendere juris
Ordine; ùt æqua jubet nunquam non Judicis urna.

Vindicis, an Patris perſonam cauſa requirat,
Arbitrium ſapiens ſtatuat. Ventura loquentur
Sæcula, vel quæſitorem, vel Patris amorem.
Hæc ubi dicta dedit, Liderici pectus acerbat
Ingens materies luctûs, dumúſque doloris
Aſperat, atque rubi curarum viſcera pungunt.
Ut verò accedat delatæ notio cauſæ
Integra, & objectum, Phœbæâ lampade, crimen
Clariùs in lucem veniat: jubet illico ſiſti
Juris ad orcheſtram, multâ præſente coronâ
Rutheniæ Procerum, majorem ſanguine natum;
Quò juſtas Minos cauſæ moderetur habenas.
Nec mora: confeſtim Joſeramnus juſſa capeſſit
Judicis, atque Patris, nullius conſcius unquam
Criminis, aut fati vel jura remota paveſcens.
Ut verò ad Themidos propiùs ſe ſe intulit aram:
Continuò, citra ambages inquirere juſtus
Cognitor: an fruges æquo perſolverit ære
Præſenti ruris Glyceræ? Depromere verum
Imperat actutum ſobolem; quò cauſa liqueſcat
Illicet, atque ſuo procedant jura tenore.
Hìc natus reſponſa Patri pro more referre
Obſequus, à fuco fraudis, falsíque remotus
Crimine, ſe dulces, autumni munera, fruges
Ingenuè à præſenti Hecale accepiſſe fatetur.
Quod verò pretium merci non penderit æqui
Ordine, id ex animo fluxiſſe per otia, pérque
Aularum ludos. Nec Judex plura requirit,
At ſecum tacito diſquirit jure; quid urna
Exigat Aſtreæ, quid præſens cauſa repoſcat.
Interea Proceres ſuſpenſa ſilentia Patris
Attonitos reddunt, muſsántque, timéntque ſeverum
Principis arbitrium per fulmina juris iturum.
Dúmque per ambiguum ſua verſant lumina vultum,
Obliquóque notant oculo, certóque videre
Indice nituntur, quid Princeps mente volutet:

Affe-

Affectum Patris, cum Judice mutua bella
Miſcere obſervant. Jam quippe rubere minanti
Arbiter obtutu: jam pallor in ora migrare,
Ac varios animo luctantes prodere ſenſus.
Tandem ſepoſito chari genitoris amore,
Affectúque omni penitùs miſſo, Æacus æqui
Induere officium, ſævíſque addicere fatis
Dilectam quamvis ſobolem, ſancitáque mortis
Continuò proferre parat. Quod provida Patrum
Ritè corona notans, ſortem miſerata tenellam:
Præproperum ſolii conſum, juríſque rigorem
Conſilii gravitate ſtudens inhibere, precatur
Suſpendat lancem Themidos, rigidúmque tribunal.
Verùm unus Procerum pro nato talia fatur.
Rutheniæ Minos, Patréſque in jura vocati,
Quædam pro innocua liceat mihi dicere cauſa.
Cui hæc jura volunt nigrum præfigere theta,
Ac damnant capitis; primævo flore juventæ
Vernat, maturos necdum de pectore fundens
Ætatis fructus. Quiddam juvenilibus annis
Eſt indulgendum. Non hac ætate moratúr
Cónſultæ mentis ratio; ſed cuncta geruntur
Pro genio, rerum nullo diſcrimine facto;
Quò temerè impubes agit impetus, atque volendi
Quidlibet affectus. Pronus per devia fertur;
Cui necdum veri accendit prudentia lumen.
At demus plenâ jam mentis luce nitere.
An non patronam Joſeramno pôrgere dextram
Fortè queat, quod jura probent, altiſſimus ordo
Sanguinis, atque genus tot avorum ſtemmate ductum?
Quid? num tot dotes, quas mente, ac corpore ſparſit
Communis rerum genitrix, illíque benigna
Comprimis tribuit mater natura, perire
Jura ſevera ferent? An non ad ſumma creatum
Sátque, ſupérque probat genii præcelſius aſtrum?
Ergóne conſpicuum decus oris, pulchráque frontis

 Gra-

Gratia, in exangues Libitinæ proruat ungues?
Si non iſta movent: poterit de lege ſecuri
Eximere inſontem facinus, ſceleríſque reatus,
Solâ duntaxat juvenis levitate patratus,
Atque ex immemori Joſeramni corde profectus.
Accedit, quod fata arvis crudelia, non ſint
Unius Phœbi ſpatio, ſed pluribus ægræ
Attribuenda fami. Potuit prævertere mater
Nati immaturum funus, Lacheſíſque rigorem;
Si venum expoſitas in prolis pabula fruges
Aptâſſet ſolers genitrix, ignîque ſubacta
Munera Pomonæ in ſobolis pulmenta parâſſet.
Inſuper in Patrem Joſeramni ſumma poteſtas
Principis, ac populi regimen, júſque obvenit altum,
De re communi non uno nomine multùm
Promeritum; cuî jure queat, reputante coronâ
Patrum, ſervari natus, ſpes maxima ſtirpis,
Primúſque in patrios olim venturus honores.
Non eadem Auguſtal pœnarum fulmina tangunt;
Quæ feriunt algam populi, plebíſque myricas.
Altior in fortis Joſeramnus culmina ſurgit,
Eſtque ſtatu major, quàm ſit perſona putato
Læſa malo. Poterit congeſtis æris acervis
Sarciri damnum matri; cuî copia rerum
Gratior adveniet; quàm ſors infauſta mapalis,
Agreſtéſque ſati paupertæ mole gravati.
Quódque rei caput eſt: nullus pro crimine pœnas,
Suppliciúmque luit, nisì certa volunta nocendi
Indicio pateat. Sed nulla volunta nocendi
Indicio patuit: cùm nunquam funera ſigno
Exterius patulo dederit, quod plurima virtus
Exhibet; ergo nequit rigidas exſolvere pœnas
Innocuus ſceleris: nisì Princeps labe notari
Pervelit immani, Nemeſíſque incurrere flagrum.
Hæc ille. At contrà Lidericus talia reddit.
Quæ quis agit juri, rectíque adverſa tenori,

Subjecta in pœnas, eadem patiatur, ùt æqui,
Atque fori ratio poſcit. Qui funus iniquè
Intulit; is pariter meritæ ſit victima mortis.
Hac juſtum Numen tribuit ratione ſecures
Rectori populi; ut leges tueatur, & æquum.
Qui peccat, pereat. Sit pœnæ fulmen in unum
Vibratum à juſta Nemeſi, terrórque, metúſque
Pluribus; ut caveant, quod ferri jura meretur.
Nil hic ætatis ratio, nil forma, genúſque,
Cognatúſque valet ſanguis, vel ſumma parentum
Spes fundata ſato. Sit viſu orbatus oportet
Aſtreæ, Nemeſíſque oculus, nullóque laboret
Perſonæ obtentu. Verum, non gratia vincat
Urnam. Non odium, non clari ſanguinis ortus,
Deprimat in proprium juſtiſſima pondera votum.
Qui reus eſt, pœnas ſubeat, quas regula juris
Legitimè ſanxit. Quem certi nulla probârunt
Jura reum ſceleris; Judex ſubducere letho
Cogitur, ac meritis delicto exſolvere pœnis.
Quid multis? mortem meruit Joſeramnus iniquo
Crimine; qui geminis induxit funera natis.
Juſtitiæ ſpecimen dabimus; quò poſtera diſcant
Sæcula, depoſito dilecti Patris amore,
Omnique affectu miſſo, nos Judicis æquas
Aſſumpſiſſe hodie, pro juris munere, partes.
Dixit, & illuſtrem damnavit crimine natum,
Mortique addixit, rigidóque extradidit enſi.
O mirum juris ſpecimen! quod ſanguinis alti
Nomina, ſpéſque omnes excelsâ ſtirpe locatas,
Poſtpoſuit legi patriæ, mollique remoto
Jure, nec in proprium ſuſpendit tela cruorem.

MANASSES *reſipiſcens.*

2. Paralip. 33.

MAnaſſis vita aliud non erat, quam vitia: per omnia genitoris Ezechiæ antitheſis, proborúmque hoſtis acerrimus. In ipſum adeò DEUM machinis ſcelerum pugnavit, idolomanniæ, artibúſque necromanticis comprimis addictus. Iratum tot malis Numen, vindex pede non lento acceſſit. Vix quippe ſeptennium exegerat in regno; cùm Babylonii crebris in Palæſtinam excurſibus volitantes, Manaſſem flagitiis, & ſaginæ immerſum capiunt, vinctúmque catenis, ac compedibus, Babylonem aſportantes, in carcerem compingunt. Felix ei fuit calamitas. Ubi libertatem amiſit, mentem recepit. Inter cuſtodiæ tenebras, luce ei divinorum obortâ, videt, quæ patravit. Unde vero cordis dolore tactus, ingemit; lavat fletu crimina; perdius, & pernox miſerationem Cæli inclamat. Auditur à Numinis clementia. Immittitur Nabuchodonoſori, qui miſerum habebat in vinculis, cogitatio de fortuna Regum, & viciſſitudine rerum humanarum. Hac penitiùs expen-

expenſâ, jubet exſolvi captivum, remittíque in Palæſtinam. Manaſſes priſtinæ ſorti redditus, de impio ſe pium, de ſacrilego ſanctum præſtat. Et qui nuper impietatis vexilla publicè prætulerat; nunc omnes, anteſignanus ad virtutum exempla, præcedit.

IMmenſam ſcelerum ſeriem, per fanda, nefanda
Quæque catenatam, fideíque, DEóq; rebelle
Crimen, & Abramiis æternum dedecus oris,
Atque probrum ſolii per regia limina fuſum
Muſa heroa canet. Sed tandem crimina multis
Diluta à cidari lacrymis, veríque doloris
Argumenta dabit; per quæ miſeratio Divûm
In veniam facilis, toto vulgetur in orbe,
Ac major pateat ſummi clementia Cæli;
Quàm quodcunque nefas humano more patratum.
Hoc mite aſtrorum ingenium, ſempérque benignum
Æthera, ut appoſitis Heliconia virgo cicutis
Decantare queat; præſentem in vota Tonantis
Orat opem, poſcítque epicos in carmina nervos.
Poſtquàm Thariacæ celeberrima gloria terræ
Ezechias fatis ceſſit, veríque Monarchæ
Omnes explevit numeros: è lege recepta
Abramidûm, in patrios natus ſuccedit honores,
Sceptráque Jordanis. Sed non virtutis avitæ,
Atque Patris ſequitur veſtigia pulchra Manaſſes.
Effuſis etenim per ſontica quæque lupatis,
Indomitâ feritate ruit, ſcelerúmque pudendo
Dedecore Iſacii fædè contaminat oſtrum
Principis, Imperii probrum, mundíque catharma.
Et quantùm Ezechias Princeps aſperſit honoris
Saraidûm cocco; tantùm ſucceſſor inurit
Opprobrii, labémque infert Chananitidos oræ.

Sic quandoque bono ſuccedit peſtis iniqua
Principi, & expertem ſceleris, nullóque notatum
Crimine, nonnunquam vitiorum labe Monarcha
Infamis ſequitur. Mira alternatio Regum eſt.
Quin mitem interdum, ſævâ feritate Lycaon
Excipit, ac ſolio tigrem, rabiémque leonis
Collocat, omnigenum ſtatuens in ſede Regentis
Flagitii oſtentum. Talis fuit ille Manaſſes
Dedecus Abramidûm, virtutum degener hæres,
Omnia purpureo vitiorum monſtra theatro,
Sauromatúmque locans furias, Buſiris, & Atrêus
Alter; vel ſi quid pejus natura profudit,
Aut Erebus mundo. Si vaſti criminis auſus
Percenſere licet Muſæ: contraria Patris
Omnia virtuti, perculſa hôrrore profundet
Caſtalis; ut caſtam par eſt cantare ſororem.
Nam quæ ſollicitis in regni munere curis
Ezechias Pater erexit; vecordia nati
Diruit, ac totum noxis peſſumdedit Hebrum.
Ille Acherontæis, cæcante errore, tenebris
Eruit in lucem fidei ſubjecta coronæ
Agmina, & Iſaciam gentem per vera Tonantis
Lemmata deduxit, callémque oſtendit honeſti.
Iſte jubar fidei ſcelerum caligine mergit,
Saraidúmque plagas fœdis erroribus implet.
Sic cæli evertens cultum, pietatis honorem
Proterit, ac vetitis involvens omnia noxis,
Exturbat patrias leges, juríque ſupremo
Indicit bellum. Propriâ jam lege gubernat
Se temerus Princeps, tribuens ſibi Numinis aras,
Ac præceps agitur, quò ſola lubentia ducit,
Atque Paphis regnum. Prô quæ veſania Regis!
Ille è divinis ſimulacra pudenda revellit
Sedibus, ac delubra Deûm, lucóſque Tonanti
Sacrilego, obſceníſque diu ſacrata deabus
Fana perire jubet. Sic vero limina reddit

Nu-

Numini, & auguſtas Superis exſurgere ſedes
Præcipit, ac puros aris ſuccedere myſtes.
Hoc cultu erecto Cælis, veróque Tonanti
Ad ſtygias urget Colchin repedare paludes,
Et Circes ſocios, Ææáque carmina regni
Finibus expellit. Verùm ecquid degener hæres?
Vah immane nefas! Hic diruta tecta Deorum
Imperat in veterem, ſumptu non impare, molem
Surgere, & haud viſo Divûm clarere nitore
Atria; quò rutilis tumeat Saturnia Juno,
Ac Cypridos cœnum, inceſtúſque Dieſpiter aris.
Jámque etiam caſtâ redimitos tempora fronde,
Vittáque inſignes, ſacris everrere myſtes
Ædibus, & Thuſcos tectis ſuccedere vates,
Theſtoridéſque jubet, fibris, extíſque Deorum
Fata explorantes. Quid quod de Colchide peſtem
Evocat, & Marſos Latiis educit ab oris,
Theſaliæque genus Circæo murmure terris
Noxium, & omnigenas Ææ Phaſidos artes
In ſua vota citat: non tam portenta novarum
Percupidis rerum geniis, oculíſque daturus
Gaudia; quàm vero ſannas, ac probra Tonanti
In fidei opprobrium. Nec ſolùm tecta profanat
Numinis, à magico fanis reſonantia ſemper
Carmine; ſed varias demandat crebriùs artes
Ludere, in exitium popularis ſortis, Iduméus
Theromedon, verus Phalaris, regníque Procuſtes.
Ah quoties nocuos vomit in præcordia ſuccos:
Aut jecori defigit acus, mortéſque propinat
Mille modis ſævus Princeps. Quin phaſmate mentes
Ludit, & in fœdas magico ſtridore figuras
Corpora tranſmutat, portentáque mille procurat
In ſolii plauſum, ac populi, ludóſque miniſtrat
Tænaro, & infernis præſentat regna caminis,
Jam quoque marmoreis Majorum fata ſepulchris
Evocat, & longam ſeriem deducit avorum,

Ludibrio fallente oculos, terrétque, ſimúlque
Recreat obtutus. Virides jam carmine ſcenas
Alite multigeno reſonas, ac luſtra ferarum
Effera proponit, ſylváſque, ac ſaxa choreis
Implicat, & miris paſcit fera lumina ludis.
Crebriùs & liquidos, fontis primordia, rivos
Quærere reflexu cogit, ſiſtítque vel ipſa
Flumina Jordanis, plauſúmque à Najade poſcit.
Sæpe etiam roſeum nimbis Hyperionis orbem
Occulit, atque diem cælo, terræque per umbras
Eripit, ac nigris involvit ſidera peplis,
Attonito viſis populo. Quódque Aonis horret
Prodere, ſanguineâ defœdat labe frequenter
Conſpicuum Phœbes vultum, parilémque coloſtro,
Dictynnámque ſuo medio ſuper axe laborat
Siſtere decurſu, terríſque inducere bigam,
Afflictam Triviæ ſortem miſerantibus aſtris.
Hæc, & plura ſuo, Pſylli, Choatræque, clienti
Regio, in auguſto ſpectacula Theſala circo,
Applaudente ſibi vecordi Rege, dederunt.
Hos ſibi Canidiæ, ac Micales, Circéſque nepotes,
Uſque adeò magno Princeps devincit amore,
Conſtantíque uſu, cêu Pollux Caſtora nectit:
Ut ſecum Iſacios turpi moderamine faſces,
Imperiíque regant latè excurrentis habenas,
Atque ſibi regnum, Ditíſque, Erebíque lupato
Subjectum faciant. Nec ſolùm ex aſſe dicare
Tænario ſatagunt ſceptro Chananitidos oræ
Principem, at æthereo donatum munere natum,
Inferno ſacrant, Genitore volente, Tonanti,
Luſtratúmque igni ritu execrabili, Averni
Extradunt juri. Prô! quæ non crimina ab uno
Principe deſcendunt. Phlegeton hîc regna capeſſit.
Quid memorare juvat ſeriem, longúmque malorum
Syrma, quod Abramius, non iſto nomine dignus
Princeps, in ſtygium, ducítque, trahítque tributum?

Miſſos hìc facio flagrantes Cypridos ignes ;
Quos Erebus corde accendit, vetitíſque Manaſſem
Subjecit Paphiæ facibus, laſciva Diones
Jura ſecuturum. Pudet iſta referre Camænam.
Quid referam Iſacidûm Phalarin, regníque Procuſten
Efferum, & immani graſſantem corde Neronem,
Jugiter innumerâ ſubjecti cæde cruentum,
Atque avidum ſemper plenis haurire culullis
Sanguinem, & à fatis aliorum ducere vitam ?
Maſſagetûm eſt de ſtirpe ſatus, vel tigride fuſus
Caucaſeâ immitis Rector, verúſque Lycaon.
Nec ſolùm vilem plebis bacchatur in algam
Thariadûm Sciron ; ſed vates Numine plenos,
Ac veros Hebri myſtes per barbara ducit
Funera, virtutis, fideíque graviſſimus hoſtis,
Atque oſor jugis Superûm. Non fata referre
Multorum eſt animus ; quæ promere Theſpias horret.
Unum duntaxat recino, quod noſtra ſilere
Muſa nequit, trepido quamvìs concuſſa pavore.
Funeſta Iſacidûm Diomedi victima magnus
Amoſides cecidit, clarâ de ſtirpe profuſus
Augur, venturi nunquam non præſcius ævi.
Fortè DEI interpres, pro libertate potiti
A Cælo juris, trabeatum crimen Idumes,
Juſto, pro meritis, verborum fulmine plectit,
Ac delicta jubet Superis, terræque peroſa
Ponere, & ætheree ſe rurſum tradere legi :
Nè pendat rigidas pro tanto crimine pœnas,
Tænariíſque luant glomerata piacula regnis.
Hic freni impatiens Rector, ſempérque furore
Ebrius, ardentes totus candeſcit in iras,
Atque gravem ſenio vatem, niveóque verendè
Crine ſuperfuſum, nec non ſibi ſanguine junctum,
Imperat extradi fatis. Vah ſæva tyrannis!
At quæ fata parat ? Quæ nunquam viderat Hebron.
Ac primùm inſontem malè mulcat verbere myſten

Sanguineo infuſum rivo. Tum funere tolli
Præcipit, & medium (prô Muſa horrore gelaſcit!)
Dentatâ corpus ſerrâ pervadere mandat,
Et vatem in geminas, diffiſſum corpore, partes
Immoto ſpectat vultu, paſcítque malignum
Lumen Saraidûm Sciron. O digna tyrannis
Aſtutum eliſo de nubibus igne feriri,
Atque Acherontæas demergi crimen in undas!
Sed non hic animus declivis in omne piâclum,
Ac crudele nefas ſiſtit. Stat plura patrare.
Quare in vecordes ſe præceps criminis auſus
Abjicit infamis Princeps, noctéſque, diéſque
Percurrit vigilans animo, ſecúmque reverſat:
Quo pacto ſuperos, Numénque laceſſere poſſit
Opprobriis, cælóque ipſum exturbare Tonantem.
O ſcelus immenſum! Quid ad hæc ſuſpenſa benigni
Tela DEI? Ultrices non mittitis æthere flammas?
Tandem irritatum numeroſo crimine Cælum,
Vindice conſurgit flagro, jam non pede lento
In meritas abiens, cêu poſcunt crimina, pœnas.
Aſtrorum Nemeſis veſtigia lanea prodit;
Sed dextram telo armatam protendit in hoſtes
Improviſa ruens, ac ſævo verbere cædit.
Nam vix ſeptenos ſol circumvolvitur annos,
Crebriùs haud patiens illuſtri lumine tantum
De cælis ſpectare nefas; quod pugnat in ipſum
Naturæ authorem, ſuperúmque laceſſit honorem:
Vix, inquam, Phœbus ſeptem decurrit in annos:
Cùm nutu aſtrorum, juſſúque excitus in arma
Princeps Arſacidûm, Chananæas involat oras
Fulmine Mavortis. Vix Marſpiter intima regni
Viſcera rimatur; cùm ferro, ac igne ſubactam
Depopulatur humum; cædes, ac funera denſat
Undique, ſanguineíſque agros, ac compita rivis
Implet, diſpergens mortes, quà ducit Enyo,
Interea abjectis lætus provivere curis

Tha-

Thariadûm Princeps; ſoli indulgere ſaginæ,
Ac ſceleri, impatiens legum, ferríque per omne
Noxarum barathrum; deteſtandámque ſaburram
Criminum, & ignavæ ſe totum tradere vitæ,
Non homo, non Princeps, ſed tantùm Principis umbra,
Aſſecla jam pecorum. Caulâ, non vivere dignus
Eſt aulâ; qui hominem poſuit, munúſque Regentis
Exuit, ac legum curam, duntaxat inertûm
Otia conſectans. Hac molli Principis uſus
Deſidiâ Aſſyriæ Mavors, regalia ferro
Limina perrumpit; prædas agit; æris acervos
Congerit in loculos; ſaturatas murice veſtes
Diripit, & rutilos multo crateras ab auro,
Atque omnis generis gazas ſinè merce cruoris
In ſpolium ducit. Cùm verò nemo reſiſtit
Marte, aliò graditur, luxúque, meróque fluentem
Principis ingluviem geniali ſigmate fartam,
Nexibus adſtringit ferri, crurique ſonantes
Injicit, adſtringens libertam, compedis orbes.
Indè capi mandat primâ de ſtirpe profuſum
Abramidûm florem, Regémque, genúſque maligno
Agnatum ſceleri ducit, raptátque, trahítque
Ad tumidos muris, opibúſque Semiramis arces.
Hìc Regem Iſacidûm manibus poſt terga revinctum,
Ac proprio innexum ſceleri, jam nulla crepantem
Probra in ſidereum maleſano dente Tonantem,
In tetrum abjiciunt latebroſi carceris antrum.
Sic vincire decet libertæ jura ſoluta
Legibus æthereis. Regum ſic frangere faſtus,
Ac ſuperinjecto rupis, ferríque rigentis
Pondere, vecordes premere, ac frenare Monarchas,
Qui lucem abjiciunt Cæli, clarúmque tueri
Detrectant fidei lumen, nigrante merentur
Piſtrino includi. Quêis fœdam pôrgere dextram
In vetitas lubuit noxas; hos vincula, juris
Ordine conſtringant, libertatémque refrenent.

Quos

Quos nunquam puduit per criminis omne theatrum
Currere, ſervili ſubſtringant compede crura ;
Ut poſthac nôrint virtutum calle meare.
Verùm hæc averſæ lugubria nubila ſortis,
In lætum rurſus fortunæ abiêre ſerenum.
Quippe ubi libertam per ſontica quæque vagandi
Perdidit ; ad ſe ſe rediit, ſanâmque recepit
Mentem jam melior Princeps, per legis iturus
Tramitem, & Abramidûm Patres virtutis avito
Calle ſecuturus. Sors aſpera fregit Idumes
Principem, & ad veræ pietatis caſtra reduxit.
Cælituum pœnæ revocant, quos devius error
Sortis ad infames ſcelerum deduxerat oras,
Et cêu Chaoniæ ſublimi vertice quercus,
Uſque adeò firmâ retinent ſtatione tenaces
Frondibus aëreis glandes ; ut nemo potiri
Roboreo fœtu valeat, niſi fuſte laceſſat
Crebriùs, & duras repetito verbere frondes
Acriùs impugnet, cogâtque in vota cadentes :
Haud ſecùs æternum Numen perdura Manaſſis
Pectora, & æthereæ renuentem cedere legi
Principem, inexperto concuſſit verbere ſortis.
Jam claro ejectus ſolio, tumidóque Regentis
Exſedo, & admonitus repetito Numinis ictu,
Protinùs optatos MetanϾ deferet aſtris
Virtutum fructus. Et verò ſortis acerbæ
Vulnera, ab æthereis inflicta benigniùs armis,
Compedibus vincto Regi, deferre ſalutem,
Criminibúſque ægræ menti. Quippe inter opaca
Carceris, atque umbras, lux eſt divinior orta
Principi, & excelſis deſcendit gratia regnis.
Sic ſcelus immenſum claro ſe in lumine Regi
Offert, innumerâmque oculis, animóque malorum
Præſentat ſeriem ; queîs veri jura Tonantis,
Ac patriæ leges, temero violaverat auſu

Cre-

Crebriùs, in vaſtam populi, fideíque ruinam.
Quare laxatis animo, cordíque lupatis,
Queſtus effundit, gemitúſque educit ab alto
Pectore, & aſſiduis umbroſum planctibus antrum
Verberat, agnoſcens ſcelerum, pœnæque reatum.
Hinc oculi lymphâ contractas crimine labes,
Atque cruentatas inſontûm ſanguine palmas
Diluit, & verum lacrymarum rore dolorem
Conteſtans Princeps, pernox, ac perdius orat
A Cælo veniam noxæ. Quò verò benignus
Æther adveniat ſceptro; ſuſpiria mittit;
Flebiliter diæ Nemeſi ſe accuſat, & ipſa
Vincula, delicti pœnas, per mille veretur
Baſia, & in meritum pro tanto crimine flagrum
Se ſe demiſsè præſentans, talia fatur.
Magne DEUS! Superûm Rector, mundíque ſupreme
Arbiter, ad cujus cælum, tellúſque tremiſcit
Commota obtutum. Divinum Numen adoro
Supplicibus votis, & coràm ſiſto pudendum
Principis Iſacidûm crimen, per mille Tonantis
Fulmina plectendum, juſtóque rigore piandum.
Sum fateor multi (quid enim delicta negârim
Omniſcio Cælorum oculo vel corda tuenti?)
Sum fateor multi mihi conſcius (ò pudor ingens!)
Criminis, ac ipſum, ſcelerum farragine, Ponti
Innumerum vinco ſabulum. Non littus arenas
Tot cenſere poteſt; quot facta nefanda patravi.
Non equidem mereor præcelſam ſideris aulam,
Ac Solem errorum teſtem, cælíque tueri
Lumina; quæ fœdas horreſcunt cernere noxas,
In Superûm effuſas probrum. Nec pondera ferri,
Quêis hìc adſtrictus teneor, curvantia molem
Corporis, atque caput vapidæ inclinantia terræ,
Tollere ad æthereas patiuntur lumina ſedes.
Quare abjectus humi, lunato poplite, juſtum,

Ut

Ut par eſt, veneror Numen, ſcelerúmque ſupremum
Agnoſco ultorem, dignus graviore feriri
Pœnarum dextrâ, ſtygiáſque ſubire tenebras;
Qui lumen fidei toties gentilibus umbris
Obrui, & in tantas transmiſi tempora noxas.
Si tamen ad ſolium Cæli, Nemeſíſque tribunal
In pœnas rigidum, fortaſſis mitior adſtat
Gratia; quæ interdum decretæ fulmina pœnæ
Excutit è manibus: noſtri miſerere benignum
Numen, & in veniam miti deſcende favore.
Atque ità, quem virtus aſtrorum laudat in ævum,
Cum populo Princeps humilis laudabo perenni
Tempore; cui feſtas cantabunt ſæcula laudes.
Hæc ubi fatus erat, lacrymarum voce profatur
Pluria; quæ pronis exceperat auribus ille;
Qui tacitas audit cordis, novítque loquelas.
Et verò Regis lacrymæ, non vincula ſolùm
Corporis, aſt animæ rigidos quoque crimine nexus
Illico ruperunt. Sic libertate beatur
Rector, in Abramiæ leges virtutis iturus.
Tantùm nempe valet Metanœa armata dolore;
Ut diæ gladium Nemeſis, libratáque cælo
Fulmina præpediat. Quid poſſint luminis imbres
Contriti teſtes animi, non præterit ullum.
Lacryma enimverò Themidos, ferríque rigorem
Temperat; adverſos caſus in fauſta reducit
Omina; noxarum tenebras diſpellit ab arce
Pectoris, atque animo lumen, Cælíque chariſma
Reddit, & æthereos procurat ritè favores.
Hóſque ſibi meruit planctu, veróque dolore,
Ad mentem ſanam rediens, legéſque Monarcha.
Multum nempe valet Metanœa ad Numinis aram.
Fortè Semiramius Princeps, ſolióque Merodac,
Ac gazis turgens, qui ſubdita jura Manaſſis
Attinuit conſtricta ſpecu, rigidáque gravabat

Com-

Compede; fortunam Regum, caſúſque profundo
Pervolvens animo (ſic æther pectora verſat)
Atque humanarum pertractans momina rerum,
Rhamnuſíſque vices, ſubjectáque regna ruinis:
Iſacii fatum miſeretur Principis; ipſe
In parilem juſſu Cæli deſcendere ſortem
De regni ſtatione valens. Quare illico ſolvi
Vincula Tharaidûm Regi, tetróque levari
Carcere, & incolumem Chananæis reddier oris
Præcipit, atque ſuum cum jure capeſſere ſceptrum.
Redditus Iſaciis, divino munere, regnis
Correctus pœnis, Cælóque, ſibíque relatus:
Subjicit Abramium vero diadema Tonanti,
Ac virtute regit populos, ſuperíſque gubernat
Legibus, & veterum ſequitur veſtigia Patrum,
Jam pius, & felix Princeps. Non ampliùs aræ
Thure vaporato fumant, Ditémque, Jovémque
Panchæis placant lacrymis; ſed plurima Cælis
Victima ritè cadit, cuî addit corda Manaſſes
Debita per leges, Superûm, terræque Monarchæ,
Non jam ſacrilegos Circæo carmine ritus,
Atque umbris Erebi devota theatra frequentat
Theſaliæ fautor; ſed vero inſtaurat honorem
Numini, & Iſacias conſtanter juris avito
Ordine ſectatur leges, fideíque reducit
Exulis officium, pro Cælis ponere vitam,
Atque ſuum, & populi promptus ſacrare cruorem,
Nec jam Saraicos ducit per funera vates;
Aſt illos ſequitur, ceu par eſt, ſemper honore,
Abjectóque popâ, divinis admovet aris,
Committítque Hebri gentem, ſceptríque ſalutem.
Denique quæ nuper maleſvado diruit auſu
Criminis; exemplo, & virtutum dogmate rurſûm
Erigit, atque gradus ſolido fundamine nixos,
Conſtantéſque baſi legum, deducit in altum

Æthera; ut æternas olim conſcendat in arces
Siderum, & emeritæ capiat bona præmia vitæ.
Hoc merita eſt pretium Cæli Metanœa Manaſſis.
Non ſpernit Numen lacrymas, veríque doloris
Teſſeram; at in numerum transfert virtutis, iniquos
Noxarum numeros. Nec longi temporis uſum
Spectat; ſed Cælo momentum ſufficit acti
Seriò, ùt affectus ducit, ratióque doloris.
Si tu delictum nôris mutare; Tonantis
Se quoque cum dia Nemeſi ſententia mutat.
At ſit vera tamen, non ſit tibi ſera, nec ægra
Quæ pro commiſſis agitur Metanœa piâclis.

EVLO-

E.V L O G I I

De bono in malum, & viciſſim metamorphoſis.

EVlogius tenuioris quidem fortunæ, utpote fingendis ſaxis operam navans; ſed non minori in DEUM pietate, quàm in pauperes munificentiâ inſignis. Hanc inter Thebaidis teſqua expertus Daniel eremi cultor, efflictim rogat Cælum, meliorem ſortem daret Evlogio, glorioſam utique Numini futuram, miſeris verò, egeníſque admodùm ſalutarem. Allapſa Cælo vox jubet Danielem precibus abſtinere, opéſque viro nocituras neutiquam poſtulare. Nîl hiſce motus Daniel, antiquum obtinet, & zelo præpoſtero, pro anima Evlogii pignori ſe opponens, ampliorem ei ſortem importunè extorquet. Etenim dum educendis ſaxis rimatur viſcera montium; ingentem auri copiam improvisò reperit; cujus potentiâ Conſtantinopoli, per plures evectus honorum, militiæque gradus, vento fortunæ fruitur, DEI, ſuíque immemor. Interim ſtatis precationibus intento fidejuſſore, horrificum ei viſum objicitur, vadi pergrave, ac pœnoſum. Hîc eremi incola u-

 ber-

bertim lacrymas fundere; culpam ſuam deprecari; preces contrariis precibus retractare, ac ſpondere, in reducendo ad frugem meliorem Evlogio, ſe muneris gnavi partes acturum. Has dum agit Conſtantinopoli, crudelem in modum à famulis Evlogii accipitur. Cùm nîl proficere ſe videt Daniel, ad vota ſupplicis converſus, priſtinam ſortem erranti procurat, ſponſione plenâ periculis exſolutus. Hæc inter vitâ, ac regno defungitur Juſtinus Imperator; cujus ſucceſſor Evlogium cum aliis exauthorat. Injuriæ ſibi irrogatæ indolens Evlogius, factionem perduellium, neſcio quo jure regni inſignia ambientium, ſequitur, vindicias ſumpturus de ſolio. Sed diſſipatâ armis, fractáque rebellium conſpiratione, Evlogius ſceleris ſibi conſcius, ſalutem pedibus quærens, ad latomiam, & ſe redit, expiátque in lacerna, quod peccaverat in purpura. *Petrus de Natalibus in vit. SS. lib. 6. c. 123.*

HUmanas, variáſque vices, alternáque ſortis
Munera, non vanæ Rhamnuſis mobile factum;
Sed luſum veri ludentis in orbe Tonantis
Calliope cantare ſtudet, mundóque ſonorâ
Ferre tubâ. Quandoque DEUS permittit in altum
Serpere plùs æquo vanas, quò turgida mentes
Gloria propellit, celſóque ſedere theatro
Nominis: ut lapſu graviore per ima ruentes,
Norint præcipites, quêis faſtus nititur ire,
Eſſe gradus, rerúmque diu nîl ſtare perenne.

Evlogius documenta dabit; quem gratia ſortis
Extulit ad clarum, de vili ceſpite, clivum.
Hunc fluxis tumidum gazis, Tyrióque ſuperbum
Murice, Cælorum nunquam non providus ordo
Ad veteres ſortis cunas, & ſaxa reduxit.
Magne DEUS, cuî terra pila eſt, hominéſque reverſas
More trochi, ſolúſque manes immobilis, orbe
Cuncta movens nutu; da Muſam poſſe movere
Barbita; quò faciles cantent tua Numina nervi.

Inter præruptas ſaxorum mole cavernas
Accola Thebaidos, lapidarius arte, vacabat
Frangendæ rupi Evlogius, petríſque cavandis
Aſſiduam impendit curam; quò paupere cenſu
Duceret ætatis ſpatium, tenuíque ſalino
Eſuriem arceret ſtomachi, rabiémque domaret.
Et quamvìs eſſet plebejâ ſorte creatus;
Attamen ingenuâ mente, ac virtutis amore,
Et meritis inſignis erat, gratúſque ſupremo
Numini, & æthereis longè chariſſimus oris.
Virtus nempe placet Cælo. Non reſpicit altas
Imperii cedros. Humiles in corde myricas,
Demiſsíque animi virtutem ſuſpicit æther.
Non ità devotum ſibi fortè Philemona cælum,
Atque panomphæi ſequitur perrara Tonantis
Gratia: ut Evlogium Superûm mandata colentem
Sidera multigeno ditant, ornántque favore.
Is parvo contentus agit, modicóque paratu
Sobria tecta colit; ſcrupoſo ſigmate vilis
Quadra ſedet; panis ſemeſi mucida carpit
Fruſtula; dat potum ſaliens de rupe ſcatebra;
Stragula ſunt rupes, pietati molle grabatum;
Omnia pauperiem ſapiunt. At moribus æquat
Integer Evlogius dites regnantis honores,
Exſuperátque animo faſtigia clara Potentûm.
Sic inopis quandoque domus, virtutis alumnum
Educat, anguſtóque licèt ſe plurima virtus

Limine diffundit, gaudétque habitare penates ;
Ad quos ipſus amat Superûm deſcendere cœtus.
Comprimis verò Evlogius pietatis amore
Proſequitur nudos opibus; quos cogit egeſtas,
Curtáque res, paſſim parvæ ſtipis æra rogare.
Nam quidquid ſolers decumano trulla labore,
De ſolita mercede legit ſub ſole diurno :
Dum petit Heſperias feſſus jam Phœbus ad undas ;
Erogat in miſerum popularis latomus Irum,
Contentus vitam cum Codris ducere Codrus.
Fortè tulit caſus, quo vaſtæ cultor eremi,
Gloria Thebaidos, Daniel de nomine dictus,
Ferret iter dubium per devia teſqua ferarum,
Tramite difficili gradiens. Hunc multa tyrannis
Undique dumorum ſepſit, nemorúmque gregales
Complêrunt frutices, plantáque, manúque domandi.
Ut denſo egreditur luco, ſe ſe obvius adfert
Fortunâ Evlogius; ſylvarum numen honorat,
Officióque colit, tenuéſque ſubire penates
Conſpicuum nemoris decus uſque ac uſque precatur.
Annuit optatis Daniel, captúſque benigno
Munere, congeſtis ſecura mapalia juncis
Non invitus adit. Jam etenim Phœbeia lampas
Occiduis immerſa vadis, decurrere tuto
Calle viam prohibet, vigiléſque per arva vagantur
Nocte feræ, ac avidis perquirunt pabula luſtris.
Accipit hunc placidè, multóque veretur honoris
Obſequio Evlogius. Depromit quidquid egeſtas
Inter ſaxa poteſt, ac curta offerre ſupellex.
Menſa equidem frugalis adeſt, parvóque paratu
Inſtructa; at multùm humano condita favore.
Non ità Levcadium tellus Saturnia numen,
Accepit ſuperis pulſum crudeliter oris,
Ac Janus fovit. Non ſic Evander alebat
Dardaniâ de gente ſatum: nec ſic Pholus ipſi
Alcidi ſtuduit : cêu cautes inter honoro

Affe-

Affectu, vultúque colit lapidarius Irus,
Thebaidos magnum columen, ſervúmque Tonantis.
Sic parvâ quandoque casâ ſe ſe incola magnus
Explicat, ac habitant largæ magalia dextræ.
Hæc virtus humiles inter præcelſa penates,
Reddidit attonitum Danielis pectus; ut indè
Cœperit immenſum tacito ſub corde dolorem:
Munificas adeò dextras, verſare rigentes
Saxorum moles, geniúmque ad ſumma creatum,
Inter ſylveſtres vitam traducere rupes.
Unde vacat precibus, Numénque, ac aſtra fatigat
Noctes, atque dies, meliorem ab ſidere ſortem
Evlogio efflictim rogitans. Id nempe futurum
Cælitibus retur gratum, preſsíſque levamen:
Gratia dum Superùm cumulatam congeret auri
Materiem in largas, quæ fundant munera, dextras.
Nicoleon mundo rediturum ſpondet eremus,
Ac Mecænatem Syriæ; qui ſpargat egenti
Dona, ac innumeras cupiat ditare catervas.
Hinc iterum rogat, atque iterum: Pactolus in amplum
Defluat Evlogii gremium; quo munera fundat
Plurima, & auratos paupertæ depluat imbres.
Interea æthereis reſponſum allabitur oris:
Abſtineat temeris precibus; neque ſontica Cælis
Vota ferat; nec opes nocituras, aſtra perurgens
Flagitet Evlogio. Viliſſima tecta, ſaluti
Eſſe viro. Hanc ſortem Cælorum ſorte beandam.
At caſſæ Superûm voces. Nihil ille movetur.
Obtinet antiquum Daniel, rogat, obſecrat, inſtat,
Sollicitat, referens: nil de virtute timendum
Firmata Evlogii; probitatis ab ordine nunquam
Vel latum ceſſurum unguem, rectíque tenacem
Aſſerit, & (quò non hominem dementia vertit)
Ipſe vadem ſe ſe ſtatuit, propriæque ſalutis
Opponit pignus: ruiturum ſe ad ſtyga ſpondet,
Evlogiíque vices ſubiturum cultor eremi

Incautâ pietate vovet. Quò proruis amens,
Inconſulte virûm? Quis te malè faſcinat error?
O fatuam mentem! Quid? túne arcana Tonantis
Conſilia, ac aditum nulli penetrabile, cæco
Lumine pervadis? Cur talpa per ardua Cæli
Moliris greſſum? Num fata invertere Divûm,
Caudice prognatum caput, exciſumque medullâ
Roboris attentas? Quando tibi diphthera quæſo
Cælituum patuit? Prô! quæ vecordia mentem
Pervertit? Quid? plúſne ſapis, quàm providus ille
Mundi oculus, rerúmque ſator; qui dirigit orbem,
Omniáque æternâ ſapienter lege gubernat?
Et tamen ad fatuum deſcendunt aſtra petitum,
Optantíque favent, ac vota ardentia complent.
Sic quandoque DEUS faciles accommodat aures
Intempeſtivis precibus. Sed corrigit auſus,
Atque importunum pleƈtit cum tempore votum.
Interea Evlogius dum naviter abdita montis
Viſcera ſcrutatur ferro, ſolitóque labori
Incubat: improviſa ruunt de rupe metalla,
Attonitúſque videt congeſtos æris acervos,
Obrizíque ingens pretium. Miratur adeſſe
Pygmalionis opes, Cræſúmve, Midámve latebris
Ogygiæ, ſaxíſque putat damnâſſe rubentem
Telluris maſſam, fulgentémque ære crumenam.
Sed nè fortè cadat cumulatæ portio gazæ
Aoniæ ſceptro; circumſpicit omnia cauto
Lumine veſtigans: num quiſquam rupe profuſos
Cenſus, inventúmque queat teſtarier aurum.
Cùm videt arbitrio tempúſque locúmque carere;
Continuò celat rutilantis pondera glebæ,
Et fido cenſus immenſos occulit antro.
Jámque ſibi locuples, confeſtim deſinit eſſe,
Quod fuit Evlogius. Jam duris nuntia mittit
Cautibus, atque operas exoſus, mira volutat
Peƈtore, & in dubias ſpargit ſua corda procellas.

Non

Non jam Cælicolis conſvetum reddere penſum ;
Non inopi conferre ſtipem, ſed totus in auro
Per varias agitur curas. Jam gaudia mentem
Deſtituunt, nimbúſque animum mœroris inundat.
Curarum dumos congeſtum procreat aurum,
Triſtitiæque vepres nunquam non pectore ſpargit.
Hinc triſti incedit vultu, torvúmque tuetur ;
Lumina figit humi ; ſe curis exedit ; omnes
Perquirit latebras ; ut tuto fidat aſylo,
Atque ſpecu condat pretioſæ munera terræ.
Dum ſic ambiguo curarum fluctuat æſtu,
Atque dies, noctéſque agitat ; quâ ſorte deinceps
Vivat, & immodico ſolvat ſua corda labore :
En cadit in mentem, quam ſortem deligat auri
Mancipium, quò vela ferat, quêis carbaſa ventis
Explicet, & fauſto committat lintea portu.
Horret Echioniæ rupes. Sunt teſqua ferarum
Squallida, præteritíque ſtatûs jam diſplicet ordo.
Diſſipit hic ævum, magnámque extendere ſortem
In ſaltu non poſſe videns, fugit abdita mundi,
Et lapides, felix auro, poſt terga relinquit.
Ehêu! quò celeras? Prô! quò jactaris iniquo
Turbine? Quóve ruis? Nimium nè crede ſerenæ
Rhamnuſis fronti. Permiſſu quippe Tonantis
Proſperitas laqueos poſuit, diſcrimina ſemper
Mille parans. Rutilo, quæſo, nè fide colori.
Præcipites ſcandis, faſtigia ſumma, ruinas.
Tolleris, ut lapſu quondam graviore, ſupinus
Aſpicias miſerum lacrymanti lumine caſum.
Lubricus aſcenſus per celſæ eſt culmina ſortis.
Arduus eſt aditus. Facilis vertigo potentûm
Tecta rotat. Multos vel livida dejicit aura :
Vel propriâ lapſum, quæ maxima, mole minantur.
Sit ſuſpecta tibi ſemper fortuna volucris :
Nè verſis aliò turgentem deferat alis.
Nec fluxis capiare bonis. Thaumantis ad inſtar

Omnia diſpereunt; ludentis imagine lucis
Imponunt oculis; lacrymas pro fœnore penſant.
Ecquid honos, niſi bulla levis glomerata per auras?
Ecquid honos aliud, nisi multa volumina fumi;
Queis ludit Boreas, ſpargítque per aëra Caurus,
Et tandem in nihilum fumoſos vertit honores.
Ergo reflecte gradum. Meliori proſpice ſorti
Si ſapis, & vanos mundi aſpernare favores;
Ní certam cupiant tua vota videre ruinam.
Verùm ago nequicquam. Citiùs ſe Phœbus ad ortum
Converſo temone feret; quàm neſcia flecti,
Propoſitíque tenax ſe jam ſententia vertat.
Sic animo immotus, Byzanti pergama lætus,
Spéque novâ tumidus, mutato ſchematis uſu,
Perſonatus adit. Jámque altam fingere ſortem
Ipſe ſibi, mores agreſtes exuit; artes
Combibit aularum; totum ſe format ad acre
Martis opus, circóſque ſubit crebrò impiger heros.
Et quidquid claro prognatam ſanguine mentem
Jure decet, jam non invitâ Pallade, ſolers
Induit, haud trullam redolens, nemorúmque receſſus.
Neſcio quas ceras Majorum fingit ab ipſis
Rupibus, & longam ſeriem mentitur avorum.
Jam picturato circumdat corpus amictu,
Et famulo comitante latus, multóque clientûm
Agmine ſtipatur. Quid quod per munera firmas
Prenſat amicitias Procerum; convivia lauta
Inſtruit, & caſtigatis ſe moribus aulæ
Inſinuat, cultóque nitens in ſchemate, Regis
Affatum, affectúmque ſubit, Svadæſque lepôre,
Ac melle eloquii, totam ſibi vendicat urbem.
Omnes ſuſpiciunt opibus, gratóque potentem
Munere verborum, Martíſque theatra crepantem
Evlogium ſolii columen, rebúſque futurum
Ambiguis tutam nemo non prædicat aram.
Sícque gradum ad præcelſa facit, ſenſímque Gradivi
Mu-

Munia magna capit, pérque alta cacumina pergit
Fortunæ pullus, tanto ſubvectus honoris
Eſſedo; ut aularum ſubſellia prima teneret.
Non ità ſorte Gyges plaudit; quem Lydia ſceptrum
Commutare pedo juſſit. Non Baſſus agaſo,
Aut Marius ſic fortè tumet, donatus honoris
Cyclade Romulides inter: Nec Grajus Enippus
Nomine ſi gaudet, Samiíque Polycratis umbra eſt
Clarus honoris apex; ſi cum prægnante thraſonis
Gloria, & inflatâ, quâ turget nominis aurâ
Se conferre velit. Sibi jam ſuper omnia ſurgit
Ambitus Evlogii. Cælis par ire Triballus,
Non reputans celſum proſterni poſſe theatrum.
Cæcat honos animum, nè claro lumine poſſit
Cernere, in adverſam deſcenſum accedere ſortem,
Sic vento ſortis tumidus ſe ſe altior ire
Evlogius, nullúmque timens à culmine caſum,
Crimina criminibus cumulat, luxúmque, gulámque
Infrenis ſequitur. Jam laxis fertur habenis,
Quò ſe vota citant, quò ſola cupido propellit.
At quid jura velint Cæli, quid mentis honeſtæ
Norma petat; vel ſollicitæ quid cura ſalutis
Flagitet; ex animo, totóque è pectore fœdè
Abjicit, effuſus per criminis omne barathrum.
Nempe malè uſurpatus honos ad crimina ducit.
Interea Daniel ſolitis Cadmeïa votis
Teſqua ferit, precibúſque DEUM, Cælóſque veretur
Jugiter, ignarus, per quæ diſcrimina ſe ſe
Evlogius rapiat. Jam toto pectore ceſſit
Oblatum Superis fœdus; quo munere prædis
Obſtrictus, dubiam ſe Cælis obtulit arrham,
Atque vadem alterius ſe fecit ſpontè ſalutis.
Dum forſan lumen devotum tollit in altum
Æthera, ſéque DEO ſacrat: (mirabile viſu!)
Conſpicit Aligeros inter, Divúmque coronam,
Sotera humani generis moroſa tuentem,

Atque

Atque retorquentem flammatum lumen, & ora
Ignea ſpargentem cernit, dextráque minantem
Oedipodioniis non uno fulmine terris.
Territus haud multùm Daniel, ſibi conſcius æqui,
Ac purus ſceleris. Nec enim mala fœdera menti
Ampliùs occurrunt. Ratus eſſe proinde Acherontis
Ludicra; quæ vano nonnunquam phaſmate ludunt
Innocuas etiam mentes: ludibria ridet
Tartari, & intrepido præmunit pectora ſigno.
At nunquam vanâ deludit imagine Cælum,
Terribilem viſu formam præſentat Olympus,
Monſtrum immane, horrendum, ac deteſtabile ponit
Ante oculos jam perculſi cultoris eremi.
Corpus adeſt Paphio præcinctum fortè roſeto;
Quod Cytherea fovet gremio, paſcitque voluptæ
Pabulo, & affundit circumlita melle venena.
Tetrum, inquam, corpus, fædíque cadaveris inſtar,
Vermibus exeſum, confectum tabe, mephiti,
Ac putore fluens. Vah, quæ faſtidia nares,
Atque oculos tangunt! Quid porrò lumina terret?
In monſtro venis malè juncta trementibus oſſa
Exſtant: laxatis ſunt horrida funera nervis:
Vix rabidis lanianda feris jam membra putares,
Hæc ubi viſa dedit Cælum, mox talia fatur.
Hæcne adeò fuerat tibi provida cura ſalutis
Evlogii? Quæ monſtra vides? Quæ crimina cernis?
Húcne preces temeræ, huc vota inconſulta feruntur?
Dixit, & armatis flagrorum fulmine turmis
Juſſa dat: ut prædem non uno verbere multent,
Ultricéſque ferant de tanto crimine pœnas;
Quod ſe ſe Evlogii, non cautâ mente, ſalutis
Objecit pignus. Prô! quæ ſententia Cæli?
Hic tremere attonitus Daniel, malè conſcius icti
Fœderis, & dubias agitare in pectore curas:
Quamnam in patronam vocet obrutus undique dextram,
Tandem ſupplicibus ſtat Cælum flectere votis.

Pro-

Procidit ante ſacras irati Numinis aras;
Errati veniam poſcit, culpámque fatetur
Ingenuas inter lacrymas, noxámque retractat:
Quâ ſe ſe fatuus projecit pignore zelus.
Suſpendi meritas ab juſto ſidere pœnas
Uſque ac uſque rogat, ſpondétque per omnia, partes
Muneris acturum; quêis impia facta clientis
Corrigat, ac toto, divulſum crimine, cælo
Evlogium, ad veterem referat virtutis amorem.
Accipit hæc pronâ, Danielis ſupplicis, aure
Vota DEUS, reddíque jubet, quod perdidit, aſtris:
Aut certo in prædem ruituram à ſidere pœnam.
Ac ſic æthereas, cælis comitantibus, oras
Supremus vindex repetit, ſedéſque beatas.
Nec mora: ſe Byzantinas accingit ad oras
Armatus zelo Daniel, deperdita Cælo
Evlogii decora, ad nemoris traducere mores
Non uno ſatagens ſtudio, certæque ſaluti
Reddere, & obſtricto Superis ſe exſolvere nexu.
Vix aliquot Phœbus mundo detexerat ortus:
Cùm Byzantinis, permenſo tramite, terris
Plenus adeſt curis. Reperit, quem quærit eremi
Cultòr, ſi tamen eſt. Nam totum rebus agendis
Occupat aularum ratio, multóque cliente
Atria vaſta ſtrepunt. Nemo non primus honoras
Officii deferre vices, omnéſque verentur
Non ipſum Evlogium, ſed ſortis dona ſalutant.
Jámque unum Phœbe cælo compleverat orbem:
Nulla tamen cupido Danieli ſemita ad ipſum
Evlogii penetrale patet. Stat miles ad aulæ
Oſtia, cuſtodúmque phalanx, arcétque ſatelles
Monſtrum hominis, nemoríſque probrum jubet eſſe remotum
Purpureis Regum tectis, quæ culta requirunt.
At tandem Daniel penetravit ad intima, fraude
Uſus non vetitâ. Hic divino concitus æſtu,

Sepo-

Sepoſitóque metu, pro libertate, malignos
Increpat Evlogii mores, ac talia fatur.
Quid ? túne Evlogius ? Num jam tibi mente receſſit
Præteritæ ſortis ratio ? Quid ? jámne negabis
Fortè genus, quondam vili de ſtirpe profuſum ?
Quid facit auguſtas inter lapidarius ædes ?
Quid ſibi vult Tyrio ſaturatum murice vellus ?
Quídve auro fuſæ chlamydes, ac multa clientùm
Agmina, fervorúmque globus ? Quid pergravis illa
Ambitio, faſtúſque notant ? Quæ jam nova rerum
Eſt facies ? Quæ te retinet mutatio ſortis ?
Latomus Iſmeniæ tûne es ? Quò malleus, atque
Trulla abiit ? Rupes quis in aurea tecta redegit ?
Háſne DEO reddis pro miſſo munere grates ?
O nimiùm largis ingrata piacula Cœlis !
Anne ideo numen tantum tibi contulit æris :
Ut luxum foveas aulæ, ventóque tumoris
Ebrius, inſanum producas crimine faſtum ?
Vah te magne Thraſo ! Nì actutùm vota priori
Accedant ſorti ; libratum fulmen ab axe
Imminet, ac rigidis plectet delicta flagellis.
Hæc ubi fatus erat Daniel, zelante ſalutem
Munere verborum : ſuccenſus pectoris æſtu
Evlogius, diris agitur, totóque furores
Exſpirat vultu. Sed cur accenditur irâ
Latomus Iſmeniæ ? Metuit, nè vilis origo
Hoc authore palàm fiat, generiſque catharma
Rupibus exciſum, ſummâ vulgetur in aula,
Opprobrio comitante virum ; quem fama per ora
Circumfert populi. Quare conclamat ad arma,
Atque citat famulos, qui proxima tecta colebant.
Illi continuò ad notam concurrere vocem,
Officióque ſuum gnavi obſervare Dynaſten.
Horum ſegnitiem ſtomachans herus increpat : eccur
Hoc hominis monſtrum, capróque affine, vel urſo,
Sint paſſi claris Regum ſuccedere tectis ?

Cur

Cur non arcuerint hirſutum limine probrum!
Frenduit ad ſtreperas lapidoſi Principis iras
Servorum rabioſa phalanx. Unde impete toto
In ſylvæ indigenam fertur, raptátque, trahítque
Cultam virtutem nemorum. Prô quanta tyrannis
Excipit Ogygiæ myſten! Sonat ulmea grando
Tergore; ſemanimem, multóque cruoris ab imbre
Corpora perfuſum, proturbant æde ſuperbâ,
Evlogii, incultóſque jubent iterare receſſus.
Ecquid aget Daniel jam ſpe fruſtratus, acerno
Fuſte ſatur? Quò jam tandem ſua vota reflectet?
Dum videt humanos porrò níl poſſe labores;
Jámque triumphatum cernít virtutis honorem
Calcibus Evlogii, criménque tenere ſupremos
Imperii faſces: mœſtiſſima tollit in altum
Lumina perfuſus lacrymis, multóque dolore
Proſequitur pactum. Sed quî ſe fœdere ſolvet?
Demiſsè affatur Numen, precibúſque tribunal
Sollicitat Divûm: redeant ut priſtina ſortis
Munera, fortunis tumidæ, nimiúmque ſuperbæ
Evlogii menti, Cælóque lupata reducat;
Qui laxas vario ſceleri permiſit habenas,
Atque vetus repetat, correctis moribus, antrum.
Accipit hæc Cæli bonitas, prædíſque ſolutum
Pignore, ritè monet: nè poſthac provida mundo
Intempeſtivis oppugnet ſidera votis:
Néve vadem propriâ ſe deînceps merce ſalutis
Pignoret, ac nocuos aliis exoret acervos
Æris; qui luteum ſternunt ad crimina callem,
Multorúmque parant irritamenta malorum.
Jam pulchram ſpectare libet, quam ſidera ſcenam
Feſtivo inſtituunt ludo. Jam nempe Dynaſten,
Et tumidos ponet faſtus, ſe major in aula
Simius, ac humiles converſo pegmate ſoccos
Induet Evlogius, veterémque ſubibit abollam
Hactenus Aſſyrio turgeſcens mimus amictu.

Quippe ſibi ſtabilem, firmoque adamante perennem
Aulæ dum ſortem fabricat, regníque tiaram,
Imperiíque parat faſces, ſoliíque theatrum :
Interea rerum potiens Juſtinus, habenas
Regnantis ponens, vitales deſerit auras.
Nam mutare jubent cum lauro fata cupreſſum.
Munere defuncto Regis, vitáque ſoluto
Principe, ſufficiunt Proceres de ſanguine Regum
Virtute, ac Mavorte parem, vaſtíque Monarcham
Pectoris; ùt claras Byzanti protegat arces,
Atque regat gentes. Hæc Princeps munia præſtat.
Verùm cùm rarò poſt Regum fata, priores
Aularum placeant comites, rebúſque novandis
Succeſſor ſtudeat : veteres jubet ille clientes
Cedere Iuſtini. Quò verò regna gubernet
E Themidos placitis; ſocios ſibi deligit aulæ
Officiis Princeps; quos præſens exigit ordo
Sceptri, quíque placent, exauthorátque tumentes
Evlogii faſtus; de culmine ſternit honoris,
Atque ſago turgentem, & primis exuit armis,
Auláque exturbat. Iam prima cataſtaſis urget
Evlogium : tragico veniunt jam fata cothurno.
Dum regnum ſcitis novus Induperator habenis
Dirigit: Hippatius claris natalibus ortus,
Auguſtúmque genus Iuſtini ſanguinis ortu
Contingens propiùs, regni ſibi deſtinat oſtrum,
Ac Byzantinos ſtat jure capeſſere faſces.
Ergo recèns cretum ſublectâ ſternere Regem
Mole parat, ſoliúmque ſuæ tranſcribere legi
Sangvinis è merito. Stat ferro invadere regnum.
Cùm verò pariles animo non eſſe videret
Hippatius vires: Pompejum Martis alumnum,
Ac opibus multis locupletem fœdere jungit,
Et ſecum alternos ſceptri partitur honores.
Hic unà Evlogius furiarum percitus œſtro,
Bellantum partes ſequitur, fœdúſque rebelle

Percu-

Percutiens, animo Martem, dextráque reſumit,
Ultricéſque parat de Principe ſumere pœnas.
Ac ſic vis ſolio glomeratis imminet armis.
Jam Byzantinæ turbantur pergama terræ.
Undique bella ſtrepunt. Dubiis concurritur armis,
Omniáque infeſto jam compita Marte reſurgunt.
Unà Erebo aſcendunt furiales Ditis alumnæ
Evmenides, flammántque animos crudelibus iris,
Adverſóque jubent partes fervere Gradivo.
Ipſa etiam incendit mentes Bellona, per arva
Quadrijugûm volitans rabie, Martémque reducit
Gentibus, Odryſios mittens in corda furores.
Hanc omnis ſequitur feritas, & mortis imago
Inſidiis comitata ruit. Furor arma miniſtrat
Partibus; ínque neces ardent, ac vulnera cives,
Compitáque effuſo populorum ſanguine ſtagnant.
Ac ſic ter denis iterato Marte peremptis
Millibus, in plures Libitina iviſſet acervos,
Ac ſtrages populi: niſi belli gloria, laurum,
Victricéſque novæ cidari faviſſet honores.
Quippe ubi cum validis depugnant Cæſaris armis
Conjuratæ acies, ſoliúmque evertere tentant:
In Martis fremitu, Pompejus victima fatis
Occidit: Hippatius fugitivâ ſorte, ſalutem
A pedibus quærit, tutúmque indaget aſylum.
Ac ſic ambitio ſceptri, motúſque Gradivi
In ventos abeunt. Veteres diſcordia ſedes,
Tænariáſque ſubit, comitante furore, paludes.
At verò Evlogius ſceleris ſibi conſcius, omnem
Effugio ſupereſſe videns hac ſorte ſalutem:
Proſpectans latebras, rapidis fugit ocyor Evris,
Deſertíſque opibus, quas forſitan arte Pelaſgâ
Oppreſſo tulerat populo; circumſpicit aptum
Jam procul urbe ſpecum; quo plurima crimina celet,
Ac vitam à merito per leges funere ſervet.
Dúmque videt loculos viduatos ære, nec ullas

Ad Byzantinos ſpes affulgere favores
Præteritæ ſortis, jámque omnia tuta paveret,
Atque fames premeret: nec mucida fragmina panis
Ulla manus ferret, turpíque pudore ruberet
Cum Codris orare ſtipem: fugitivus in antrum
Thebaidos ſe infert. Hic rurſum exutus honoram
Aularum pompam, veterem converſus ad artem,
Deducit vitæ ſpatium, duróſque labores,
In pœnam faſtûs, ità diſponente reſumit
Æthere, jam prior Evlogius. Sic redditur aſtris,
Atque ſibi, non jam Princeps, aſt incola ſaltûs.
Hoc reditu plaudunt frondentia tecta Dianæ,
Et tremulæ viridi nutantes vertice ſylvæ,
More ſalutantûm, reduci poſt luſtra, reclinant
Se ſe cultori nemorum. Quin florida pandit
Brachia in amplexus, & læto baſiat ore
Arbos Evlogium, charúmque veretur alumnum.
Thebaidos palmæ victorum præmia ſpondent;
Si colat aſſiduò lucum, ſcelerúmque per urbes
Dirè graſſantûm poſthac commercia vitet.
Ipſa etiam Daphnis vult caſto cingere ſerto
Tempora; ſi vetitos fugiat Cythereïs amores,
Ac cum Cælicolis ſolùm connubia pangat.
Hic quoque paciferæ ramum præſentat Olivæ
Saltus Echioniæ, turbáſque, choróſque nocentes
Devitare jubet; ſi rident otia mentis,
Tranquillúſque placet, quem lucus ſufficit, ordo.
Et verò iſta placent, nemorúmque theatra placebunt,
Dúmque effingendis jam ſudat dextera ſaxis
Evlogii, trullámque movet, verſátque ligones
Impiger: in viles operas accedit eremi
Sectator Daniel. Pleno movet ilia riſu
Eminùs, exultátque animo, lætúmque tuetur,
Atque renitendo, propior jam, talia fatur.
Veráne, quæ video? Num noſtram ludit imago
Mentem? Quis Morphêus mihi ludicra ſomnia fingit,
Et

Et trahit in varias diſtractum mente figuras?
An tuor Evlogium? Sed forſan ludimur? Ipſus
Eſt eſt Evlogius. Prô quæ alternatio rerum eſt?
Quid tibi cum ſaxis? Manibus quid dura ligonis
Aſperitas, quid trulla notat? Fabricator opimæ
Sortis, quid jam agitas? Quæ ſe nova ſcena revolvit?
An qui purpureâ tumuiſti nuper in aula
Summates inter, multo ſpectabilis auro,
Et propè par ſolio, mutatâ ſorte repente
Comicus es Davus, luſum facturus in orbis
Orcheſtra populo? Soccum mutare cothurno
Ecquæ cauſa jubet? Quæ te fortuna coëgit
Rurſum ad Cadmæos miſerum repedare labores?
Latomus hæc audit, ſuffuſúſque ora pudore,
Solvitur in gemitus, lacrymáque fatetur obortâ
Inconſultam animi fabricam, ſcelerîſque reatum
Explicat, acceptans meritas pro crimine pœnas.
Jámque nefas horret, poſitóque tumore, patronos
Procidit ante pedes, rogat, inſtat, flagitat, urget:
Inclinet Superos, Daniel, flectátque tribunal
Cælituum in veniam. Tum ſervum Numinis orat,
Exoret Divos: non ut fortuna benigno
Aſpiret rurſum vultu: vel ditia mittant
Dona ſibi, reditúmque parent ad Cæſaris aulam:
Verùm operas nemoris minuant, durúmque laboris
Pondus, quod fractos plùs æquo prægravat artus.
Excipit hæc riſu Daniel, nec verba reponit
Suffulta illecebris; ſed fulminat ore, mináſque
Affingit vultu: nec ſorti condolet ægræ;
At meritum ſcelus increpitans, hæc fulgura promit.
Turgide follis, ait, conflata cucurbita faſtu.
Perge tuum tolerare ſtatum; quo degere poſthac
Juſſa volunt Superûm. Rupes, non aurea Regum
Limina te maneant. Non ampliùs æris acervos
Depluet in gremium Numen; nè rurſus iniquâ
Ambitione tremas. Amiſſis crimine gazis,

Redditus es Cælo, nemoríque. Quod abſtulit aula,
Jam ſaltus referet. Veteri te redde mapali.
Indue jam Evlogium, moréſque reſume priores.
Sic tibi, ſic meritis tribuentur præmia Divûm.
Dixit, & ad ſacrum reflectit protinus antrum.
At verò Evlogius miſerum ſuperinduit Irum,
Ac ſe ſe pulchro virtutum ſchemate veſtit,
Spectandus Cælis. Jam recti munia rurſum
Ad cautes revocat, fundítque precantia verba
Sublatis manibus: ſolitum jam ſpargit egenis
Cêu quondam cenſum, Codris ſe ſe undique miſcens,
Lætior hac vitâ, quàm turgens divite gazâ,
In Conſtantinis, fallaci nomine, terris.
Expiat in vili, contentus ſorte, lacerna
Quidquid in Oebalio peccârat murice Princeps.
Balteus auratis non ampliùs ilia bullis
Obtegit; at tortus de vili cannabe funis,
Et tegmen Cilicum præcingit corporis artus.
Sic libertatis conſtringit jura, ſolutâ
Quæ vitæ ratione ſibi dictavit in aula
Cæſaris, ac laxas ſceleri permiſit habenas
E genio vivens. Jam Martis ponit honores,
Haud lateri affigens ſtellatum jaſpide ferrum;
Quo jugulos ſævè feriat, quo fulminet hoſtis
Agmina; ſed ſolo duntaxat dextra ligone
Armata, innumeras vitiorum diſſipat umbras.
Jam quoque ab exilio revocat virtutis honorem
Expulſum vitio. Tumidos demiſſio mentis
Expungit faſtus. Patientia dura laborum,
Delicias aulæ, mollémque expellit amictum.
Simplicitas revocat greſſum. Moderatio menſæ
Aſſidet: in Numen pietas, Divóſque refloret,
Denique ſe totum Cælóque, ſibíque reponit.
Si cui divitiæ vitiorum limina pandunt;
His aditum claudit conſtricta penuria rerum.

ELI-

ELISÆUS Thaumaturgus.

4. *Reg.* 32.

INviſurus ſubjecta ſibi Prophetarum collegia Eliſæus, ſolitam itabat viam per urbem, cui Sunæ appellatio. Hìc matrona quædam virtutibus æquè, ac fortunis prædita, Vati ſæpius urbem tranſituro, cœnaculum inſtruit, eâ ſupellectilis tenuitate; quâ ſciebat Prophetam delectari. Cúmque hoſpes jam frequentiùs ibidem diverteret, & de ſymbola hoſpitali ſolvenda cogitaret: advertit ædium Dominis ab omni re inſtructiſſimis, unum aliquid ad felicitatem deeſſe, hæredem. Hunc pollicetur hoſpitæ, vix ſe præ gaudio capienti, fidémque adhibenti; quam confirmavit natus filius. Eam lætitiam haud multo pòſt par mœror extinxit. Trimulus puer ex ardore Solis ruri malè habere cœpit, diémque ſupremum in ipſo meridie, & genitricis gremio clauſit. Hæc non ignara Prophetam potentem eſſe in reddenda vita filii, ad Thaumaturgum proficiſcitur, exponítque luctum lacrymando potiùs, quàm loquendo. Permotus mœſtitudine parentis Eliſæus, Sunam ſe confert, invenítque funus parvuli in

lectulo, alias quieti ſuæ deſtinato, collocatum. Continuò igitur incumbere precibus, & exanimi corpuſculo. Et ecce calefieri puer, aperire os, & oculos, ducere ſpiritum, totus reviviſcere, iterúmque parentibus renaſci.

Rodigium palmare canam, quod priſca tulêre
Sæcula, & attonitum cæleſti thaumate mundum
Reddidit; ut Superûm virtutem clariùs orbi
Explicet in ſpecimen fidei. Chananitidos ora
Quondam ſidereo multùm dilecta Tonanti,
Eruit infernis, fato cedente, latebris
Pallentes pueri manes, è munere Vatis,
Corporeóſque iterum feliciter egit in artus.
Hoc dum Mæonio tentat depromere metro
Caſtalis; ut facili recinat magnalia plectro:
A te cælicolûm Rector, terræque ſupreme
Arbiter orat opem; ſinè qua nec Muſa movere
Barbita; nec tenui quicquam deducere filo.
Saphatides Vatum ſummus, myſtéſque Tonantis
Inclytus, aſtrorum interpres, Thesbitis alumnus,
Carmelíque decus, magnum aſpernatus inane
Sæculi, & humanâ ſe tollens altior algâ,
Unicè in æthereos obtutum fixerat orbes.
Corporeâ ſe equidem per terras mole ferebat;
Aſt animo Cælis cognatus, jugiter arces
Viſebat Superûm, terræ non debitor unquam,
Parte ſui meliore DEO, ſacríſque dicatus
Ac veræ pietatis amans. Nil cætera curat,
Qui ſolùm è votis capit alto pectore Numen.
Uſque adeò virtus tendens in ſidera Vatem
Extulit; ut magno virtutum penè Magiſtro
Iverit Heliæ ſuppar, Cælóque ſtupendus,
In ſua non rarò propenſos vota favores
Expertus fuerit Superûm. Quin Numinis amplo

Mu-

Munere ditatus, multóque chariſmate fotus,
Jam ſuper humanæ conſcendit limina vitæ.
Virtus nempe levat ſe ſe ſuper omne caducum.
At poſtquàm ignivomo devectus in æthera curru,
Turbinéque ablatus Thesbites, ſumma petivit
Atria Cælorum: miſit virtutis alumno
Fultam prodigiis chlamydem; cui maxima virtus
Inſedit penitùs, rerum portenta daturam;
Quæ videat totus, quâ ſe ſe porrigit orbis.
Quis fando referat, quæ, quantáque mira, ſtupente
Patrârit mundo, quæ thaumata Numine plenus
Ediderit Vates? Hæc ſi mea Muſa referre
Pieriis tentet numeris, ac ordine rerum
Promere: deficiet tantorum mole laborum
Obruta, & ingenti perculſa ſtupore rigeſcet.
Unum Mœonio duntaxat thauma laborat
Decantare metro; quo, cêu ex ungue leonem
Conjectare datur; quæ mira effuderit orbi.
Forſan ſubjectas ſibi Cæli munere terras,
Ac Vatum inviſurus erat Collegia Vates:
Cùm primùm Iſaciam Sunarum contigit urbem,
Capturus meritam de longo calle quietem.
Hìc quædam infirmi ſexûs, at dedita ſemper
Conſtanti, ac vero veræ virtutis amori
Sarais, Abramiæ non infima gloria terræ,
Accipit officio myſten, ùt jura repoſcunt
Hoſpita Tharaidum. Quò verò tramite cœpto
Pergere, curato tantiſper corpore, poſſit;
Humanè reficit Cereali munere Vatem.
Verùm cùm Hypſiphyle prudens, virtutibus æquè,
Ac fortis cumulata bonis, perſæpius urbis
Compita viſurum, non vano inferre valeret
Arbitrio Vatem: per fas, & jura mariti,
Exilem condit forſan de ceſpite ſedem,
Semotam ab reliquis laribus, vulgíque ſtrepentis
Murmure; quò totum ſe coram effundere magno

Numine Saphatides, per temporis otia poſſet.
Nè verò quoquam gurguſtia parva carerent
Commodo: adaptavit de junci ſorte grabatum,
Laſſa levaturum de longo calle viarum
Corpora; quod ſolitus naturæ flagitat ordo.
In medio ſtatuit fabricatum è robore ſigma;
Cuî ſuperimponit flammatâ luce coruſcam
Lampada, & appoſito menſæ dextrale ſedili
Firmat; quo ſe ſe pro libertate locare
Defeſſus valeat myſtes. Nec curta rupellex,
Paupertæque decus, quod vera modeſtia quærit,
Diſplicuit Vati. Quin delectatus honeſtis
Ædibus, inviſit non rarò tecta favori
Dedita, virtutémque decens magale colebat.
At cùm Saphatides hæc crebriùs hoſpes adiret
Limina, & effuſam conſtanti munere dextram
Phyllidos Iſacidum noſſet: perſolvere gratas
Officio ſtimulante vices, penſúmque referre
Debitum, in acceptum meritorum thema laborat.
Nulla etenim virtus ſuſcepti muneris unquam
Immemor exiſtit. Collatis gratia factis,
Si propriâ nequeat Codri virtute rependi:
Aut memorem verbis mentem teſtatur, ùt æqui
Depoſcit ratio: vel votis aſtra fatigat
Impigrè; ut expenſum divino munere munus
Aſtutum penſet, donis ſua dona rependens.
Atque hac Saphatides memorem ſe præſtitit arte
Gnoſſiadi Abramidûm, tantis palmare daturus
Mnemoſynon meritis. At quænam munera reddit?
Fortè verecundo perluſtrans omnia Vates
Lumine; quæ retinet donorum prodiga ſedes;
Obſervat Cræſo pariles florere penates.
Huc ditem tranâſſe Tagum, rorémque Tonantis
Deſtillâſſe videt. Quicquid Pactolus, & Hermus
Devehit, effuſo devolvi huc flumine cernit.
Nec ſolùm ſtagnare lacus hìc conſpicit æris;

At

At campis errare notat, paſcíque per herbas
Lanigerâ de ſorte greges, armentáque mille
Bucera, & immenſis ſementem ſpargier arvis,
Omniáque innumero fervere mapalia cenſu.
Accipit hæc oculis Vates. Sed nulla propago
Obviat, in cujus gremium, poſt fata parentum,
Tot lautæ volvantur opes, ac copia rerum
Defluat, extremis olim tradenda tabellis.
Hac cùm ſorte videt felici tecta carere
Hoſpita, & in meriti cuperet deferre minerval
Gratas jure vices: divino Numine plenus
In ſe ſe recipit, Superis in vota citandis,
Dudum exoptatâ genitricem prole beare.
Et verò Cælum dilecto vota parentum
Pignore donavit; quò vivo munere dextram
Crebriùs exhibitam Vati, penſaret abundè,
Nunquam ſe patiens humano fœnore vinci.
Quis ſatìs exponat, quantâ dulcedine natus
Patrem irrorârit, totámque in gaudia matrem
Fuderit, ac ipſas feſto ſolamine gazas
Mulſerit; hæredem cùm Patris adeſſe viderent
Proximum, in aggeſtos cenſu locuplete penates
Ordine venturum juris. Sed nulla perenni
Gaudia fonte fluunt. Miſcentur triſtia lætis,
Lætáque cum triſti mutantur ſorte, nihílque
Conſtanti jurat gradui. Alternatio rebus
Obviat. Eſt conſtans ſola inconſtantia mundo.
Non ſemper claro reſplendet lumine Phœbus.
Qui roſeâ ſe hodie trabeatus luce per orbes
Explicat aſtrorum, totámque ſerenat amœnâ
Tellurem facie; cras pullo tectus amictu
Surgit ab Eois, ater ferrugine, terris,
Terráque involvit mœſtam caligine terram.
Sic redit alterno riſus, gemitúſque chorago,
Et poſt lætitiæ ſcenam, ſoccúmque cachinnis
Præbitum, echinatum mœroris drama cothurno

Procedit tragieo, miſtáſque doloribus urget
Ex oculis lacrymas, & planctu pectora tundit.
Atque hunc, Iſaciùm genus altâ ſtirpe creatum,
Ac opibus, cenſuque fluens, perſenſit iniquum
Ambiguæ ſortis ludum. Rhamnuſia nunquam
Uno, eôdémque gradu mortalia limina tangit.
Quippe domus nuper fortunæ afflata benigno
Sidere, ab adverſis ſævè exagitata procellis,
Infortunatam perſentit adeſſe ruinam
Excelſi generis, quo ſpes in ſæcula ſtabat.
Fortè pater ſobolis conceſſæ ruris agebat
Jugere, maturis albentes frugibus agros,
Donáque præcidens Cereris per multa coloni
Munia; quò gravidis felicia ditet ariſtis
Horrea, perpetuos farris ſtructurus acervos.
Dum per Triptolemi ſedes, Panóſque theatra
Exercet curas genitor, lætúſque tuetur
Flaventes ruri ſegetes: in gaudia patris
Trimulus accedit natus. Quid? veráne dicam
Gaudia, quæ triſtem patri, matríque doloris
Paulò pòſt meſſem violento funere reddent?
Dum puer in ſolitum genitoris fertur amorem:
Icarii ſe ſtella canis per aprica calore
Jugera camporum ſpargit, torrétque, coquítque
Omnia, peſtiferis accendens æſtibus arva.
Lethiferum hoc ſidus tenerum deſiccat Julum
Saraicæ ſtirpis, telíſque ardentibus urit
Cynthius, infeſtóque caput fervore laceſſit
Pumili, & immanes fundit per membra dolores.
Hoc ſævo pertoſta malo, ignitóque recocta
Sirio inardeſcens ſoboles, dum fortè paternum
Affectans gremium, teneras jam jam explicat ulnas:
In queſtus agitur, ſiccóque hæc ingemit ore:
Hêi caput, hêi nimiùm doleo! Nec plura tenello
Prodit lamento, vocem abſorbente doloris
Pondere; quo vires, ac tempora fracta gravantur.

Atto-

Attonuêre patrem primùm lallantia nati
Verbula; quêis morbum charus ſignabat Adonis:
Indè ſuum demulcet Hylam, mellíſque propinat
Munera, vicino fortaſſe allata vireto;
Hyblæo reputans medicatu poſſe levari
Prolis languorem. Verùm irrita pharmaca præbet.
Hinc cùm Cecropiis morbi contagia donis
Augeri potiùs, quàm tolli gnava parentis
Cura videt: nec jam tempus, Cereríſque labores
Admittant dulces diſtracti patris amores:
Extradit notæ fidei languentia nati
Corpora, & ad matrem procul haud à patre morantem
Ægrum deferri genitor jubet illico natum.
Hæc ubi dilectam ferri videt eminùs ulnâ
Vernili ſobolem: miſſis, quæ fortè parabat
Omnibus, occurrit; placidis complexibus ambit
Charum mater Atyn. Tum pignus amabile lentè
Componit gremio, geſtúque, ac chromate vocis
Exſpirante thymum, dulci colludit Adoni,
Oſque ori caſtè jungens, millena labellis
Baſia, mille genis, totidémque in parvula vultûs
Sidera defigit, ſtringítque, fovétque coloſtro,
Ac nive candidius pignus, pérque omnia matris
Exhibet officium. Vix hoc Latona gemellis
Præſtitit, aut aliæ vellent præſtare parentes.
Aſt ubi correptum triſti languore tuetur,
Ac torpore gravem natum, buxúmque ſedere
Pallidulis cernit labris; terroribus acta,
Inclamat famulas, accurrant illico, dextras,
Pœonióſque ferant ſuccos, fomentáque quærant
Proxima, & admoveant præſtantes viribus herbas,
Protinus ardentem pellentes corpore peſtem.
At nil tentamenta valent; nil cura medentûm
Proficit in pupo. Titan depaſcitur artus,
Et magìs, atque magìs conſumunt pectora flammæ
Sirii, & innocui portendunt funera nati.

Ac

Ac veluti teneræ vernantia munera Floræ,
Hortorúmque decus ridens, & olentia terræ
Sidera marceſcunt, nimio percuſſa calore
Cynthii, & in putrem tandem reſoluta mephitim
In chaos antiquum redeunt, cœnóque volutant
Gloriam, & ad nihili fontem decus omne reflectunt:
Haud ſecùs Iſacius Floræ Chananæis alumnus,
Coctus ab Icaria florenti corpore flamma,
Decidit in fœdum marcorem. Jámque ſolutus
Artubus, infantile caput languore gravatum,
In matris gremium inclinat, lentéque ſupinat
Collula, & in morem rupis torpétque, rigétque,
Oráque vicinum ducunt ſpirantia lethum,
Ac mediâ jam morte natant certantia ſtellis
Lumina, in obſcurum propiùs ſpectantia fatum.
Et verò medio dum fervens currit in axe
Delius, ac æquum lucis partitur honorem
Mundo: lethalis fati circumvolat umbra,
Involvítque atrâ niveum caligine pupum,
Errantémque labris, ſupremóque ore vagantem
Spiritum, ad infernas exceptum devehit oras.
Jam flos eſt Lacheſis. Jam Cloto ludit Adoni.
Dum videt in gremio mutum, & ſinè ſanguine nati
Algeſcens mater corpus, nec jam leve pondus
Maternis geſtire toris; ſed lugubre funus,
Ac durum mœroris onus: ſe mole doloris
Mœſta onerat genitrix, querulóſque è pectoris alto
Deducit gemitus, lacrymíſque infuſa per ora,
Pérque ſinus, gelidum, ac viduatum lumine corpus
Talibus affatur dictis. O dulce levamen!
Quò te fata trahunt? Heî! quò ſpes una parentum,
Quò generis, patriæque decus, columénque futuræ
Stirpis, & in decimum genti victure nepotem
Occidis? Anne ideo patrem, matrémque beârunt
Sidera, & optato tot luſtris ſidera nato
Donârunt: viduas quò major luctus adiret

Tha-

Tharaidûm ſedes? ſatiùs mihi fortè fuiſſet
Gaudere haud unquam perdulci nomine matris;
Quàm fugitivâ adeò genitricis ſorte potiri.
O ſortem infeſtam, patri, matríque doloris
Fœnore penſantem conceſſi gaudia nati.
O cruda, immanis, trux, barbara, ſæva, doloſa
Atropos, & Lacheſis, rumpénſque tenellula Cloto
Stamina; quæ nobis fortaſſe invidit Alexis
Gloriam, & æthereis donatum pignus ab oris.
Jam manes fortaſſe tuos, mi nate, ſorores
Demulcent ſtygiæ, dulcíque fruuntur amore;
Dum noſtro jacet in gremio duntaxat acervus
Pulveris, atque cinis, lacrymarum fonte rigandus,
Materiem fœdam terræ, cœnúmque daturus.
O luctus matris! Vah! quid Libitina patrâſti?
Ergóne corporeus devincens lilia candor,
Atque nives, poſthac atrâ fuliginis umbrâ
Tingendus, nigris evadat libera blattis
Area, & infectis gratiſſima pabula donet?
O dolor! ô lacrymæ! Prô fati dira tyrannis!
Ergóne quæ matri colluſerat oris imago,
Et gemini ſoles oculorum, ac labra roſeto
Æmula, Narciſsíque genæ, vicináque lacti
Purpura, in horrificam properat tranſire mephitim?
O quò flos generis cecidiſti pulcher Adonis?
Ecquid in innocuo falcem mors effera nardo
Exercet ſinè lege furens, matríque cupreſſos
Erigit, & mutilas vetulo cum Neſtore taxos
Præterit; ut teneris indicat bella geniſtis?
Me me præcipiti decuiſſet tradere fato
In ſenium, ac capulum pronam, non floris honorem
Primævæ ætatis. Vah effera jura ſororum!
Quò jam fortunæ deſcendent munera? Quò ſe
Majorum immenſi devolvent æris acervi?
Forſan in adverſas cadet hæc opulentia dextras
Immemores noſtri, luxúmque, ſcelúſque fovebit

In

In patriæ laudis probrum, ſtirpíſque perenne
Dedecus, ac infandi criminis incrementum.
O utinam in noſtrum fortunæ munera natum,
Virtutis patriæ hæredem de jure migrâſſent!
Haud dubiè ſtaret Chananæi nominis orbe
Gloria, & in Superûm cecidiſſent fœnora queſtum.
Sed jam (pro Cæli! quis iniquus volvitur ordo
Fatorum?) ſed jam (ehêu quantâ mole dolorum
Opprimimur!) ſed jam (vix fandi copia reſtat)
Funditùs occidimus. Sed quid per multa gravamur
Pondera curarum? Cur mœſto corda dolore
Jugiter exedimus? Quod providus ordo Tonantis
Deſtinat, id ſemper mortali jure ferendum
Æquanimâ eſt mentis trutinâ, legíque ſupremæ
Conformare juvat mentem: nè fortè laceſſat
Numen, & in juſtas irritet ſidera pœnas.
At quæ neſcio ſpes Superos dictare faventes
Occipit, atque mihi reddi deperdita poſſe
Nuntiat, & mœſtis revocari pignora regnis.
Nam qui per vatem potuit virtute ſupernâ
Præditum, anhelatâ toties me prole beare:
Cur non corporeos à funere poſſit in artus
Innocuam revocare animam? Quid ſidera poſſint,
Forſitan haud viſum Chananiti thauma probabit.
Vix ſecum hæc genitrix, cùm ſpe lactata, fidéque
Plena, in maternos funus ferale lacertos
Injicit, & proprias celeri pede fertur ad ædes.
Hic nati exanimes artus, tenerúmque cadaver,
Saphatidos vili deponit ritè grabato,
Ac clauſtrum ferro, nec non compagibus arctis
Munit; nè quiſquam valeat laxare penates.
Interea patriis, aſſenſu conjugis, exit
Finibus, & ſervûm fido ſtipata labore,
Ad Vatem celerat feſtinis vecta quadrigis,
Spéque alas addente volat, ciſiiſque citatis,
Ad deſignatam defertur concita metam.

Huc

Huc amor, atque dolor ducit. Spes corde triumphat.
Poſtquàm Carmeli prærupta cacumina montis
Attigit: ad notam myſtæ ſe ſe illico ſedem
Corripit, & multo lacrymarum infuſa fluento
Saraidûm Niobe, ſe cernua projicit ante
Sacros fuſa pedes, intérque abrupta doloris
Pondere verba, ſuam depromit fæmina cauſam,
Eloquium miſcens lacrymis, ac talia fatur.
Magne DEI myſtes! Chananææ gloria terræ,
Divúmque interpres. Tibi veri dextra Tonantis
Æthereum tribuit robur, ſuperíſque potentem
Viribus, Iſaciæ te ſolum contulit oræ.
Hæc ad te liceat mihi paucula verba profari.
Nuper in optatam divino munere ſortem
Me me evexiſti; quod nullo jure merebar,
Dilectâ me prole beans. Sic dedecus omne
A genere ablatum eſt; quo me perſæpe propinqua
Tecta laceſſebant, Cæliſque inviſa ferebant
Limina, tot profugis viduata propagine luſtris.
Verùm hæc tot querulis per te mihi tradita votis
Gloria, in opprobrium recidit. Prô! verba reſorbet,
Atque animum reprimit vis penè immenſa doloris.
Hæc, inquam, matri Superûm donata favore
Gloria (confundunt lacrymarum flumina vocem.
At quid fæmineo planctu ſacrata profano
Atria? Diſcedant queſtus, ſævíque dolores
Eloquii remoræ.) hæc inquam pulcherrima matris
Gloria, ad infames Libitinæ proruit oras,
Et rurſum viduos patri, matríque penates
Reddidit, immenſo replens utrumque dolore.
O ſi fortè vales majori robore quidquam
In rigidam fati dextram, manéſque referre
Corpus in exanimum potis es, virtute ſupernâ:
Barbara continuò Parcarum jura reſolve,
Et generi noſtro columen, vitæque levamen
Redde DEI myſtes. Sic aſtris gloria creſcet

Am-

Amplior, atque fides majus feret incrementum.
Dixit, & in riguos diffundens lumina rivos,
Plùs lacrymis movit, verum confeſſa dolorem,
Quàm verbis Vatem. Nec vota, precéſque feſellit
Baucidis Iſacidûm, magnus virtute Prophetes.
Quare confeſtim notum pietate Giezi,
Mirifico inſtructum baculo, quo grandia Vates
Thaumata patravit, viduatas mittit ad ædes
Pignore: ut impoſitâ famulari munere virgâ
Exanguem ſuper impubem, lethíque rigentem
Frigore, vitales animam deducat in auras.
Interea myſtes ſequitur, comitante Calypſo
Saraidûm, & varias miſcet pro more loquelas;
Quæ Cælum ſapiunt duntaxat, quæque miniſtrant
Lemmata virtutum. Quid enim devotus Olympo
Vates, quàm Cælos ſacro depromat ab ore?
Dum tota æthereo dependet fæmina labro,
Atque DEUM recipit, divináque pectore, callem
Virtutis preſſura dein; quò præmia vitæ
Sanctiùs exactæ referat: ſe ferre Giezi
Obvius accelerante gradu, mœſtúmque referre
Nuntium, ab impoſita virtutem cedere virga,
Nulláſque in rigidum vires depromere fatum.
Non hoc terreri Vates, muliérque fidelis
Nuntio: & ille quidem divino Numine plenus,
Hoſpita tecta ſubit; quêis uſus crebriùs hoſpes,
Bellum indicturus letho. Quid verò Corinna
Saraidûm? Hæc confiſa DEO, Vatíſque miniſtro
Munere, ſpe certâ vivit, ceſſura potenti
Fata viro, ac nato rediturum protinus ævum.
Et verò fidei, pretium non denegat æther.
Multum vera fides ab largis impetrat aſtris.
Sed jam Sapbatides veteri pro more cubile
Ingreditur, reperítque ſuo lugubre grabato
Funus, & exangues, Parcis adſtantibus, artus.
Ecquid agit Vates? Juſſis abſcedere tecto

Omni-

by Google

Omnibus in lacrymas fuſis, ſtrictéque ſeratis
Poſtibus, in terram lunato poplite ſupplex
Labitur, ac Cælos appellans, talia fatur.
Magne DEUS! cujus primas ſinè limite vires,
Orbes ætherei, mundíque theatra verentur,
Atque tuo, cêu par eſt, omnia ſtántque, cadúntque
Imperio: in noſtrum ſolito deſcende favore
Tantiſper votum, miſeríſque allabere rebus
Omnipotente manu. Non nobis dedita mundo
Gloria, ſed Cæli veniet duntaxat honori;
Quod prece demiſsâ petitur. Quod poſcitur, uno,
Supra naturæ vires, producere nutu
Aſtra benigna valent. Quod præſens flagitat ordo,
Solum eſt: quò ablatum immaturo funere natum,
Subjectóſque foro Libitinæ, in corpora, manes
Omnipotens revocet Numen. Sic jura tot annis
Hoſpita penſabit, Cælíque benigna pateſcet
Merces; quæ meritam ſequitur cum fœnore dextram.
Si mea, quod virtus equidem non iſta meretur,
Vota audis Numen: fidi tibi munia ſervi,
Obſequiíque vices refero, totúmque cruorem
Conſecro, & intactam deduco crimine vitam.
Quid quod, cêu nóſti, major tibi gloria ſurget
Abramiis victura plagis, pulſáque deorum
Sedibus effuſorum Erebi caligine, clarum
Se fidei lumen Chananæas fundet in oras,
Mundúſque agnoſcet, verum regnare Tonantem.
Reſpice vota DEUS. Fidum nè deſere Vatem.
Dixit, & auditas perſentit ab æthere voces
Numine jam plenus, Cælúmque in vota paratum
Eſſe videt. Quare levat illico cernua terris
Lumina, & erectis ſublato corpore membris;
Protinus accedit conſtratum vile grabatum
Funere, & exanimo, cêu dictant ſidera, pupo
Caſtiùs incumbit, corpus vitalibus auris
Ritè paraturus. Quódque olim præſtitit alto
Thaumate Theſbites: proprium diffundit in artus

Fatali brumâ gelidos, rigidóſque calorem ;
Ut rectè appoſitam, redituri in corpora manes,
Inveniant molem membrorum, animéntque cadaver
Rurſum in præteritæ dulciſſima munera vitæ.
Et vero invito quantumvis ordine fati ,
Decreto Superûm, infernis redit illico regnis
Spiritus, & teneros pueri involat ocyùs artus,
Atque ſuas parvo concludit limite vires.
Jámque iterum geminos oculorum puſio ſoles
Explicat: in niveas ſuccedit purpura malas :
Labra tenella movet; ſeptenis oſcitat ore
Jam patulo vicibus ; reſpirat, nuntia mittens
Vitæ, cêu toto difflaret corpore lethum,
Vitalíque probat ſe pupus veſcier aurâ.
Ut depulſa videt fatorum jura, Tonantis
Imperio Vates, ac ducere leniter ævum ,
Ereptum Lacheſi florem : longæva precatur
Tempora Jeſſiadûm decori. Tum clauſa recludit
Oſtia, & immenſum genitricis adeſſe dolorem
Præcipit interpres Divûm. Nec longiùs illa
Abfuit, eventum rerum ſpe plena morata ,
Denuò in amplexus vivi ruitura puelli.
Ut venit, vidit, divino munere vivis
Redditum, & uſurâ lucis dilecta potiri
Pignora ; quæ tantis rogitabat ab æthere votis.
Hic ſe vix capiens, pulſo jam corde doloris
Supplicio, genitrix ; ſacros feſtina Prophetæ
Procidere ante pedes ; millenas reddere grates
Pro vita ſobolis, ſe ſéque ex aſſe Tonanti,
Ac Vati ſacrare nurus. Quis cætera fando
Explicet Hypſiphyles Chananitis verba favore
Illita, & affectus pro viva prole recepta ?
Jam rurſum patri, matríque redire priora
Gaudia, & in totos ſe jubila ferre penates.
Vive tua gaudens recreata propagine mater
Hoſpita jura colens ; quæ Cælum fœnore multo
Penſat non pretium, ſed cordis munera ſpectans.

D. STA-

D. STANISLAUS
Prodigioſus veritatis teſtis.

D. Stanislaus urbis Cracovenæ Antiſtes, prædium à Petro viro nobili juſtô pretiô comparans, per apochen ſibi non caverat, alios metiens è ſua virtute. Hæredes Petri fortunarum aſſem à defunctо relictum totum ſibi vendicaturi, ad Boleslaum Regem, Præſuli perinfeſtum, cauſam deferunt. Lis abjudicatur Stanislao, tabulis, ac teſtibus carenti, jubetúrque non ſua legitimo tradere hæredi. Antiſtes ab humana deſertus juſtitia, ad divinam convertitur. Tridui petit inducias, Petrum pro tribunali ſtiturus. Accepta, exceptáque cum riſu conditio. Tertiâ die effulgente, Petrum altiori virtute in vitam revocans, ad forum regium deducit, juſtæ cauſæ ſuffragantem. Pronuntiatâ à Judice pro Stanislao ſententiâ, Præſul reducit Petrum ad monumentum, denuò moriturum, ut æternùm viveret. Omnium pectora concuſſit tam inſolens actor, ſolo Boleslao in ſilicem durato; qui Stanislaum ſacris operantem immaniter trucidari juſſit, pœnâ parricidam inſequente. *Martinus Cromerus Hiſt. Polon. lib.* 4. *&* 9.

AStream terris reducem, verúmque, fidémq;
Non ſtreperos adiiſſe lares, non aureaRegum
Atria, non populos, nec tecta frementia raucis
Litibus; at tumulos monumentáque muta virorum
Muſa heroa canit. Quod ſontica juris iniqui
Curia, quod fidei, veróque inimica negârunt
Limina Regnantis, vitáque, animáque ſolutus
Aſſerit, atque probat rigidi ſervator honeſti.
Hunc dum Theſpiados tuba perſonat orbis utroque
Climate: tu numeros Themis exæquata miniſtra;
Nè pedibus recto declinet tramite Muſa.
Quondam Sarmaticæ non infima gloria terræ
Sacrorum Antiſtes, mitrati culmen honoris
Stanislaus erat; quem virtus rara, favórque
Cælituum, primis meritò decreverat aris,
Paſtorémque gregis CHRISTI, morúmque Magiſtrum
Inſtituit Latii, ac orbis ſuprema poteſtas,
Purpureúſque Patrum cætus. Stetit ille verendo
Munere pro roſtris, facundum Neſtora ſemper
Prætulit, ac patriis fuit alter Tullius oris,
Commiſsóque gregi divini pabula verbi
Præbuit, & populos ſacrâ dulcedine pavit,
Sæpe Periclæo ſceleratam fulmine vitam
Perculit, atque gelu mentis, cordíſque rigorem,
Qui per Hyperboreum ſe latè effuderat axem,
Ardens eloquiis, in ſacros excitat ignes.
Sed veri incorrupta fides, corrupta flagellans
Pectora, non ſemper merito penſatur amore.
Quin vaſtas odii flammas ſuccendit, & iræ
Jurgia, cêu Præſul ſolio, populóque peroſus
Sâtque, ſupérque probat. Non ſemper vera Monarchis,
Subjectæque placent genti, velut edocet uſus.
Fortè à Lechiada, cui Petri nomen, avitâ
Stirpe viro, agreſtes juſto ſibi comparat ære

Fun-

Fundos; queis auctis ſuperaddat commoda ſacris,
Majorémque DEO, Diviſque accerſat honorem.
Nil de legitimo ſanctiſſima dextra tributo
Præſulis imminuit; pretio ſed ritè ſoluto,
Subſignante fide Petrinum poſſidet arvum.
Verùm apochâ pacti, quæ rerum fœdera firmat,
Non ſibi præcavit conſulto pectore, cenſens
Nempe, fidem verbis potiorem jure teneri.
Quippe ſuâ virtute alios eſt menſus, opinans,
Nulli perverſam fraudis ſuccreſcere mentem.
Interea fatis concedens, debita ſolvit
Naturæ Petrus. Quo functo vulturis inſtar
Fortunarum aſſem non unus diripit hæres,
Luſtratáque penu, capiunt, rapiúntque famentes
Omnia; qui Petro conjuncti ſanguinis exſtant
Ordine, & attribuunt proprio patrimonia juri.
Non ſic Arcadiæ ſævo clangore volucres,
Ocypete, furáxque Celæno, ac turpis Aëllo,
Uncis invadunt manibus bona fercula menſæ:
Ceu hæredipetæ, Petri poſt fata, citatis
Depopulantur opes dextris, & ſcrinia, bulgas,
Ac dites loculos expilant, plura volentes,
Si jam plura forent. Excuſſis omnibus, unum
Fortè deeſſe vident. Quid vobis deficit auri
Tantalidæ, Unidiíque avidi quid deficit? An non
Æris fortè ſitim relevâſtis, ſtirpe lucronum,
Mygdoniíque ſenis prognati ſanguine? Sed quid
Hæc ego percontor? Nunquam ſat dira cupido,
Non ſat avarus habet. Si totus defluat Hermus,
Pactolíque rubens flumen, vel copia Cræſi,
Perſarúmque, Midæque feras de divite cenſu
Fœnora, non ſatis eſt. Quid porrò flagitat auri,
Dicite, ſæva fames? Camporum jugera clamat,
Clamat abeſſe: citò date, reddite prædia nobis,
Reddite; quæ ſcripſit nobis ſuprema voluntas
Lechiadis. Dabitur, quod poſcitis, illico vobis;

Si veſtrum tabulis jus confirmare valetis.
Sed nulla in tabulis agrorum notio proſtat;
Ergo jure nihil dabitur. Sunt prædia Petri
Nuper legitimâ ſacris venumdata merce.
Unde revolvunt, evolvunt tabularia Petri,
Omniáque authographis quæ ſunt mandata libellis,
Sollicito inquirunt ſtudio. Sed nulla Cracelli
Præſulis in cupidum deſcendit ſyngrapha lumen:
Littera nulla patet cum Petro fœderis icti
Nuntia, de ritu legum. Tua res, nisi fallar,
Sacrorum Præſes, ruris diſcrimen adibit.
Quid quod mitrati jacturam nominis, augur
Colligo: vel ſanctæ (quod juſtum Numen ab ævo
Prœſulis avertat) venit ultima linea vitæ.
Forſan Sarmaticis dictabat ſæva Dynaſtis
Jura Boleslaus Princeps, haud nomine dignus
Principis, immani Lapitharum ſtirpe creatus.
Hunc ſcelus, & fœdæ maleſvada licentia vitæ
Immeritum tulerant ebori, regníque coronæ,
Inviſúmque DEO. Tam vaſta piacula Regis,
Probra coronati capitis, quæ plurima ſecum
Præcedente trahunt ſubjecti crimina ſceptro;
Lechiadûm vittatus apex pro munere crebrò
Arguit, & meritum non rarò fulmen ab alto
In ſcelerum authorem librat; quò Principe fracto,
Terreret crimen populi, ſanctóſque referret
In Lecham gentem mores. Hæc libera docti
Præſulis hortamenta, graves in Principe flammas
Irarum accendunt, urúntque furore Monarcham.
Qualis ab Ogygio Trieteris concita patre,
Præcipiti lymphata gradu, per compita fertur:
Aut qualis jaculo percuſſa leæna ferocit:
Hircaníve premit raptorem bellua fœtus:
Vel ſerpens calcata furit: ſic Principis ira
Æſtuat, atque animo furiales concipit ignes,
Et rigido monitis Myſtæ, ſexcenta minatur

Fune-

Funera, mille neces. Non hæc latuere ſamentes
Agrorum Harpyas; quas mordax cura diúque,
Noctúque exagitat, fervénſque agit ardor habendi
Jugera camporum; quæ Præſul poſſidet æquâ
Aſtreæ trutinâ. Sed nè dilata cupido
Arvorum porrò cruciet: dum frena furori
Laxat adhuc Princeps, ſævi acceſsêre tribunal
Maſſagetæ, nullo deberi jure probantes
Adſcriptos ſacris non paucis meſſibus agros.
Utque fidem dictis faciant, veteríque recentes
Subjiciant iræ flammas; poſt plurima ficti
Criminis in Myſten probra, ſubnixi arte Pelasgâ
Incendêre nefas ſolii. Non teſtibus, ajunt,
Se firmare poteſt: non juris ſanctio pactum
Ulla probare valet: nec juſti curia regni
Conſignat quicquam tabulis, venumdata ſacris
Prædia, legitimâ Themidos quod lege probetur.
Arripit optatam vexandi Præſulis anſam
Dira Boleslai rabies: concepta furoris
Semina, lymphato quæ ſuggerit ultio Regi,
Sparſurus luci. Juris ſe ſpondet iniquus
Rem libraturum trutinâ, cauſæque patronos
Hæredi attribuit; quos gratia Principis omne
Flectit in arbitrium; quos mercenaria ducit
Lingua, vel in veræ, vel falſæ pondera cauſæ,
Quíque canina fori duntaxat jurgia ſpectant.
Proh! ubi juris amor, cujus ſtat fœdere mundus?
Ah! ubi jam frontem limbo velata pudicam
Adraſtea decus ſolii, columénque Regentûm,
Ritè vales firmare gradum? Longè manet illa,
Ac lacrymis perfuſa genas, deplorat iniqui
Sontica jura fori, conſique ſubire prioris
Atria juſta petit; ſed Lechum nemo tribunal,
Atque locum cedit Themidi. Mendacia quippe
Præclusêre viam; nè tangere limina poſſit,
Atque pedes inferre throno. Quid juſta moraris

Principis? Orcheſtrâ juris ſi cedere nolis;
Quàm metuo, nè ſanguineo te perpluat imbre
Arbiter, ac mœſto procumbas victima fato.
Ah alias jam viſe plagas: aut muta ſepulchra
Incole; quæ t utis ſervent tua numina clauſtris.
Non ſtat juris honos, ubi crimen ſceptra capeſſit.
Dum videt æqua Themis, juris ſancita, decúſque
Ad ſolii depreſſa pedes, verúmque, fidémque
Proteri, & omnigenum Lechi ſub calce gementem
Virtutis, rectíque chorum: ſe protinus aulæ
Limine, & infeſtâ virtutibus ejicit æde.
Non equidem in ſuperas alis pernicibus oras,
Arctois exoſa plagis, ſceptróque revertit;
Sed terræ ſe ſe credit, tumulíque fideles
Accedit ſedes, funeſtis clarior umbris,
Atque inter manes tutam captura quietem.
Jam ſedet ad buſtum, nullis obnoxia telis
Fatorum, nullúmque pavet diſcrimen ab æqui
Contemptore throno, lancémque, enſémque reponit
Marmore lugubri. Sed cùm perjuria Lechi
Occurſant animo, mœſto ſuſpiria ducit
Pectore, & altiſonos gemitus de corde profundit.
Irrorat malas lacrymis, & queſtubus implens
Æthera, ſingultus inter vel talia fatur.
Magne DEUS, cujus ſceptro, nutúque reguntur
Omnia; qui juſto terras examine libras:
Aſpice Hyperboreo debacchans crimen in axe,
Fœcundum in fraudes ſolium, & molimen iniquum
Aſpice; quod ſanctas Aſtreæ deſpicit aras,
Atque tibi charum per fœda opprobria Myſten
Jactat, & inſulſis deridet ſacra cavillis.
Quid quod jam ſolus Lecho dominatur Avernus,
Juráque præſcribit ſuperas violantia leges,
Ac Divûm, & Themidos fœdè aſpernatur honorem.
Háncne feram labem? Non dedecus aſtra merentur.
Aut fas ad ſolium redeat, legúmque ſtatera

Jure

Jure cuique ſuum tribuat: vel præcipe natam
Rurſus in æthereos ſua ſigna referre penates.
Has Adraſteæ mœſtas pronâ accipit aure
Quæſitor ſummus voces, natæque gementes
Molli verborum lenit popyſmate queſtus,
Et jubet obſcuro tantiſper degere buſto
Inviſam luci Themidem, dum clarior orbi
Prodeat, & Lechis præſcribat dogmata regnis.
Interea ſolium contemptor poſſidet æqui.
Jámque ſubornatâ perverſis fraudibus urnâ,
Corruptus quæſitor adeſt, technîſque, ſtrophîſque
Intentatarus litem, quâ Præſulis æquum
Reſcindat, totóque foro diſcedere cogat.
Dicitur ergo dies ſacrorum Præſidi. Et ille
Continuò ſequitur regalia juſſa, foríque
Judicium accedit, nullâ formidine tactus,
Nullâ palleſcens culpâ. Nam conſcius æqui,
Securúſque ſui, ſtat quodlibet ante tribunal.
Hic raucus latrator adeſt, multíque forenſes
Circumſtant rabulæ, & blaterones voce crepantes
Jurgia: néve diu lis pendeat, unus inepto
Verborum ſtrepitu depugnans, talia fatur.
Nos equidem Patrem; cui tempora mitra bicornis
Ambit, ſacrorúmque caput, morúmque Magiſtrum,
Omnes unanimi, ùt par eſt, veneramur honore.
Te ſacer ornet apex. Nobis cognoſcere cauſas,
Sarmatiæ dedit æqua Themis, læſíque tueri
Jura fori; damnare reos, abſolvere pœnâ
Criminis inſontes; juſtâ decernere lance
Omnia; quæ ratio legum, juríſque ſtatera
Flagitat à nobis. Sed nè per longa vagari
Nos fortaſſe putes verborum prælia: cauſam
Præſulis ordimur, noſtram quæ fertur ad urnam.
Hæres Petrinus queritur ſibi debita campi
Jugera, Pontificem non æquo jure Cracenis
Adſcripſiſſe ſacris, inopíque evellere nato,

Cuî colluctandum eſt cum Codri ſorte, pudendo
Nomine; nî erepti reddantur protinus agri.
Si poſſeſſorem fidei te ferre probatæ
Syngrapha juſta valet: te cognitor eximet omni
Suſpicione mali, partéſque tuebitur æquas,
Et querulæ hæredum dabit alta ſilentia linguæ.
Verùm cùm Præſul, nec teſte, nec ordine juris,
Nec tabulis poſſet mercatos ære probare
Legitimo fundos: litem illi abjudicat ordo
Improbus, atque jubet, damno emergente refuſo,
Invalidè poſſeſſum extemplò reddier agrum
Hæredi domino, & juris decedere cauſâ.
Atque ità ſacra fides æqui, veríque ſtatera
Corruit ad Lechi ſolium, nemóque cadenti
Ferre manum cauſæ; non ſuccollare ruentem
Juſtitiæ ſortem; quam regius arbiter ipſe
In fœdam trahit, Aſtreâ indignante, ruinam.
Cede proinde fides. Non ſunt hæc atria vero
Dedita; quippe ſilent viduatæ judice leges,
Fraúſque, dolúſque ſtrepunt corruptam juris ad aram:
Crimina mendaci ſtipata ſatellite, ſceptrum
Præripiunt vero: fremit atra calumnia, & omne
Sedibus huc Erebi vitiorum convolat agmen.
At quid aget Lituus? Quod, iniquâ pulſus ab æde,
Appellare forum poterit? Non reſtat in aula
Principis ulla fides. Fas iſtis exulat oris,
Nulláque Sarmaticis eſt integra curia regnis.
Jus ubi corruptum eſt, regnátque licentia falſi;
Omnigenæ facilis reſeratur janua noxæ.
Dum videt humano ſe Stanislaus ab æquo
Deſertum penitùs: juſtum petit orbe tribunal
Æthereo degens, tacitúſque faventia poſcit
Sidera, & ad gentem Lechorum talia fatur.
Non veſtri juris reprobare humanitùs urnam
Juſtitiæ Proceres volumus. Sed conſcia Cæli
Numina teſtamur: nos æquâ merce paràſſe

A Pe-

A Petro fundos; quos non invitus avitæ
Stirpis homo licitatus erat, quóſque addere ſacris
Jure ſuo potuit. Tabulas dum tradere vellet
Accepti teſtes æris, pro more recepto:
Abnuimus, ſolâ contenti voce, fidéque.
Abſtulit is fundi pretium: nos prædia templo
Addidimus, nulláque fori convenimus urnâ.
Nè tamen oppreſſis damnum irreparabile ſacris
Accedat: ternos duntaxat jura favete
Soles, & vobis hæc ad Prætoria juris,
Condita ſiſtemus redivivi corpora Petri.
Dixit, & obticuit. Sed toto curia ſplene
Funditur in riſum, & naſo criſpante, cachinnos
Tollit iniqua cohors. Vix continet ilia Princeps,
Excipiúntque jocis ſanctiſſima Præſulis auſa.
Haud ægrè à fatuis ridentur ſacra cavillis.
O mentes fatuæ, craſſóque ſub aëre natæ!
Anticyras celeri pede currite: cymbia plena
Helleboro potanda dabunt; quêis ſana redibit
Lechiadi ratio; væcordia tota recedet,
Juſtitiæque ſitis veniet. Quid? jâmne Tonantis
Abbreviata manus dementi corde putatur?
Nónne potens Numen, vitæ, mortíſque ſupremus
Arbiter, ad lucem mundi revocavit amatum
Magdalis agnatum, ac plures vitalibus auris
Reddidit? Et Petri manes excire profundo,
Non poterit verbo? Prô? quæ veſania mentem
Occupat? Anne fides, Themide abſcedente, receſſit
Integra? Jámne DEUM nil poſſe protervia cordis
Autumat? O rabulæ, legúmque opprobria! Veſtram
Corriget Antiſtes, ſtupefacto jure, ſlateram,
Atque fidem veri per mortua labra docebit,
Imponétque throno frenos, falſóque capiſtrum.
Interea juris ſuſpensâ, in probra, bilance
Propitium Myſtes Numen, Divúmque favores
Conciliare ſibi ſatagit. Quò verò benignus

Æther

Æther mittat opem; demiſſo poplite Cælos
In ſua vota citat, noctéſque, diéſque ſupinas
Ad Superos tollit palmas, lacrymiſque perorat.
Sæpe fores diæ Themidos prece pulſat: acerbè
In ſua deſævit ferratis tergora flagris,
Sanguineo manante vado, ſacráſque cruori
Affundit voces. Quin cingit tegmine lumbos
Hirſuto Cilicum, potúſque, cibíque diurni
Nulla alimenta capit. Solùm rogat, atque precatur,
Ferre laboranti divina potentia vero
Vellet opem; quò preſſa foro bona cauſa reſurgat,
Lechúſque agnoſcat ſupremum Numen in orbe;
Quod tumidas ſummâ præcedit lege coronas.
Audiit Omnipotens, faciliſque in vota clientûm,
Annuit optatis. Nam ſpem ſe jure vocantem,
Confiſámque DEO, nunquam contemnere ſurdâ
Aure ſolet Numen. Quod Stanislae petiſti,
Cælicolæ efficient. Confundent juris iniqui
Orcheſtram Superi, verúmque, fidéſque, Themíſque
Invictos referent de Rege, foróque triumphos.
Dum ſe purpureum lux tertia ſparſit in ortum,
Jámque rubeſcebat radiis mare, & ætheris alto
Pallantis roſeis exibat lutea bigis:
Cùm Stanislaus ſacris de more peractis,
Numine divino plenus, ſpe cælitùs hauſtâ
Ad notam Petri ſe ſe illico proripit urnam.
Funereum hìc Lechi marmor, tumulúmque movere
Præcipit, aggeſtámque jubet divellere terram.
At Litui comites mira expectatio tangit,
Suſpendítque omnes. Hos admiratio verſat,
Hos pietatis honos, nec non reverentia Myſtæ
Occupat, eventúſque rei perplexa moratur
Pectora, & in varios ducit præcordia ſenſus.
Interea Antiſtes, revoluto tegmine fœdi
Corporis, illuvie multâ, tabóque fluentis,
Paſtorale pedum dextrâ levat, horrida tangens

Fune-

Funera, & in veri magnâ virtute Tonantis
Rurſus corporeos animam jubet ire per artus.
Accipit hæc Petrus, quódque eſt mirabile viſu,
Tabida membra movet; capulo ſe ſe erigit, atque
Fatali ſurgit buſto. Jam conſtat utroque
Corporis in fulcro; circumſpicit omnia latè;
Mitratíque colit, ceu par eſt, culmen honoris,
Ac promptus ſe ſe comitem, quò duceret, offert.
Præſul ad injuſtum ſecum jubet ire tribunal
Lechiadem veri teſtem, juſtámque tueri
Pro merito rerum cauſam, verúmque fateri;
Cui quæſitoris corrupti derogat urna.
Quid multis? ſimul ad ſtreperam ſe juris uterque
Ferre gradu orcheſtram. Princeps jam præſidet alto
Oſor Juſtitiæ ſolio, regníque Lycaon,
Ac Litui adventum, totâ ridente coronâ
Exſpectat Procerum, luſurus ſannio Myſten.
Omnes poſſe negant vitales rurſus in auras
Ire Petrum, ac veræ revocarj in munera vitæ.
Heſperiis, reputant, citiùs Titana redire
Poſſe plagis, quàm pallentes ut Sarmata manes
Rurſus ab infernis ſuperas producat ad oras.
Sed quod vis humana negat, divina probabit
Virtus poſſe dari: ceu jam redivivus abundè
Teſtatur Lechus. Comite hoc Prætoria legum
Præſul adit, notum ſiſtens ad limina Petrum,
Atque ſui juris teſtem, cauſæque patronum.
Hunc ubi defixo quæſitor lumine cernit
In ſuperas remeâſſe plagas: ſtupor occupat artus;
Formido pectus glaciat, pallore notatur
Exangui vultus; gelidus de corpore manat
Sudor; genûa tremunt, totúſque pavore gelatur.
Hìc Stanislaus fractis formidine Lechis,
Verba facit, cauſam referens, ac talia fatur.
Ecce virum vobis coràm virtute ſupernâ
Siſtimus: hunc ſacris licitatum prædia rebus

Ordi-

Ordine legitimo Themidos, non vana loquuntur
Indicia; ut tandem ſolio ſit notio veri.
Ille fidem recti vobis, juſtíque referre
Abs fuco poterit. Si quiſquam fœdera veſtrum
Haud ſatis æqua probat: Petrum pro teſte jubete
Dicere; quem crimen falſi non occupat ullum.
Non opus eſſe putem tabulis, apochæque figuris.
En venit in rem præſentem vox viva, quibuſvis
Teſtibus integrior; quam Cæli ſola poteſtas
In juris recti ſpecimen, veríque trophæum
Sarcophago emiſit; vobis qui vera referret.
Hæc ubi fatus erat, Princeps, Patrúmque ſenatus
Perculſi, novitate rei, quam miſerat æther,
Obriguêre metu. Sed quæ reſponſa pararent:
Vel quò ſe ferrent convicti teſte probato,
Ignorant penitùs. Timor obſerat ora, pudórque.
Hæc inter Petrus tumulata ſilentia rumpit,
Atque gravi Regem verborum fulmine quaſſat,
Et reprobas Procerum mentes, hæc ritè profatus.
Ille ego Lechiadûm quondam de ſtirpe profuſus,
Cognatus generi veſtro, ſi ſtirpis avitæ
Spectatis ceras; fumoſáque gentis honoræ
Atria; quæ mundus magni facit, atque veretur.
At Superi hæc nihili pendunt, ſolúmque tuentur
Virtutum genus, atque decus. Me veſtra ſubire
Limina præcepit juſtiſſimus arbiter orbis:
Quò veri exhibeam ſpecimen, cauſámque mitrati
Præſidis hic rectè tuear, legúmque theatro
Perſonam referam; quæ juris munia præſtet.
De quo nè veſtrum quiſquam contraria porrò
Autumet: hìc Cælum redivivi corpora Petri
Siſtit, & ablegat verum poſt funera teſtem.
Quare non lateant quemquam æqui pondera juris;
Lechiadûm quæ Præſul habet. Sunt prædia juſto
Ære repenſa mihi; quæ veſtræ legis iniquus
Ordo aliis tribuit, ſacríſque negare Cracenis

Auſu

Auſu præſumpſit temere. Si pergitis æquum
Aſtreæ violare forum; Rhamnuſia Cæli
Arbitrium falſi multabit vindice pœnâ.
Unde magis cordi ſint vobis juris honores.
Cuîque ſuum tribuant leges, rectique tenorem
Flectere non odium cogat; non gratia quemquam
Præferat; inſonti veniant ſua jura, ſalúſque;
At nocuum plectant. Id ſemper flagitat ordo
Ter ſanctæ Themidos, lex ſervantiſſima juris.
Hoc demum ſcitote velim: non eſſe tribunal,
Quod non arbitrio graviori Numinis, atque
Vindiciis Cæli ſubſit, Superúmque ſtateræ;
Quæ terræ leges æquis moderatur habenis,
Ac ſinè delectu perſonam judicat omnem.
Dixit, & attonitam Lechorum reddidit urnam.
Hic Rex, ac trepidi Proceres demittere durum
Verticem, & inſolito, miróque opponere teſti
Æthère ſubmiſſo, nullâ ſe lege valentes;
Pro Stanislai conclamant partibus omnes.
Sícque hæredipetæ convicti teſte probato
Jure foro cedunt. At Præſul victor aperto
Numinis, oſtento, retrò veſtigia flectit.
Hunc comitatur honos, & multi gloria Lechi.
Dúmque gradum referunt, Antiſtes Numine plenus
Dat libertatem Petro, producere vitæ
Tempora, ſi lubeat: decurrere leniter ævum
Inter Lechiadas, exemptum funeris umbrâ.
Sed quid ad hæc Petrus? Quod ſvadet cura ſalutis.
Nempe humanarum pertæſus jurgia rerum,
Defugiénſque fori Scyllam, robuſtáque Lechûm
Crimina; quæ fœde commiſcent ſacra profanis;
Non avet in dubias mundi remeare procellas.
Se flammis equidem luſtralibus uſque teneri,
Commeritiſque, inquit, pœnis; verum eſſe ſalutis
Æternæ certum; quam nollet reddere rurſum
Ambiguam, portúmque ſalo mutare frementi.

Indè

Indè verecundo Myſtem exorare precatu :
Ut ſibi delictis meritos attemperet ignes,
Ac citiùs ſe ſe pœnoſo carceris antro
Eximat, & ſuperas faciat conſcendere ſedes,
Nec caſſæ cecidêre preces. Nam Præſul amico
Fœdere, ſuppetias divinam ſpondet ad aram
Laturum ſe ſe crebrò, manéſque beata
Atria viſuros citiùs promittere Flamen,
Séque ſuo pariter jam commendare patrono.
Et ſic, innumerâ ſtipatus uterque coronâ,
Ad tumulum reflectit iter. Vix limina tangunt
Funereæ ſedis : cùm mitra bicornis adire
Buſta jubet Petrum, capulóque jacere priori
Præcipit in cineres abituros corporis artus ;
Dum ſuprema dies perituro illuxerit orbi.
Ille in ſarcophagum reſupino corpore ſe ſe
Leniter inſinuat, circumſtantéſque precatur :
Vota DEO faciant : quàm primùm ultrice levari
Ut poſſit pœnâ, veróque exſolvier igne.
Dixit, & in longam claudit ſua lumina noctem,
Atque ad lethæas ſe rurſum proripit umbras.
Jámque iterum ſtygiæ ſulcator pallidus undæ
Devehit in lembo tenuem ſinè corpore vitam ;
Quò manes Lechi luſtrales ſiſtat ad oras.
Indè frequens pòpulus, commoto pectore, fundit
Irriguas oculis lacrymas, & ducit ab alto
Corde reos gemitus, meliori vivere ſorti
Jam ſatagens, Themidóſque magis ſervare tenorem,
Et poſthac ſatiùs mandata capeſſere Cæli.
Unus Caucaſeis in pectore cautibus horrens,
Sauromatûm de gente ſatus, Buſiride cretus
Princeps, in rupes abiens, rabiémque Lycaon
Sarmata, criminibus ſuperaddens crimina, durus
Ad portenta ſtetit. Dum quippe refellere Cælo
Nuntia miſſa nequit ; ſtatuit firmare tribunal
Ferro, ac impactum vel ſanguine tergere probrum.

For-

Fortè pius Myſtes ſacros exſolvit honores
Ter magnæ Triadi : cùm Principis ira, furórque
Tænario litans ſceptro, ſcelerata ſuorum
Agmina, Mavortíſque globos delegat ad aras,
Exoſúmque jubet crudeli ſternere dextrâ
Præſulem, & inſontem chalybi ſacrare cruorem.
O ſcelus immenſum ! Sed quid par crimine ſervus ?
Imperium Phalaris ſequitur ſuccenſa furoris
Igne phalanx ; delubra pedes ad ſacra profanos
Arcanâ cum fraude movet, mitrámque bicornem
Involat, & ſacris operanti fata miniſtrat.
Hic clandeſtinum demittit in ilia ferrum :
Ille cruentato jugulum mucrone reſolvit :
Iſte petit ſicâ Myſtæ præcordia, tergo
Exiliente notâ chalybis. Nè verò ſuperſtes
Sarmaticus degat Præſul ; per vulnera mille
Exturbant animam, meritam, quæ Neſtoris ævum
Ac Pylii ætatem per ſæcula mille propaget.
Nec furor hìc ſidit. Laniatos corporis artus
Iugere camporum ſpargunt, pretioſa daturi
Pabula longævæ volucri, quæ tabida carpat
Corpora, & in varias deportet funera terras.
At non iſta meret ſuperi ſtudioſus honoris
Opprobria Antiſtes. Nec prævalet ulla poteſtas
Principis, adverſus cæli, terræque Monarcham.
Semper devotum propugnant aſtra clientem.
Unde DEUS campo diſperſos Præſulis artus
Ad corpus remeare jubet, nexúque ligari
Priſtino, & in ſolidum coaleſcere membra tenorem.
Nè verò ſacram falcatis ungvibus ales
Compagem inceſſat ; quatuor demittit ab alto
Reginas volucrum, fidâ ſtatione tueri
Præcipiens Myſten ; dum ritè fidelibus oſſa
Condantur manibus, vel honoris juſta parentur.
Hæc ubi Lechiades dederant : mox advolat ultrix
E cælo Nemeſis, ſævæque in crimina Diræ

Sarmaticum exercent ſolium, ſurdóque flagellant
Verbere, & infernas minitantur ab æthere pœnas.
Hæc non ferre valens à Diris vulnera Princeps
Efferus, attonito ſimilis, palleſcere culpâ,
Urgeríque metu, vulgíque pavere furores
Immitis Lechus. Nunquam non anxia degunt
Crimina, & in juges deſcendit noxa timores.
Unde ſibi tutum Sciron facturus aſylum;
Illico Pannonias ſe concitus urget ad oras.
Sed rea mens ſequitur. Quid quod comitatur Erinnys,
Tiſiphonéque gradum, noctúque, diúque pavoris
Fulgure percellens, crudeles opprobrat auſus.
His animi diris agitatus Sarmata Princeps,
De mentis ſtatione cadit, lucémque peroſus,
Atque oculos fugiens urbis, per luſtra ferarum
Devius exul agit, multâ ſtipante Lyciſcâ.
Hæc fortaſſis herum reputans Actæona, ſævo
Dilaniat rictu, lacerúmque in propria mittit
Ilia, non dominum venerata, at cruda Procuſtis
Crimina vindiciis ultura, jubentibus aſtris.
Talia jure meret crudelis funera Princeps.
At tu Sarmaticæ jam maxima gloria terræ,
Staniſlae DEI teſtis, veríque, Themíſque
Egregie aſſertor; cuì Cæli laurea ſurgit
Vertice, propitium jam Lechis redde Tonantem,
Aſtreæque forum, Regémque, fidémque tuere.

JV-

JUDAS MACHABÆUS
De pluribus hoſtibus victor, Ope Cælitum, ac manibus defunctorum.

Ex lib. Machab.

Timotheus armorum Imperator, juſſu Antiochi, magnâ armatorum multitudine Judæam invadit. Ei Judas Machabæus, auxilio DEI fretus, cum militaribus ſuis copiis occurrit. Fervente utrinque prælio, & in neutram partem inclinante certaminis fortunâ, Judas opem DEI inclamat. Adeſt oranti Cælum. Mediò namque conflictûs ardore, quini ab alto demiſſi juvenes, Duces agunt exercitûs pro DEO ſtantis. Hi barbaros uſque adeò percellunt; ut oculis, & manibus capti, timoréque plùs quàm Panico correpti, nè fugæ quidem ſatìs viam, exitúmque reperirent, vicenis eorum millibus interemptis. Hac clade Lyſias commotus, novum Antiochi imperio, eúmque longè fortiorem è Syria educit exercitum, ac Judæorum finibus inducit. Tantæ potentiæ occurſurus Machabæus, ſubſidiariam rurſus de Cælo flagitat manum, nec minore, quàm antè ſucceſſu,

denuo cæleſti milite operam ſuam adferente. Huic accedit Onias, & Jeremias jam vitâ functi, orantes pro gente Judæorum. Quorum precibus effectum, ut Syrorum cæſa, ſtratáque non minùs tricena millia, reliquis fugâ ſibi conſulentibus.

IMmortale decus Martis, noménque Gradivi
Omnibus exactum numeris, nullíque ſecundum,
Roboréque æthereo nixum; quod plurima fudit
Agmina, de Syriis, Aſiæque effuſa theatris,
Metro argumentum tribuit. Non omnia noſtræ
Mœoniis veniunt modulis cantanda Camænæ
Jurgia Mavortis: nè pluribus obruta bellis,
Deficiant licèt heroæ præcordia Muſæ.
Hæc dum per geminas ſua ducit plectra palæſtras
Martis, ſucceſſu pariles, mundóque ſtupendas;
Flagitat auxilium Cæli; quo victor abivit
Crebriùs Iſacius Judas, Aſiæque tumentis
Cornua, & audaces fregit perſæpe catervas.
Fortè Parætonium regnis, opibúſque ſuperbum
Plùs æquo ſolium, toti dominarier orbi
Immenſis flagrat votis, ardétque potiri
Imperiis, quæ mundus alit diffuſus utroque
Cardine terrarum, vaſtâque cupidine ductus
Nominis, audiri toto vult gloria mundo.
Ac primùm Abramios inſanus gurges honores
Flagranti exoptat ſtudio, ſummoque ſedere
Thariadûm Antiochus ſolio. Prò quanta gerendi
Sceptra fames hominum mentes, Regúmque perurit!
Quare Timotheum multâ virtute Gradivi
Præditum, & haud uno mavortia caſtra ſecutum
Luſtro, in ſpectatas mittit Chananitidos oras;

Qui

Qui totam ferro, flammáque è ſedibus imis
Exſcindat Verpûm patriam, faciátque natare
Protinus irriguos Hebræo ſanguine campos.
Nec Judam Iſacidûm columen, bellíque ſtrategum
Memnoniæ latuêre minæ, Martíſque procellæ
Sæpius effuſæ, jámque in ſuprema citandæ
Fata Palæſtinæ. Syriis occurrere ſancit
Marte pari labaris. Hinc prævia digerit arma
Jeſsiadûm Rector, conſo trutinante palæſtram
Belli, quo oppoſitos domet, elidátque furores.
Providus, ac felix Princeps, qui ruminat antè
Bella domi, veram ſubeat quàm Martis arenam.
At non ignarus, ferri languere rigorem,
Quem non Cælum acuit: primas ab ſidere vires
Poſcere; queîs tumidos Mareotis proterat auſus.
Et verò belli vires, & robur ab alto
Evocat in votum. Deſcendunt arma Tonantis.
Primò quippe DEUM ſacro expugnare furore
Qui valet; is facili devicerit arte Gradivum.
Quare ut propitium ſibi Judas reddat Olympum:
Præmittit ſignis, lituíſque, tubíſque profundi,
Atque alti cordis gemitus. Sunt claſſica, fuſæ
Supplice voce preces. Armatur corpus amictu
De rigido Cilicum textu, thorace trilici
Fortiùs, inſperſúſque cinis capiti, æra minacis
Caſſidis exſuperat. Lateri falcata miniſtrat
Fulmina Juſtitiæ ſtudium, clypeóque probatæ
Virtutis ſacra bella gerit; queîs ſidera vincat,
Atque ſuis faciat Cælum deſcendere votis.
Et verò optati veniunt ad claſſica Divi.
Dúmque triumphalem Superis imponere laurum
Deſtinat, & totum belli molimen adornat:
Interea effuſis Syriæ Gradivus habenis
Rura Palæſtinæ populatur, & omnia latè
Peſſumdat ferri rabie, flammíſque miniſtrat
Pabula, & infeſtis ditiones occupat armis.

 Non

Non ità montano glomeratus flumine torrens,
Flaventem Cereris ſedem, Panóſque novale
Obruit, & lato veſtitas gramine valles
Sternit: ceu Pharii (prô terror!) Martis inundant
Judæam nimbi, ferróque, ac igne laborant
Perdere, & electam penitùs convellere gentem.
Nec Phlegetontæi deſunt fera ſigna Gradivi;
Quæ genus acceptum Superis evertere niſu
Non uno ſatagunt Stat probra inferre Tonanti
Æthereo, ac ſtygiis adferre tributa caminis.
Hinc Dis Tænario protrudit plurima regno
Agmina, & anguicomas (vah quæ portenta!) miniſtras
Præficit armatas facibus Mareotidos armis.
Has jubet in flammas irarum accendere Martem
Timothei: ut citiùs Chananæam perdere gentem
Ardeat, inviſúmque Erebo genus obruat omni
Turbine Mavortis. Non ducunt lenia miniſtræ
Otia, in ardentem flammantes corda furorem.
Evmenides ſequitur lethum ferale daturum
Funera, & immenſas ſparſurum jugere ſtrages.
Prò quæ bella Acheron! Bella, horrida bella parantur.
Quis non Timotheo victrices Martis honores
Spondeat, ac multas meſſurum Daphnidos herbas;
Cuî Bellona præeſt, tantúſque Gradivus Averni?
At nil Tartareæ, ſæviſſima prælia, turmæ,
Atque omnes Erebi furiæ, rabidíque labores
Bellantûm efficiunt; ſi Divûm protegat umbo,
Dilectámque ſibi tueantur Numina gentem.
Non hominum ſurgit victoria Marte, vel arte,
Sed Cæli arbitrio. Validos proſternit alumnos
Martis; cuî Superi robur, viréſque miniſtrant.
Ac ſic Memnonios devincet Tharais hoſtes.
Dúmque Parætonium propiùs ſe ferre Gradivum
Accipit; in lectas ſua cogit ſigna catervas;
Queîs Judas tumidis ſe opponat ſtrenuus armis.
At priùs adverſis quàm virtus bellica turmis

Ob-

Obviet; ad pubem Mavortis talia fatur.
Magnanimi Iſacidûm populi, gens chara Tonanti.
Res agitur jam Cælituum, veſtræque ſalutis
Cardo Saraides extremo vertitur axe.
Marſpiter Auroræ noſtris convicia Divis
Apparat, ac veſtræ ſorti funeſta minatur
Omnia, & Abramiam ferro peſſumdare gentem
Inſano flagrat annifu. Quid? jura Canopi,
Ac frenos nunquam perpeſſos mordeat Hebrus?
Iſtud enimverò probrum Chananæis abhorret,
Aut cervice mori intrepidâ mea ſigna ſequentes
Addecet: aut pulchrum devicto Marte trophæum
Erigere, ùt juſtus Superûm decreverit ordo.
Quamquàm non dubium ſperet bona cauſa triumphum.
Si tamen æternâ ter magni Numinis urnâ
Eruitur nobis fatum, ſancítque cruorem
Thariadûm effundi; Cælis occumbimus ultrò
Victima, & æthereis cadimus vera hoſtia regnis.
Quare agite Iſacidæ, Martíſque ſubite theatrum.
Sic tamen ad dubiam belli decet ire palæſtram:
Ut non veſanus furor addat calcar agendi
Latronum ritu prædas. Nec flamma furoris
Ardeat in cædes, ac triſtia gentis Eoæ
Funera; ſed mentes divini cultus honoris
Duntaxat moveat, nec non ſanctiſſima legum
Dogmata propugnet; quod jure tenetur avitæ
Relligionis amor. Sic bella movere jubemur.
Accidit haud ægre mortalem temnere vitam;
Si finis belli duntaxat gloria Cæli
Ac patriæ veniat; Themidos quod jura requirunt.
Ergo agite Abramidæ, Superis, patriæque dicata
Pectora, & inſtantes noſtris de finibus hoſtes
Impavidis arcete animis, armíſque furores
Frangite, & inſignem Cælis ſacrate triumphum.
Vix ea fatus erat, cùm miles percitus œſtro
Martis, & intrepidum revocans in corda vigorem,

Ardet in adverſum ſua mittere tela Canopum,
Saraicíſque arcere plagis. Nè verò cruento,
Quem jam mente parat, bello abſit teſſera Martis:
Omnes unanimi voce inclamare Gradivi
Symbolam; ut impulſis in caſtra hoſtilia ſignis,
Acriùs in Pharias committant prælia turmas.
Nec Judæ Mavors bellantûm vota moratur;
Sed mentes pugnæ cupidas hoc ſymbolo obarmat.
Numinis auxilium, ſit vobis teſſera belli
Crebriùs ingeminat; quo fulti, Martis Eoi
Agmina, & Odryſias facili Mavorte procellas
Frangere, Niliacúmque hoſtem ſuperare valetis.
Numinis auxilio Syriis dominabimur armis.
At vos per nomen patriæ, claróſque priorum
Obteſtor cineres: nè quiſquam Memnonis irâ
Perculſus det terga fugæ, pedibúſque ſalutem
Quærat in opprobrium Judæ. Non mortis imago
Terreat è ſævo chalybis fulgore reflexa:
Nec rabies Aſiæ, quàm toto corpore ſpirat,
Infirmet robur, quod nobis ſufficit æther.
Sed cur hæc rapidis facundia ſpargitur Evris?
Proxima res agitur. Belli citat area Verpos.
Vicinus tumidis incumbit Marſpiter armis.
Jam nos diffuſo longè, latéque Gradivo
Obruere Arſacidûm Mavors, Erebíque laborat
Evmenis, atque decus patriæ diſcerpere diro
Molitur niſu; nì ferro, animíſque propago
Saraidûm, Pharios confeſtim proterat auſus.
Quare magnanimos generoſo pectore nervos
Induite; ut medio volitans victoria campo,
In noſtras veniat, decernente æthere, partes.
Daphnis adit Judam. Nos ſpectat gloria Martis.
Dixit, & adverſis pulchro ſe ſe ordine ſignis
Obvius Iſacidûm Princeps, ac miles adornat.
Ut videt Hebræam propè Perſeos ira cohortem:
Martis Achæmenii pubem flammare furoris

Igni-

Ignibus, exoſáſque jubet penetrare phalanges
Illico, & in cuneos, turmáſque irrumpere Judæ.
Nec mora: utrimque pari concurrere Marte Gradivi
Agmina, & ardentem ſibi telis pôrgere pugnam.
Jam clypeus validè clypeo percuſſus in armis
Perſonat, horroréſque ciet. Jam mucro mucronem
Verberat, ac capulo capulus ſe fortiter infert,
Et parili cadit hinc, atque iſthinc funere miles.
Jam ſudibus conferre ſudes, quæ immania figunt
Vulnera, & undanti perfundunt arva cruore.
Jámque vibrant validis haſtilia longa lacertis,
Et toto fodiunt latus, & præcordia ligno.
Hic quoque torquentur baleares verbera fundæ,
Saxáque multa pluunt; quæ vaſto pondere multis
Fati onus imponunt, terræque allidere tentant,
Indè in pennigeris Mavors volitare ſagittis,
Ac viduâ propè jam pharetrâ, per ſideris oras
Dirigit aligero lethalia vulnera ferro.
Uſque adeò multis ſævit pars utraque telis;
Ut vix ſufficiat denſis agitabilis aër
Arctatus jaculis, cælóque excludat amœnam
Ridentis Phœbi faciem, & caligine terram
Obruat immenſus ferrati miſſilis horror.
Atque hac deciduâ telorum grandine, miles
Parte utraque cadit. Sed quos robuſtior umbo
Protegit; horreſcit velut altis ſetiger iris
Hiſtrix; nec ſpatium Cetræ comparet in orbe;
Quod capiat plures calami lethalis echidnos.
Cùm ſic funeſti fervent Mavortis utrimque
Prælia, in ambiguam ſe ſe omnia vertere ſortem:
Nec belli fortuna ſatis diſcernere, cujus
Partibus accedat. Dubiis victoria pennis
Hinc, atque indè volat, jam neſcia cujus honori
Serviat, & viridi circumdet tempora ſerto.
Nullo victrices florent in vertice lauri,
Nî Cælum imponat. Meritis ſua præmia dantur.

Cùm videt ambiguo ſuſpendi Daphnida fato
Jeſſiadûm Princeps: ſublatis æthera pulſat
Vocibus, inclamans cum toto Martis Hebræi
Agmine: Numinis auxilium! ſic ſæpe iterato
Chromate ſuppetias à vero Numine poſcit.
Nec differt imploratas miſeratio Divûm
Auxiliatrices ab ſidere mittere turmas.
Quippe ubi continuo Martem Bellona flagello
Incitat, atque animis certant, & viribus æquis
Arſacidæ Iſacidi: ſuperis ſe protinus oris
Quinque ferunt juvenes, claréque, ſtupentibus armis,
Objiciunt ſe ſe ſpectandos. Unde timore
Percellunt animos, quæ neſcio fata paventes.
Candenti ſublimis equo ſtat turma videri
Horrida, & in quinis præſentat plurima Martis
Agmina, quæ bellum ſpirant, bellíque furores.
Sunt equidem pictæ roſeâ lanugine malæ,
Ac radiis micat obtutus, cælíque decôre
Labra ſerena nitent; ſed pulchro frontis honore
Ira ſedet Martis. Vultus inſumit, & artus
Aſperies inſtructa minis, ciliíque ſeverâ
Iride portendunt bellum, flammáſque furoris
Lumine vibrantes fatalia quæque minantur.
Corpora ab æthereis quæ forſan mutua regnis
Aſſumpsêre agiles genii, ſimulacra Gradivi
Sátque, ſupérque probant, quæ ſpectent Martis arenam.
Ardet in auguſto, ſublimíque aurea caſſis
Vertice, & in niveas ter pulchro ſe ordine criſtas
Explicat, ac tremulis plaudit victoria pennis.
Pectus arat thorax Temeſæo fulgidus ære,
Tela irriſurus. Chalybis textura pererrat
Corpus, & in talos perfuſum tegmen Erythrâ
Defluit, ab rigido ſuffultum in prælia ferro.
Lævam circumdat ſævo fulgore coruſcans
Umbo, ſubjectos ardenti lumine campos
Irradians, clarámque vomens ad ſidera flammam.

Dex-

Dextera fatiferum per inane micantiùs enſem
Ventilat, & fulmen chalybis mucrone rigenti
Horridum in Arſacios jam porrigit eminùs hoſtes.
At ſonipes candore nives, ac curſibus Evros,
Atque Notos longè ſuperans, hinnitibus implet
Aëra, & arrectis altè cervicibus, ardet
Illico in oppoſitas pleno ruere impete turmas.
Obrizo fuſum ſpumanti lacte capiſtrum
Argentat quadrupes, retineri frena recuſans
Ampliùs, inſultánſque ſolo, fumántque furores
Naribus, incuſare moras, ſubitóque volare
Flagitat, effuſis quò ducit ſeſſor habenis.
Ac jam cornipedes laxis dimittere loris
Aligeri Martes. Terni Machabæa præire
Agmina, & inſtructas acies deducere pulchro
Ordine; queis ſe ſe jam victrix gloria jungit.
At verò gemini, ſic æther mandat, Ephœbi
Utrimque Abramidem ſtipant, cæleſtibus armis
Defenſuri hominem; quem virtus penè ſupernis
Æqualem geniis reddit. Servare ſtat aſtris
Intactum à telis Judam, rebúſque futuris
Præſtare incolumem Machabææ ſtirpis honorem.
At contrà Arſacios percellunt eminùs hoſtes,
Ingentíque metu exſternant, horroréque replent,
Atque propè exanimant glaciatas ſidera turmas.
Sed quæ fata parant? Quæ Memnon jure meretur.
Jam quippe Aligeri Martem, mortémque parantes
Cominùs, ignitis feriunt fera pectora telis,
Fulmináque intorquent Phariis inimica catervis.
Quin adeò armiſonas implent terroribus alas;
Ut velut eliſo de nubibus igne phalanges
Corruerent, nullúmque fugæ reperire valerent
Tramitem, & extremis jam belli rebus aſylum.
Poſtquàm confuſos Martis vidêre maniplos
Victores populi; ſtimulis cæleſtibus acti,
Mœonios penetrant cuneos, ac funera denſant

Fune-

Funeribus, ſtragéſque edunt, ac cædis acervos.
Illos lethiferis mittunt in Tartara telis.
Hos ferro inferiis ſacrant, Erebóque merentes
Tranſmittunt. Alios truncatis enſe lacertis,
Cum armis abjiciunt terræ, fatúmque propinant
Omnibus; ùt meritæ decernunt Numina noxæ.
Non ſic Armeniæ fervent in funera tigres;
Cùm ſævam rabiem exercent in vaſta juvencum
Corpora: ùt Abramides ferro graſſantur in hoſtes,
Permiſcéntque vagos Parthorum in ſanguine manes.
Quis fando referat cædes, numeróque cadentes
Percenſere queat? Nec martia computat ira
Exhauſtas gladiis acies; quæ denſa Gradivi
Agmina, & immenſas Mavortis falce catervas
Sternere ſemper avet. Stagnant infuſa cruore
Jugera camporum, fumátque à ſanguine tellus,
Atque Erebi Mavors ſuperis perculſus ab armis,
Continuò Evmenides ſtygiam deducit ad undam,
Atque cruentatos nigrâ ſtyge præcipit hydros
Diluere, ac triſti ſua plangere damna palude.
Aſt ubi ſtagnantem ſanie, tepidúmque recenti
Cæde locum, ac vaſtos ſpumare à ſanguine campos
Territa fama videt: ſe ſe pernicibus alis
Proripit, ac fœdo veſtigia fortè rigari
Sanguinis imbre timens, ad notas Perſeos oras
Præpetibus volitat pennis. Hæc nuntia ſtragis
Arſacidûm, auguſtam ferali murmure ſedem
Implet, & Antiochi tumidas diverberat aures,
Ac ſeriem cladis non uno nuntiat ore.
Perculit attonitum funeſtus rumor Eoos
Principem, & in varias, confuſum mente, procellas
Conſilii impellit. Primùm miratur iniquam
Subjecto Marti ſortem; tum victus Idumes
Viribus, Aſſyrio metuit rerum ultima ſceptro.
Unde per indomitos ſua Princeps corda furores
Verſat, & iratum deſpumat ab ore favillas,

Ale-

Alectúſque faces flammanti lumine vibrat,
Atque Mimallonidûm ritu fera murmura volvit,
Ac omnes, frendens tremulo dente, exerit iras.
Hæc rabies veſana jubet nova bella movere
Iſaciæ genti. Raptam decernit ab Hebro
Gloriam, Achæmeniis extemplò reddere ſceptris.
Nîl magìs ira ſtudet, quàm ruptæ pegmata famæ
Sarcire, atque vetus laudis reparare theatrum.
Quare Lyſiadem ferro, conſique potentem
Robore, in Abramios iterato fulmine Martis
Ire, volare jubet campos, palmámque Gradivi
Eripere Iſaciis quàm primùm præcipit armis.
Nec ſegnis Marors trabeati juſſa furoris
Accipit, innumeras cogens ſub ſigna catervas;
Quêis improvisò Chananitidos obruat oras.
Ut cadit æthereis glomerato turbine regnis
Triſtis hyems, vaſtas devolvens ſideris iras,
Hippotadíſque ciens rabiem, ſus, déque reverſat
Omnia, compagémque ſtudet diſſolvere mundi:
Haud ſecus Iſacii tempeſtas ſæva Gradivi,
Quà celeri ſe cunque citat violenta furoris
Turbine, peſſumdat ferro, flammáque, quod iræ
Obviat, ac Geticis exſcindit cuncta ſariſſis.
Hanc ſævam Aſſyrii rurſum Mavortis Erinnym
Fama reflexa canit, rabidóque furore redire
A Peluſiacis belli molimen arenis;
Obruat ut totam pulchræ Chananitidos oram.
Hæc ubi ſollicitas Machabæi Principis aures
Fama quatit: triſtes Judas agitare dolores
Pectore, & in varias animum diſpergere curas
Jam fatur armorum. Verùm æquo durior ordo
Fatorum, laſſas iterum revocare phalanges
Præcipit, & dubiam Martis renovare palæſtram.
At parilem non eſſe videns virtute Gradivi
Thariadûm gentem; quæ tantas frangere poſſit
Vires: ad Superos rurſum ſua vota reflectit,

Pro-

Propitióſque ſibi conatur reddere Divos.
Nullus quippe valet Mavors par ire Tonanti
Æthereo, ſolo nutu difflante cohortes
Martis, & excitos Acherontis ſede furores.
Conſultè expetitur ſummo in diſcrimine Cælum.
Quare iterum Numen ſibi placaturus Hebrææ
Gentis honos Judas, curvato poplite terræ
Labitur, infuſus lacrymis, mollire laborans
Jam duros forſan Superos; quos plurima Verpi
Crimina, ab Iſaciis fòrs avertêre catervis,
Quíque Paratoniis emittunt fulmina regnis;
Quêis vaga commeritis plectant errata flagellis.
At te vana premunt dubii, mœſtíque pavoris
Jurgia Mars Hebri. Venient in prælia Divi,
Atque à te ſtabunt rerum tutela tuarum
Agmina Cælituum, ſervatorémque ſalutis,
Ac patriæ, aligerum transmittet Numen Ephebum;
Qui Pharium invicto proſternet Marte furorem.
Fide DEO Princeps. Cælum in pia vota reſurgit.
Quid quod vel manes, tacitis, à funere, limbi
Sedibus errantes, pro certa gentis Idumes
Gloria, ad æthereos mittunt ſua vota penates.
Fortè Palæſtinæ Rector, poſt fracta labore
Corpora, declinans placido ſua lumina ſomno,
Indulget leni, Morphêo irrepente, quieti.
Hic non vana ædes animi ſimulacra pererrant
Noctis; quæ veras depingunt mente figuras.
Helciadem magnum Vatem, quem incredula quondam
Gens minimè meritum, congeſtâ grandine ſaxi
Obruit, in noctis ſcena præſentat imago
Morpheos, has fortè, aut ſimiles de pectore voces
Promere; quêis mitem Verpis exoret Olympum.
O DEUS æternâ mundum ratione gubernans!
Aſpice, ut Arſaciæ renovato Marte catervæ
Gradivo propiore ruant in ſtirpis Hebrææ
Funera, & opprobrium Cæli. Gens chara Tonanti
Diſpe-

Diſperit à rabie Perſis; nî tela miniſtres
Æthere; quæ ſævas avertant illico turmas.
Urbes ſanguineo current, ac compita rivo,
Sanguinéque innocuo Chananitidos arva natabunt;
Ni Superi fera bella premant. Jam Marſpiter alter
Vix primo edomito, lymphati ſigna Gradivi
Ducit, & electam non uno vulnere gentem
Oppreſſurus adeſt. Nec ſolùm martia vibrant
Spicula Matutæ populi; ſed dira reſurgit
Tiſiphone, horrendùm ſtygiis ſuccincta colubris,
Denuò in Abramias debacchatura phalangas.
Magne DEUS! lubeat miſeræ ſubducere ſorti
Relliquias Abrahæ; quò major gloria creſcat
Numinis, atque tuo ſtent aræ ſemper honori.
Ah populi miſerere tui, miſerere benignum
Numen! nè ſannis te Memnonis arma laceſſant.
Hæc ubi viſa dedit Cælum, de pectore Morphêus
Se tacito removere gradu, ſuccedere veri
Omina, non ficto Judam ludentia ſomno.
Nec vanas retur, mendaci phaſmate, formas
Jeſſiadûm Rector; quem Numen multa docebat
Sæpius, in veras deducens corda figuras.
Crebriùs in ſomnis eſt æther vera locutus.
Quare poſt Cælum ſibi conciliare faventes
Thariadûm manes, veteri pro more laborat
Devotus Princeps. Horum fortaſſe ſaluti
Millia drachmarum bis ſena, atque amplius æris
Erogat; è cujus pretio cædatur ad aras
Victima; purgandis luſtrali carcere lytrum
Manibus; ultrices flammarum ut temperet ignes,
Ac vacuis umbras pœnarum ſedibus addat.
Et verò exangues animus in amica quieti
Atria non raró ducit, noxâque ſolutas,
Acceptas reddit Cælis. Has grata voluntas
Tangit, & æthereos ſatagunt revocare favores
Iſacidi, infeſtúmque ſtudent arcere Gradivum.

Dum

Dum fidens Superis, umbríſque fidelibus, arma
Ducere in Arſacium Princeps Chananæus adornat
Robur, & humanis ſe ſe pro viribus aptat
Ire per adverſas, Cælo auxiliante, phalangas.
Interea inſtructo Memphis procedere Martis
Ordine, & armorum majori, quàm antè, paratu
Surgere in exitium Judæ. Sic nempe Gradivi
Palmam, victricéſque auferre laborat honores.
Stat numerus penè innumerus Mavortis in amplum
Diffuſus campum. Geminis ſe ſe explicat alis
Tota acies Syriæ. Peditum fremit indè caterva:
Hinc ferus indomitum ferrato pondere ſeſſor
Quadrupedem premit, ac rigido retinere lupato
Nititur, adverſas flagrantem incurrere turmas;
Dum jubeant ſtrictis concurrere claſſica telis.
Quis referat viſu horribiles, ac fata minantes
Arſacidûm turmas; quibus omnem Mulciber aptat
Sudatum Lemmo chalybem, ſimulacráque format
Ærea; quæ metuunt, horréntque repreſſa videre
Lumina, & attonitam reddunt formidine mentem.
Dum fera tela movent, fragor ingens editus armis,
Perterret tremulam, cælis trepidantibus, auram.
At magis horrorem Chananiti bellicus addit
Barrus, nota orbi turrito bellua dorſo,
Aſſyriæ turmas, & propugnacula vaſto
Tergore deportans. His certam ſparget in Hebrum
Marſpiter immitis mortem, ſævóque peribit,
Nî æther obſiſtat, Chananæus funere civis.
Territa quid memoret falcatas Muſa quadrigas;
Quêis parat immenſam campo ſuccindere meſſem
Martio, & Iſaciam per jugera ſpargere cladem.
Nè verò in caſſum tam formidabile belli
Molimen, robúrque cadat: converſus ad arma
Lyſiades, tumidis hæc jactat fulmina labris.
Invicti Arſaciæ populi, cognatáque Marti
Pectora, jam nobis favet æther, jámque deorum

Impe-

Imperium, ferro ſubigi demandat Apeliam,
Memnonióque jubet Verpos ſervire lupato.
Quare agite, & meritas de noto crimine pœnas
Sumite, & inflictum nobis abolete pudorem
Ultrici ferro. Jam totis fundite campis
Inviſum noſtro generi, Divíſque cruorem,
Ut Peluſiacis ſuccreſcat adorea regnis.
Si vos, cêu par eſt, jam gloria Martis adurget:
Uno magnanimi recutitam ſternite bello
Tharaidûm gentem; quò totâ ſtirpe revulsâ
Funditùs, optatam videat ſors noſtra quietem,
Sceptrúmque Arſaciæ tranquillâ pace fruatur.
Bella jubent Superi. Nobis victoria ſurget.
Dixit, & ardentes oculis, animíſque cohortes
Ducit in Abramiam pleno Mavorte ruinam,
Haud dubium ſibi deſpondens victoris honorem.
Nec ſegnis ſua caſtra movet confiſus Olympi
Robore, & umbrarum magnâ virtute, Dynaſtes
Saraidûm, tumidos domiturus Marte Canopos.
Viribus æthereis reflectet victor ab hoſte,
Atque triumphalem tranſmittet ad æthera palmam;
A quibus omnis honos, atque omnis gloria belli
Advenit, & clari celebrantur in orbe triumphi.
Jam geminus campo Mavors ſe cominùs infert,
Et ſigna infeſtis accedunt obvia ſignis,
Atque propinatis jam pila minantia pilis
Parte utraque patent. Horrent haſtilibus agri,
Stat ſeges armorum campis; queîs prælia Martis
Agmina deſignant. Dum verò Memnonis ira
Fervet in Iſacides; demittitur arce Tonantis
Aliger, & populos multâ formidine preſſos
Haud dubio levat auxilio, mæſtíque pavoris
Nubila detergens, rurſum victricia præfert
Omina, & Abramides invicto robore firmat.
Unus adeſt cælis miſſus duntaxat Ephebus.
Unus, qui plures facili Mavorte phalanges

Sternere robur habet. Niveo ſe ſe arduus infert
Cornipede inſtrato celebri Sidonis amictu.
Fulgida baccarum grando, Nilíque monile
Pectore dependet. Dentes candore niteſcunt,
Evincúntque Indum dentem; quos frena colorant
Obrizi pretio. Frendens ſpumante lupato,
Hinnitúque implens auras, portendit amorem
Prælii, & erectis altè cervicibus, arma,
Seſſoríſque decus circumſpicit orbe micanti
Luminum, & hoſtiles oculorum fulgure turmas
Attonat, in cuneos ruiturus, & agmina Martis.
Aliger intrepidum ſtrictis moderatus habenis
Cyllarum, ab auratis lumen latè explicat armis;
Perſtringit fulgore oculos, ac Panos inaurat
Jugera, flaventéſque comas illuſtrat Eleuſis.
At qualis ſuperum cohoneſtat forma Gradivum?
Stat capiti criſtatus apex; tremit ærea caſſis
Vertice; perfuſus Pactoli munere thorax,
Atque rigens ferro munit præcordia; dextram
Inſumit chalybis fulmen. Sed cætera candor
Obtinet effictos claris de nubibus artus.
E toto ſpirat vultu, membríſque ſtrategum
Æthere demiſſum. Poſtquàm bis, térve per orbem
Belligerum flectit Xanthum; præcedere ſigna
Thariadûm, Judámque ipſum, ac ductare catervas;
Quò DEUS Abramidas ducit, bellíque palæſtra
Invitat gentem. Tanto ductore triumphi
Prodromo, in excelſas Chananæi ſurgere mentes,
Atque animos plùs quàm mortales ſumere, flammâ
Cælite ſuccenſi. Jam flagrant Martis amore,
Optántque in Pharias toto ruere impete turmas.
Non ità magnanimus Getulis editus oris,
Concutiens cervice toros, fremit ore cruento
Sylvarum terror; rabies cùm forſan edendi
Urget, vel ſævas in pugnam colligit iras:

Ut

Ut genus Iſacidûm, cælo immittente furores,
Ardet in Arſacias ferri molimine ſtrages.
Víxque manus demiſſa polis, veríque miniſter
Numinis, in trepidas delibrat tela phalanges:
Illico Jeſſiades pleno Mavorte Gradivum
Obruere, & totis Parthos invadere ſignis.
Jàm ruptis ferro cuneis, Martíſque ſoluto
Ordine, quo ſolùm conſiſtunt agmina, belli
Fluctuat in campis acies. Turbantur Eoi
Signa Ducis: peditum ſparguntur rure catervæ,
Ac trepidæ inter ſe miſcentur Mempheos alæ,
Pérque incerta volant, palantûm more, cohortes.
Dum confuſa videt Judas Perſæ arma; cruentas
Exercere neces, acies proſternere, ferro
Sævire in cuneos hoſtis, vaſtámque ruinam
Edere, & innumeram per campos ſpargere cladem.
Prô quæ Parthorum ſtrages! Cadmea redire
Prælia Muſa putet. Mortes per ſigna vagantur;
Funera funeribus cumulantur; corpora pronis
Corporibus tabent; permiſti ſtrage virorum
Confoſſi volvuntur equi, multóque cruori
Innatat Arſacius Mavors, ſortémque malignam
Plangit, & Iſaciis victricem Daphnida caſtris
Porrigit, ac pacem lacrymis, & voce precatur.
Has belli lauros peperit, Martíſque triumphos
Relligio in Superos, ac ſpes confiſa Tonantis
Viribus, & pietas ancillans manibus Hebri.
Nunquam non tribuit virtuti præmia Cælum.

Animæ Defunctorum Opitulatori ſuo reciprocum præſtant auxilium.

OStorgus Siciliæ imperans, Evſebio Sardiniæ Principi, urbem piis manibus ex aſſe ſacram iniquè eripiens, ſuæ facit ditionis. Accepto rei nuntio Evſebius, Cælum, & amicas animas rogat in ſuppetias. Nè quid verò in ſuis conatibus deſiderari pateretur, quam poteſt manum contrahit; urbi ab hoſte inſeſſæ admovet, animo eam recuperandi. Die poſtero ingens albatorum equitum comparet exercitus; à quo jubetur Evſebius copioſas ſuas adjungere, & fidenter in hoſtem, ſexaginta bellatorum millibus ſuperbum, non tam ire, quàm ſequi. Morem gerit niveis legionibus pius Princeps, procedens adverſus Oſtorgum. Hic oculis hoſtiles copias permenſus, hæret primùm attonitus: tum intellectis per legatos albatorum equitum minis, ſi perſeveraret iniquè poſſeſſa violentâ manu retinere: dat manus, reddit erepta. His ritè compoſitis, is, qui candidis præerat copiis, Evſebium in obſequiis erga pios manes plurimùm confirmatum relinquens, cum

toto

toto exercitu diſparet. *Cantiprat. lib. 2. Apum c. 53. n. 30.*

ARma cano, quêis non Geticæ præſedit arenæ,
Odryſio comitante globo, ſitiénſque cruoris
Threicius Mavors: quêis nec feralis Enyo
Præfuit, ac ſævis, Erebo ſtimulante, flagellis,
Miſit ſanguineas per regna, per arva procellas.
Arma cano, non quæ diſlevit Hyantius heros,
Immani quondam campis effuſa colubro;
At Martis ſacri bellum. Non ille cruento
Æquore camporum, denſis in ſe irruet armis,
Sanguineas edens ſtrages. Sunt bella ſepulchris
Eruta; ſunt miſſi luſtrali carcere manes;
Auxiliatricem quas provida Numina dextram
Ferre jubent, gratáſque ſuo præſtare clienti
Suppetias Martis. Quas dum nota ære canoro
Muſa heroa canet, noſtro aſpirate labori
Funera Chriſtiadûm; quorum iſta canemus honori.
Trinacris, Auſoniæ prænobilis inſula, frugum
Terra ferax, Ceteríſque domus, Sardoáque tellus
Materiem dedit armorum, bellíque theatrum.
Sicanis, Oſtorgi gazis, armíſque tumenti
Paruit imperio, Scythiam ſub corde foventi,
Subjectóque ſtygi Domino. Sinè lege tyrannum
Romuleæ timuêre plagæ, ac de ſtirpe Neronis
Sanguineum Oenotrii Proceres horrere nepotem.
Hunc ſibi, cêu proprium genitrix crudiſſima partum
Nutriit, ínque trucem fœtum ſcelus omne refudit,
Solo duntaxat lactans, paſcénſque cruore:
Quò verum immiti feritate Lycaona mundo
Educet, ac Latiis diſpergat funera terris.
Hunc unà altrices gremio fovêre miniſtræ,
Atque Acherontæo ſaturârunt pectora ſucco,
Mittentes nocuos in flammea corda furores,

Indomitámque animo rabiem. Sic pronus in arma,
Atque neces, ſtragéſque ruit; quò præcipit ire
Haud patiens freni, miniméque domabilis ira.
Quid memorem Ætnæi Cyclopis ſyrma malorum;
Quod ſævam inſequitur mentem Buſiride cretam?
Nullus ei jam juris amor, per fáſque, neſáſque
Proruit, atque avidus famæ, per iniqua Gradivi
Fulmina ſceptra rapit, ſoliíque cupidine ductus,
Ardet finitimas ſibi ferro ſubdere terras.
O quoties populatur agros, urbéſque ſuperbo
Adjiciens ſceptro, ditiones opprimit armis;
Inſontes perimit, ſubjectáque regna tributis
Aggravat; ut faveat luxum, faſtúmque tyrannis
Effera, non Princeps, ſed monſtrum Principis, horror,
Terrórque Auſoniæ terris. Vah dedecus orbis,
Ac Latii opprobrium, quod miti jure triumphat.
At contrà Sardis præerat, cui nomen avitum
Evſebiâ de ſtirpe fuit. Non nomen inane
Principis, at verum præſefert Principis omen.
Hunc etenim gremio virtus à limine vitæ,
Religióque ſinu fovit: pietatis alumnum
Sidera, devinctúmque ſibi legêre clientem,
Romuleíque decus Latii coluêre Quirites.
Hunc Aſopiade, vel quidquid Gnoſſia tellus
Veræ legis alit, majorem jure tribunal
Prædicat Aſtreæ. Nullis injurius armis
Sceptra aliena rapit. Non turgens ambitus urget
Augere Imperii fines, cenſúque gravare
Subjectos regno populos: nec corda Procuſtes
Aſperat; aut Syllæ truculentas deſpuit iras;
Sed totum inſumit mitis clementia pectus.
Totus amor Princeps. O virtus rara Monarchæ!
Non equidem Oſtorgo eſt regnis, opibúſque, vel armis
Suppar, ſed virtute prior, Divúmque favore
Longè Sicanium Evſebius ſupereminet hydrum.
In ſacros manes, vitæ delicta piantes

Eximiâ pietate flagrat, rigidóque moveri
Carcere ſic ſatagit Princeps; ut parcere nullis
Stet regni gazis; quêis ære, lytróque repenſis,
Afferat æthereis luſtratas ſedibus umbras.
Multus myſta fuit pretio conductus ad aras,
Facturus rem divinam; quâ clauſa recludat
Oſtia Cælituum functis, veríſque reponat
Elyſiis animas campis. Nec defuit uſquam
Aurea dextra Ducis: nunquam non largus egenas
Implevit Codri dextras; quò Numinis iram
Flectat, & infernis exercita funera regnis
Eruat, æternóque umbras tranſcribat aſylo.
O plures ferret ſimiles huic terra Monarchas!
Quódque magis ſtupeat mundi utriuſque theatrum:
Urbem delegit, quam nomine Defunctorum
Compellare lubet, quámque umbris eſſe dicatam
Aſſe jubet toto; quæ penſum redderet anni,
Et ſtata deferret, nullo renuente, tributa;
Sic allaturus purgatis igne levamen.
Et verò haud paucos rigido de carcere manes
Tranſtulit ad ſuperas, Cælis plaudentibus, oras.
Interea Oſtorgus (quid agis crudelis Enyo,
Autolycique nepos, quid agis?) ſtimulante furore
Ambitione fremens, armíſque, miníſque repentè
Innocuam aggreditur (quid manes dicitis?) urbem.
Urbe potitus ovat, figítque trophæa tyrannus.
Plaude triumphali per Sicanis arva curuli;
Daphnide cinge comas mundo execrabile crimen,
Omniáque in feſtos tibi cedant compita plauſus.
Si libet, Auſoniæ licet ad Capitolia pompam
Ducere, victricéſque potes jactare coronas,
Ac Latias niveis ſedes intrare quadrigis.
Sed nôris claros, Cælo indignante, triumphos
Haud ſtabilem firmare baſim. Quæ vertice turget
Laurea, mobilibus tangit tua tempora baccis,
Nulla corona diu ſcelerato vertice fulget.

 Vix

Vix furor Oſtorgi maleſvadis occupat armis
Mœnia ſacra DEO, nec non luſtralibus umbris
Devotas ſedes : cùm ſe ſe tollit in auras
Præpetibus pennis ferali nuntia planctu
Fama, canítque piis ereptam manibus urbem.
Attonuêre Ducem funeſtæ murmura famæ,
Corripuítque metus. Prô! terror in ilia ſerpit.
Et velut irato cùm ſors glomeratus ab alto
Imprôviſus adeſt eliſis nubibus ignis :
Exterret latè populos, terrámque fragore
Concutit, & trifidis perſtringit lumina flammis :
Haud ſecùs inſolitæ lugubria nuntia famæ
Evſebium exſternant. At quid jam mente volutat ?
Perculſus novitate rei, ſubitóque pavore
Concuſſus Princeps, curarum fluctuat æſtu,
Ac varios agitat titubanti pectore ſenſus,
Afflictam verſans animam; nec ſolvere linguæ
Vincla adſtricta valens, gerit altum corde dolorem.
At tandem cedente metu, mentíſque ſtupore,
Depulſóque oris torpore hæc pauca profari.
Denique vel Cælum nos deſerit: (euge timores
Pone) vel ira DEI juſtè mea crimina plectit.
Nullum crimen habes. Numen tua facta coronat.
Viribus eſt equidem minor omnis Sardica tellus ;
Verùm permagnæ claro virtutis honore,
Sicanii exæquat vaſtiſſima bella Gradivi.
Major es Oſtorgo. Tu propitiante benigno
Æthere, non viſum ſtatues ex hoſte trophæum.
Nè dubita: auxilium properat. Jam tela recudunt
Flammarum Liparâ populi: Cælum arma miniſtrat:
Auxiliatrices venient in prælia manes.
Nunquam deſtituit ſpem veram gratia Divûm.
Nè tamen humanis conatibus alta deeſſet
Evſebii virtus, Sardoas in arma phalanges,
Mavortíſque globum, non parcens ſumptibus ullis,
Protinus autorare jubet; quo mœnia rurſum

Legitimo adſcribat juri. Nam charius illi
Nil totâ ditione fuit; quæ pluris habebat,
Quàm circumpoſitas trabeatæ Tibridis oras.
Nec mora: rauca ſonant Sardois claſſica terris.
Effundunt ſe ſe vici; per compita pleno
Agmine turbatæ diſcurrunt undique turmæ,
Et ſua belligeris tradentes nomina ſignis,
Martia tela parant. Juſtus furor occupat omnes,
Corripit hic peltam lævâ; rapit ille bipennem,
Iſte vetus ferrum exeſum rubigine cote
Exacuit, rurſúmque novo mucrone ſaryſſam
Induit, ac lateri falcatum accommodat enſem.
Jam pingui arvinâ mavortia ſpicula tingit
Lethifero nocitura malo: jam pectus obarmat
Tegmine ſquamato: ferratâ caſſide frontem
Aſperat, & munit, variiſque accingitur armis
Miles, in hoſtiles ruiturus Marte phalanges.
Pars iter aſſumit pedibus: pars ſigna volante
Cornipede inſequitur. Belli ruit agmen, & urbem
Haud juſtè ereptam validâ obſidione coronat.
Hic verò Evſebius ſacro correptus ab œſtro,
Roboréque inſtructus Superûm, Cælíque favore,
Ac Svadâ pollens Princeps, converſus ad arma,
Ardentéſque choros Gradivi, talia fari.
Bellonæ lecti Proceres, ac fortia Marte
Pectora; quæ Latii crebrò ſtupuêre Quirites,
Ac noſtræ coluêre plagæ. Quò gloria tanti
Nominis æternet, veterem nè ſternite famam,
Magnanimúmque probate æquis jam robur in armis:
Veſtra etenim hic agitur, belli molimine, cauſa.
Nè ſinite illatum non uno crimine probrum
Ultrà impune gradi. Superi, manéſque requirunt
Ultricem Nemeſin. Vos ſpectat adorea Martis,
Victricémque favet nobis victoria palmam.
Semper, ceu faſti perhibent, bona cauſa triumphat.
Eja age, lecta cohors, animis impelle Gradivi

Fulmineas vires. Robur ſuperaddet Olympus,
Nunquam non veræ pietati tela miniſtrans.
Si tamen in pœnam ſcelerum fremit ultio Divûm,
Supplicio feriente nefas, quod noſtra merentur
Crimina: tergemus benè fuſo ſanguine noxas,
Sardáque Romuleis ſcribemus nomina faſtis.
Dixit, & admoto petit arjête mœnia: glandes
Sulphure nutritas jaculatur in oppida, & omnem
Urbi expugnandæ, non impiger applicat artem.
Dúmque per aggeſtas labefactat pergama moles:
Haud procul indè ſedens præcelſo colle ſuperbus
Oſtorgi Mavors, ferratâ grandine certam
Spargit perniciem Sardis, multóſque tonante
Obruit armorum Lilybæus fulmine Princeps.
Hoc improviſo Gradivi territus aſtu
Evſebius, bellíque cohors, ſe verſat in omnes
Conſilii partes. Nec enim concurrere Marte
Sceptro Trinacriæ, numeróque, ac viribus impar
Decernit Princeps. Jubet ergo receptui acutas
Continuò reſonare tubas, ac caſtra movere,
Subjectis tutum proſpectaturus aſylum.
Interea Heſperias Titan diſcedit ad oras,
Excitáque horreſcens tenebris ruit Oceano nox.
Hæc ferrugineo convolvit ſidera peplo,
Ac terræ faciem piceis ſuperinduit umbris,
Tutéque Evſebii trepidantia protegit arma.
Irrequieta quies noctis. Non dulcia ludit
Somnia curarum domitor: non laſſa ſupinat
Corpora Gradivus: nec amica papavera ſpargit
Irriguus Morphêus. Vigiles ſtant lumine curæ,
Arcétque optatum præſens formido ſoporem.
Macti animo Princeps. Nôris vigilare favorem
Cælituum. Depone metum, non abjice mentem.
Poſtera lux forti meliorem devehet ortum.
Cras tibi propitiam demittent Numina dextram.

Sæpe,

Sæpe, cui occiduus rerum tulit aſpera Phœbus ;
Advehit in mundum rediens felicia ſortis
Munera, & ablatos cum fœnore penſat honores.
Ut vigil Eois proſpexit Phoſphorus undis,
Prodromus Auroræ, cæli ſtatione repellens
Aſtrorum vulgus: roſeis vix nuntia Phœbi,
Purpureiſque invecta rotis Pallantias exit:
Diſpoſitæ Evſebii per opaci culmina montis
Excubiæ (horrendum viſu!) numeroſa tuentur
Agmina, candentéſque acies, niveóque ſedentes
Quadrupede, haud unquam viſas hucuſque phalanges.
Atque hoc immenſum camporum conſerit æquor
Oſtentum. Ex oculis triſtis proſpectat imago
Funereæ mentis: ſpecus horrida lumina inumbrat:
Decreſcunt truncæ nares, laceratáque ſepes
Oris hiat: gelidus candenti depilis horror
Vertice conſurgit. Si cætera Muſa tueri
Pervelit, exanguis compago corporis oſſe
Duntaxat conſtat. Turma oſſea tota, Gradivi
Signa inimica rotat. Sed quem petat horrida telis,
Vel terrâ trepidante, phalanx, auráque tremente,
Ignoratur adhuc. Nec enim ſtatione moveri
Turma, nec in certam ſua tela expromere metam.
Perculſus viſis miles, celeri pede caſtra
Evſebii repetit; portenta exponit anhelus,
Attonitáſque ferit tremebundi Principis aures.
Et velut horriſonis cùm nubes perſonat armis,
Ac quaſſat trepidam repetito fulmine terram:
Terror ubique ſedet, præcordia contrahit horror:
Haud ſecùs attonitum nova terrent nuntia Regem,
Sardoúmque genus multâ formidine complent.
At tandem Cælo fiſus, Divúmque favori,
Depoſitóque metu, præmittit prodiga vitæ
Pectora, magnanimam pubem, quæ juſſa faceſſat,
Quærátque intrepidè: ecquis, & unde adeò horrida bella?

Impe-

Imperium ſequitur miles. Volat ocyor Evris
Ad præfinitam, poſitâ formidine, metam.
Obvius his niveâ umbrarum legione maniplus
Occurrit, trepidúmque jubet de corde timorem
Mittere Sardoum Martem. Dêin præcipit, iſta
Evſebio referant: acies ex orbe remoto,
Æternáque venire domo; quêis ultio Divûm
Oſtorgi faſtum premere, ultricéſque referre
Decrevit pœnas. De quo nè fluctuet anceps
Evſebius, Sardíque Duces, hæc nuntia mittunt.
Continuò Princeps adſit, collatáque verba
Miſceat, atque triumphalis documenta Gradivi
Affatu excipiat. Vix dicta abſolverat umbra,
Illico quadrupetante celer, plaudénſque caterva
Caſtra petit, referens viſa, atque audita Dynaſtæ.
Hac famâ Evſebius cêu vitæ redditus, aſtris
Concita vota facit, gelidóque pavore ſolutus,
Obvius ad niveas celeri pede provolat umbras,
Quò mentem illarum accipiat, tranſmiſſáque Cælis
Nuntia cognoſcat. Vix manes attigit, alto
Cornipede impulſus, ſiſtit, pulchróque veretur
Officio exſangues animas. Hìc verba profundit
Mirifico formata ſono, ſuprema cohortûm
Umbra, edens tales ſinè linguæ munere voces.
Chare DEO Princeps, pietatis cultor avitæ,
Relligionis amor. Præſentes ſidera mittunt
Suppetias fidi Martis, juſtiſſima tantæ
Præmia virtuti; quâ ſæpius igne probatos
Eximis à rigido luſtratos carcere manes.
Jam nectunt meritam Superi, mihi crede, coronam
Effuſis in nos meritis. Nec gloria terris,
Noménque æternum deerit. Victoris honores
Ad tua ſigna volant. Ereptam juris iniquo
Ordine ſuſcipies, decreto Numinis, urbem:
Nè Cælo arridens, miſerandis manibus, æquum

E ſæ-

E ſævo deſit redimendis carcere, lytrum.
Eja age, Cæligenis jungatur copia turmis,
Nos ſequere, & clarum referes ex hoſte triumphum.
Vix ea dicta dedit, jubet illico caſtra movere
Evſebius fidens umbris, jungítque phalanges
Corporeâ de mole graves; quas nulla timoris
Jam tormenta gravant; ſed virtus martia Cælis
Præbita confirmat, contráque tumentia faſtu
Agmina procedunt hilares. Jámque oſſeus heros,
Evſebio comitante, novâ conſiſtit arenâ,
Prælia moturus, Sardóque trophæa daturus.
Interea Oſtorgus procedit, & obvius armis,
Marte, animóque tumens, Sardos devincere certus.
At poſtquam innumeram permenſus lumine turmam,
Inſolitum cernit, non luſus phaſmate, Martem,
Atque aciem è fati ſimulacris conſpicit: ohe!
Exclamat: quæ bella movent Acheronte profuſa
Agmina? Non Martis, ſed mortis cerno Gradivum.
Ecquis Tænariis citat hæc portenta cavernis?
Hinc glaciante metu jam fari neſcius, horret
Exanimi ſimilis, buxóque ſimillimus ora
Pallor obit; gelidos ſudor dimanat in artus,
Atque animo, genibúſque tremens, perterritus hæret,
Turgentes ponens, demiſſo vertice, criſtas.
Sed pavidam revocans animam, portenta! quid iſthoc
Rurſum ait: an ſtygiis jam totus Tartarus oris
Mundum devicturus adeſt? Quæ fata parantur
Trinacriæ? An patriâ nos forſan ſede repellent
Signa Erebi, noſtrúmque genus delebit Avernus?
An fortè Ætnæis habitabit Tænarus oris?
Ut video noſtrarum adſunt diſcrimina rerum?
Ergo gradum retrahit, ſibi noxia bella paveſcens.
Omnes horror habet. Nullus tentare Gradivum
Audet, vel niveas temerarius ire per umbras.
Ut tamen Oſtorgo miri ſit notio belli:

Invi.

Invitas, pavidáſque jubet celerare cohortes,
Quæ vera explorent. Occurrunt illico manes,
Exanimántque propè accedentûm ſigna phalangûm.
Hìc una umbrarum. Vel Princeps mœnia reddat
Sardo, ac Chriſtiadûm devotam manibus urbem:
Aut ſcelus agnoſcet funeſtâ morte piandum.
Hæc properi retulêre viri. Jam perfide Princeps,
Jam tibi cauſa liquet, jam belli notio conſtat:
Auxiliatrices cur mittant ſidera dextras.
Sic tumor Oſtorgi ſubſidit, vímque paratam
Non armis ſuperare valens, palmam obtulit; urbem
Reddidit, Evſebio damnum ſarcire paratus.
His ità compoſitis, prolixas reddere grates
Sardous dum fortè parat; quæ prima cohortûm
Manibus imperio præerat, jam functa Gradivi
Munere, ad Evſebium gratantem talia fatur.
Princeps, quas oculis cernis mortalibus umbras;
Nè dubita eſſe tuas. Hæc ſunt ſimulacra recepta
Sedibus æthereis; rigido quæ carceris antro,
Luſtrantíque rogo, jam pœnis eſſe ſoluta
Auxilio perſæpe tuo, lytróque repenſo
Eſſe ſcias Princeps. Non tanti gratia facti
Effluet ex animo. Numen, quod lumine claro
Cernimus aſſiduè, ſtat nobis ritè rogatu
Poſcere: nè quiſquam poſthac tua regna laceſſat
Armorum fremitu: nè devius error ab æqui
Tramite deducat: nè virtus ceſſet avito
Sanguine, diſcriménque parent tibi fortè ſalutis
Hoſtes Tænarii. Si plures eximis igne
Purgante exangues animas: ad Numinis aulam
Patronas tibi ferre manus, Superúmque favores
In vitæ ſtadio manes adferre ſtudebunt;
Donec ad æthereas appellas certior oras.
Dixerat, & liquidas niveus conceſſit in auras
Spiritus, Evſebio dimittens plurima mentis

Gaudia, & obſequiis functorum pectus inundans,
In plura exacuit, confirmatúmque relinquit.
O felix Princeps! felicia regna Potentûm!
Quæ pretio redimunt tenues ſinè corpore vitas,
Exilióque parant luſtratos ſolvere manes.
Quiſquis amat levibus cælos conſcendere pennis;
Æs grave, functorum lytrum, præmittat Olympo.

JV-

JUDITH De Holopherne victrix.

Ex lib. Judith.

NAbuchodonoſor rebus ſecundis elatus, orbem terrarum ſuo ſubjecturus Imperio, Holopherni militiæ Principi dat in negotiis, Occidentem Babyloniô juri ſubſternat. Is victor urbium, gentiúmque domitor, Bethuliam obſidione ſtrictâ coronat, incolis jam in deditionem inclinantibus. Judith raræ virtutis, ac formæ mulier, intellectâ hac animorum abjectione, gravi oratione primores urbis coarguit, jubétque ſpem in DEI ope collocare. Confirmatis ad propugnandam urbem civibus, petit nocturnum pro lubitu extra mœnia egreſſum. Eo impetrato, oris venuſtati mundum addit muliebrem, noctéque adultâ, comitante Abrâ famulâ, egreditur, partem bonam noctis in precibus conſumens. Die verò jam illuceſcente transfugium ſimulans, à ſpeculatoribus Aſſyriæ humaniter accepta, ſiſtitur Holopherni lectiſſima præda. Hic captus tantæ venuſtatis miraculo, adhibet eam geniali ſympoſio, in quo ante omnes deponitur modimperator. Quare, mero, ſomnóque gravis deferrur in conclave, inductâ pari-

pariter Judithâ. Hìc opportunitatem nacta exequendi conſilii divinitùs concepti, facinus longè fortiſſimum aggreditur. Gladium Perſicum ad caput lectuli pendentem arripit; quantóque poteſt virium anniſu in obeſam cervicem incutit, & tyrannum obtruncat. Caput reſectum conopœo involvens, pediſequæ tradit, & in Bethuliam confeſtim redit. Indè DEO gratiarum actio, Judithæ congratulatio, Aſſyriorum turbatio, & fuga.

VIrtutis, formæque decus, certantia vultûs
Lilia cum roſeo volitante per ora rubore,
Atq; animam Mavorte ſatam, fortíq; profuſâ
Pallade, & omnigenâ præſtantem dote Lacænam,
Muſa canet graviore metro. Juditha virago
Jeſſiadûm mihi carmen erit; quæ Numinis acta
Spiritu, in Aſſyrium convertit tela tyrannum,
Ebria purpureo volventem membra grabato;
Pergama quò patriæ, populi tutela, ſalúſque
Protegat, & validos à mœnibus arceat hoſtes.
Hoc decus Iſacidûm dum noſtra Camæna recantat:
Quod dedit imbelli Numen ſpirabile dextræ
Robur, in Aoniam transfundant ſidera ſortem:
Aut partem faveant aliquam; quò viribus aucta
Calliope, meritos valeat celebrare triumphos.
Poſtquam Arphaxatum Medorum ſceptra tenentem,
Ambitione tumens, truculentâ cæde Merodac
Perdidit, elatus rebus Mavorte paratis:
Auroræ populos, Nabathæáque regna Monarcha
Occupat, Eois præſcribens jura Dynaſtis.
Verùm cêu ſe ſe dominandi ſæva libido,
Jugiter in plures, flammæ more, explicat auſus,

Regnorum gazas ſitiens, eboríſque repoſcens
Pabula: ſic Princeps naſcentis littore Phœbi
Haud ſatur, in plures ſua vota exporrigit oras.
Unde hominem valido pollentem robore Martis,
Gentis Achæmeniæ columen, ſed mente ferocem,
Immanémque armis, Holophernem nomine, turmis
Præficit, ac variis, Gradivi fulmine, mandat
Ire, volare plagis; quò martius ardor adurget,
Atque ſitis famæ. Plures avet orbe coronas
Ambitus in ſolio turgens. Hic ſvadet in omnes
Regnorum faſces avidam protendere dextram,
Aſſyrióque orbem totum ſubſternere ſceptro.
Nec mora: in occiduas pleno ruit agmine terras
Arſaciæ Sciron, ac tempeſtate Gradivi
Regna, quibus fertur, Diomedes crudus inundat,
Victricéſque metit non uno jugere lauros.
Et velut agrorum peſtes, numeroſa locuſtarum
Agmina, depopulantur opes, ac ruris honores,
Quâ ſe cunque ferunt per dites frugibus agros:
Haud ſecùs armipotens Aſiæ, Syriæque tyrannus,
Evmenidûm comitante choro, Martíſque furore
Percitus, exſcindit ferro, flammáque, quod armis
Obviat, ac totas à ſedibus eruit urbes,
Exæquátque ſolo fortiſſima pergama; moles
Turrium in aggeſtos latè diſpergit acervos,
Omnia devaſtans. Flaventia meſſibus arva,
Atque domos Cereris, Panóſque novalia edaci
Mulcibero tradit, viridíque à ſede Napæas
Exigit; ut ſterilis dea ſolùm regnet in agris.
Verùm cùm Bromii colles, ac fœta racemis
Bonoſus vineta ſubit, Bacchóque dicata
Hydria: delectam ſolerter colligit uvam,
Replerique jubet ſpumantia dolia dulci
Munere; quò crebrò mergatur cura Gradivi,
Atque natent liquido Mareotica tela Lyæo,
Et de Marte etiam ſua ſtet victoria Baccho.

Lani-

Lanigeros ubi fortè greges, armentáque Cacus
Bucera deprêndit, caſtrorum vertit in uſum,
Ingentes abigens prædas. At quidquid ab ære,
Aut Hermo pretii ſe ſe objicit, ungue rapaci
Dirìpit Autolycus; quò ſæva potentia Martis
Creſcat, & effectum videant ſancita Gradivi.
Nec ſolùm pecudes, ac dites æris acervos
Congerit Aſſyriæ Cræſus; ſed lecta virorum
Pectora, in Odryſium deſervitura laborem,
Præcipit arma ſequi. Sic majus robur iniquo
Accedit Marti, bellíque procella tumeſcit
Ampliùs, atque ſuo magè formidabilis hoſti
Perſidos evadit vaſtâ feritate Lycaon.
Hoc auctus numero armorum Chananitidos oras
In morem rapidi torrentis, Marte profusâ
Eluvione gravat. Cataclyſmi ferreus imber
Rura Palæſtinæ, gentémque à Numine lectam
Obruit, & gelido perſtringit corda pavore
Iſacidûm, fati rabiem ante ſuprema paventûm
Fata, propè exanimes reddens formidine cives.
Nec vanus per corda metus trepidantia ſerpit.
Quippe Palæſtinam ſibi ſubdere Marſpiter oram
Immitis ſatagit; recutitam perdere gentem
Nititur, atque imis Chananitim evellere fibris.
Quare partheniam procus infeſtiſſimus urbem,
Judææque caput, dictam de nomine Bethul,
Protinus aggrediens, ſtrictâ obſidione coronat,
Mœniáque Aſſyriis latè circumdat habenis.
Urbs ea Thariacas inter regina triumphat
Urbes, infami nunquam violata Gradivo;
At ſolùm in pacis gremio, placidóque quietis
Enutrita ſinu. Viget urbs hæc æmula Thebis,
Pulchra ſitu, populóque frequens, atque aëre felix,
Dives aquis, multo cenſu, gazíſque redundat;
Quam vellent Superi nonnunquam habitare Quirites.
Cætera ſi ſpectes decora urbis: mœnia ſurgunt

Cyclopum fabricata manu; quæ ducta timendo
Clauduntur vallo. Cingentes pergama foſſæ
Hoſtilem prohibent aditum. Turrita ſuperbit
Moles, aërias contingens vertice ſedes;
E qua librari longè, latéque Gradivi
Tela queant, ſævúmque arcere à mœnibus hoſtem.
Hoc *S*yriæ, regníque caput, tranſcribere juri,
Ac ſolio Arſacidûm bellator Perſa laborat.
Verùm cùm validâ munimen frangere dextrâ,
Aſſyrióque nequit confeſtim tradere ſceptro
*S*auromata Eous; de conſo, fraude miniſtrâ
Utitur, atque minis Verpos percellere tentat,
Ac vafras urbis potiundæ conſtruit artes.
Sæpe opifex fraudis Mavortis præſtat alumno.
Unde fame oppugnare urbem, Ceteríſque caniſtra
Ingreſſu prohibere Scinis, ſubducere lymphas;
Collicias omnes ferro præſcindere, ſulcos,
Atque incile capax undarum fundere genti
Copiam, ab Arſacio ſepiri milite mandat.
Dum ſic innocuum, cretus Buſiride Mavors,
Judææ populum longâ obſidione coarctat,
Et clauſis renuit Cerealia dona favere,
Flumineúſque latex jam ceſſat labra rigare:
Implacata fames miſeris ſuccedere tectis;
Attenuare viros; vacuis jejunia venis
Ducere; funereo diſcurrere pallor in ore,
Urbíque extremum Libitina indicere fatum.
At quid agunt cives, nullam ſupereſſe ſalutis
Spem reliquam, nullúmque ſibi reſtare videntes
Effugium? In ſalſos effundunt lumina rivos;
Per gemitus animas frangunt, ac pectora plangunt,
Luctiſonóſque edunt queſtus, mœſtóque ululatu,
Lamentíſque urbem complent. Sic rebus ademptis
Omnibus, eſſe rati finem, abſumptámque ſalutem:
Incuſare urbis Proceres; damnare morantem
Summatum audacter conſum; quod dedere nollent
Obſeſ-

Obſeſſam indomitis Holopherni viribus urbem,
Majoréſque faces iræ, ſtimulóſque furoris
Subjicerent crudo Numidæ. Conſultius eſſe
E re Thariadûm reputant, concedere vivos
Martis in arbitrium cives; quàm cedere fatis
Victimam, & inſanâ torqueri ſemper edendi
Eſurie, rabiémque famis tolerare medullis.
Sæpe valet plebes ad vota inflectere Reges.
His moti Proceres urbis, Patrúmque corona,
Ac primùm Ozias Princeps, cuî ſumma poteſtas,
Imperiíque vices Solymæo tradita jure.
Is querulo ſpondet civi, dictóque fideli
In ſe ſe recipit, ceſſurus Perſidos armis
Mœnia Jeſſiadûm: ſpatio nî quinque dierum
Submittant validas cæleſtia Numina turmas;
Quæ poſſint tumidam refringere Memnonis iram.
Stat verbo Oziæ civis. Lubet ergo morari,
Auxiliatrices dum mittant aſtra catervas.
Interea ad notas Judithæ provolat ædes
Fama loquax totidem linguis, quod garrula mater
Ora dedit, nuruíque ſacræ mœſtiſſima defert
Nuntia Idumææ gentis, conſúmque cadentem,
Diffiſáſque DEO mentes; quæ ſacra Tonanti
Mœnia, gentili flagrant extradere ſceptro.
Hoc famæ inſolito perculſa virago canore,
Improbat abjectas mentes, animíque cadentis
Omina condemnat. Sed nè quid forſan adornent
Thariades auſu temero, revocare laborat
Intempeſtivum mulier fortiſſima conſum,
Extradendæ urbis; quam Cæli protegit umbo.
Dúmque per ancipites verſat præcordia ſenſus,
Communíſque boni ſatagit, patriæque ſaluti
Gnava ſtudet: forſan fortunâ Charmius, atque
Chabrius Oziæ comites, utrumque timoris
Pediſequo comitante choro, viſere penates
Jeſſiadûm Tomyris. Veniunt ſancita daturi,

Dedendæ, à quinis exactis Solibus, urbis:
Ni Cælum electo populo, Divúmque favores
Suppetias Martis faveant. His obvia fertur
Saraidûm Hippolyte, dejectæ conſcia mentis,
Hæcque prior ſermone gravi, ſcitóque profatur.
Purpurei Abramidûm Patres, qui legibus urbem,
Ac conſo regitis, quæ vos vecordia tangit!
Ergone certorum vos præfinire dierum
Tempora divinæ Menti? Quid? vóſne Tonanti
Leges, atque modum fatuo præſcribere jure?
An non hic temerus diffiſæ mentis abortus,
Jure meret rigidas ſupremi Numinis iras?
Læſa DEI bonitas, cui eſt Clementia cordi,
In juſtos ſurgit, pœnâ comitante, rigores.
Nunquam ſi Cælis ſpes inclinata recumbit,
Funditùs occidimus. Supereſt miſeratio Divûm;
Quæ nos, ac urbem gentilibus eximet armis.
Hoc ſcitote velim, propiùs ſolamen adeſſe,
Subſidiúmque DEI: Cælum non deſerit Hebrum.
Fidite Thariades, tranſmittent ſidera vires.
Fidite: de recto ſuſpiria corde profuſa,
Demiſsique preces animi, lacrymæque fluenta,
Omnia ad æthereum poſſunt, poterúntque tribunal.
Flectite in obſequium Cæli, nam tempus adurget,
Flectite cervices, mortes perferre parati
Mille, ac immitem potiùs tolerare tyrannum;
Quàm ſacro ſanctum temerare, ac perdere noſtræ
Relligionis opus. Nixi hoc fundamine Patres
Jeſſiadûm, ùt faſti memorant, per quæque probati
Aſpera, ad excelſam, quo pergite tramite, ſortem
Planavêre viam. Nôſtis poſt nubila Phœbum,
Diſcuſſóque mali nimbo, remeare ſerenos
Fortunæ ſoles, Divóſque redire faventes.
Tempeſtate equidem Judææ gloria gentis
Jactari poterit, ſed nunquam natio mergi
Noſtra poteſt. Jam vera levet fiducia mentes,

Vir-

Virtutíque DEI nitatur jacta ſalutis
Anchora; quæ dubiis novit ſuccurrere rebus.
Quare agite Iſacidûm Proceres, quos ſumma poteſtas
Officio admovit patriæ, fideíque tuendæ,
Cæli propitiam votis acceſite dextram;
Quæ tumidum potis eſt nutu proſternere Martem.
Vos etenim verum Numen fulcimina regni,
Atque baſes ſtatuit; quêis ſuſtentare ruentes,
Atque vacillantes incumbit munere gentes;
Non verò in fœdam populos urgere ruinam.
Eja agite, ac non tam vallo, quàm pectoris arce
Propugnate urbem. Semper bona cauſa triumphat;
Quam recti fulcit ratio; quam firmat honeſti
Regula, quæque DEI fidit ſubjecta Gradivo.
Si Cælo obſtrictum, fideíque ſacrare cruorem
Stat vobis: aderunt Superi, duráinque levabunt
Fonte ſitim, dulcéſque fluent de pumice lymphæ;
Quêis non tam veſtrum confeſtim attemperet æſtum
Numen; quàm rabidas extinguat Perſeos iras.
Quare confiſi Superis, animíque recepto
Robore; quod vobis clemens non denegat æther;
Ite, coronatos infeſto milite muros
Servate incolumes. Aderit cuſtodia Divûm.
Dixit. At Hebræi Proceres defixa tenere
Lumina, & ingenuo ſuffundier ora rubore,
Miraríque alacrem ſequiori in ſorte vigorem
Pectoris, invictámque animo, rebúſque Lacænam.
Dúmque refragari Chananææ nemo Camillæ
Jure valet; mutat decreta pudenda ſenatus,
Próque aris, urbíſque focis jam ſtare fidelis
Deſtinat, obſtrictúmque DEO ſacrare cruorem.
Ut verò Patres accendat Martis in auſus:
Poſcit concubiâ ſibi nocte patère virago
Oſtia pervigilans patriæ; quêis urbe migrare
Poſſit ad arbitrium. Quod flagitat, obtinet æquo
Harpaliæ Iſacidûm voto. Recluſa patebit

Janua pro lubitu, ferri munimine ſepta.
At dum fortè parant cauſam perquirere Patres,
Quò ſua vota ferat, quid ſcitâ mente volutet,
Ninias Abramidûm: quærenda, præoccupat arte,
Atque rogat, nè quis cauſam pernôſſe laboret;
Donec in optatam ducantur rumina metam.
Quippe è re conſi eſt, qui tuto tramite pergit;
Ut cudat tacito molimen pectoris antro.
Poſtulat indè preces, ac vota flagrantia Cælis
Præmittant cives; quò fauſto arcana triumphent
Ordine, & haud dubiam valeant adferre ſalutem.
Hæc ubi dicta dedit divini Numinis acta
Spiritu Amazonidûm Princeps, Hebræáque Tevca:
Illicet ad proprii ſe vera lararia tecti
Zelo ardente rapit. Vix tangit limen Olympo,
Virtutíque ſacrum; lunato poplite, Cæli,
Ac terræ Dominum demiſſo corde veretur,
Et ſe ſe inſolito parat Amalaſuntha Gradivo.
Horrida de Cilicum textu ſuperinjicit arma
Corpori; ut expugnet fœdos Cythereïs amores
Penelope Iſacidûm. Galeam ſpes vera miniſtrat,
Non in Mulciberi fabricatam incude; ſed igne
Sidereo excoctam; non criſtis, atque jubarum
Syrmate terribilem; verùm cui tela Diones
Officere haud quicquam valeant. Ancile ſiniſtram
Occupat, inducto non formidabile ferro,
Nec picturato Phœbum fulgore laceſſens:
Et tamen eſt veræ tutiſſima pelta ſalutis;
Quæ poſſit ſtygias umbone repellere turmas.
Sed quæ tela acuit; quibus alto vulnere ſternat
Arſacidûm Martem? Suſpiria vibrat in altum
Flammea, ſupplicibus depoſcens ſidera votis,
Propitiúmque rogans in vota accedere Numen.
Pectore ſincero fuſæ non irrita cernunt
Vota preces. Facilem demiſſis admovet aurem
Optatis æquum Numen, cùm juſta petuntur.

Ac his præludit Judææ Penthesilæa
Armatis precibus. Jam belli momen adornat,
Ex umbra in Gradivi deſcenſura palæſtram.
Utque animi molimen eat, ſortíſque ſecundæ
Auſpicio eveniat; pulchros conſurgit in auſus;
Quêis technæ laqueos Holopherno, ac retia tendat,
Fraudíſque ingenio capiat; quem nulla Gradivi
Fulmina, de ſæva mentis ſtatione moverent.
Perfacilè Argolicas novit contexere fraudes
Fœmina, & ardentes Mavortis temperat iras.
At quæ tela parat? Quibus ipſa tyrannis, & omne
Bellantûm robur cedit, ſolíſque poteſtas
Frangitur, Alcidíſque rigor miteſcere poſſit.
Inter Saraicas huîc ſpectatiſſima formas
Forma venit. Vultûs Charites vel livor amare
Cogitur, atque probare decus; quod regnat in oris,
Ac frontis ſolio, totóque è corpore ſpirat.
Diſcurrunt niveæ per candida colla pruinæ:
Æmula labra roſis certant; nativa colorat
Purpura vernantes malas; quas lactea cingunt
Lilia, & argento cognata liguſtra coronant.
Bina nitent rutilo rivalia lumina Phœbo:
In frontis circo Veneres, gratíque lepôres
Innocuos agitare choros, auróque comarum
Ludere, & in toto placidè diſcurrere vultu.
Quantùm purpureo Titan nitidiſſimus ore
Aſtrorum vulgus ſuperat: vel candida Phœbe
Præcedit ſplendore faces, cælóque vagantes
Stellarum cœtus: tantùm ſupereminet omnes
Conſpicuo formæ Juditha pudica nitore,
Nulli, quêis mundus plaudit, ceſſura dearum.
Ut verò illecebris vultûs magè barbara flectat
Pectora; nativo ſuperaddit plura decori
Schemata; quæ frangant animum, furiáſque Tyranni.
Nam pretium formæ, muliebris mundus adornat
Ampliùs, ac mentes hominum velut ariete quaſſat.

Quare purpureo circumdat corpus amictu,
Obrizi incenſo radiis, multóque nitenti
Jaſpide, & omnigenâ baccarum luce coruſco.
Diſpeſcit ſtatione comas, claróque adamante
Suggeſtum capitis diſcriminat, atque madente
Perfundit myrrhâ cyrrhatum frontis honorem.
Auribus illuſtres Nili ſuſpendit elenchos,
Chryſolithíſque onerat. Collum gemmante monili
Multiplici ductu Fonteja Hebræa venuſtat.
Vivum ebur accendit digitorum tortilis auro
Bractea: pes niveus niveâ celatur alutâ,
Sandalióque nitet gemmarum grandine ſtructo.
Corpus Orontæo, Syrióque irrorat amomo,
Exhalátque omnem perfuſa virago Sabæam.
Nec Cælum ornandæ deſit. Nam dotibus aptis
Naturæ, varium tribuit, mirúmque nitorem:
Non quò laſcivos ſibi conciliaret amores;
Sed terræ probrum, Cælóque inviſa domaret
Pectora, & infeſtum patriæ proſterneret hoſtem.
Ac hæc Saraidi naturæ, artíſque fuêre
Arma; quibus tumidum debellet Perſeos hydrum,
Et miti ſtringat crudelia corda lupato.
Forma etenim Imperii faſces, ac ſceptra capeſſens,
Abſque ſatellitio vincit, vímque admovet abſque
Vi, expugnans molli telo, cêu blanda tyrannis
Immites quamvìs animos. Hæc machina formæ
Marti erit Aſſyrio tormentum ſvave Diones.
Interea furvâ prætexit cyclade cælum
Stellantes nox picta ſinus, pulchrámque videri
Telluris faciem, comptæque heroidos ora
Nigrante involvit pallâ, ac horrentibus umbris.
Hic opportunam technis melioribus anſam
Eſſe rata Evrydice; recluſis poſtibus urbis
Egrediens, Abrâ famulâ comitante, ſecundo
Tramite progreditur; quò ſolis conſcia cælis
Vota citant, patriæque ſalus. Jam fabrica mentis
Ardet

Ardet in apricam tandem procedere lucem.
At nè quid temero caſtiſſima Sarais auſu
Ducat in effectum; per amica ſilentia Lunæ
Auxilium implorat Superûm, magnámque precatu
Inſumit noctis partem. Scit nempe benigno
Numinis auſpicio, rerum molimina ſtare
Magnarum, ac Divûm ſuperari extrema labore.
Vix ſolvit gelidas redivivus Cynthius umbras,
Ac radiante comâ, mundo, rebúſque colorem
Reddidit, & plenâ patefecit luce decorem
Partheniæ Glyceris; cùm formoſiſſima Judith
Barbara caſtra ſubit. Quò verò fraude probanda
Arſacides ludat; vultu confeſſa pavorem,
Transfugium ſimulat trepidis à mœnibus urbis.
Hanc poſtquàm Aſſyrius ſpeculator lumine primo
Contigit; attonito ſimilis, miracula formæ
Defixo ſtupet obtutu, ſuperíſque venire
Sedibus auguſtum reputat Junonis honorem,
Pandoræve decus; cuî Divûm contulit ordo,
Quidquid in eximiam potuit concurrere formam.
Accipit humanè delapſam ſidere nympham
Martis Achæmenii pubes, dignámque jugali
Fœdere, & Aſſyrio jungendam Daphnida ſceptro
Deſtinat inceſtus miles. Nè verò rapaci
Cedat fortè ungui decus admirabile formæ:
Protinus ùt Cythersam caſſibus irretitam,
Cultámque officiis deducit Martis ad ædes,
Inſignem prædam ſolio ſe ferre recenſens,
Ignarus prædatricem, cladémque futuram
Arſacii generis, ſceptróque parare ruinam.
Forſitan Oebalio conſtratam murice ſedem
Barbaries tumefacta premit, legéſque Gradivi
Detonat armiſonæ pubi; cuî præcipit urbem
Obſidio cinctam, ferro, flammáque domare,
Confeſtimque ſuo ſubſternere mœnia ſceptro.
Dum Marte accendit populos, ſpecioſa virago

Sarai-

Saraidûm accedit. (Prô! quæ miracula formæ
Lumina perſtringunt!) Sinuato corpore terræ
Labitur, ac ſupplex provolvitur ante tribunal,
Aſſyriúmque colit pronâ cervice tyrannum.
At formæ, Veneríſque procus, proſtrata levari
Membra deæ jubet actutum; quò lumina paſcat
Illicio decoris, cordíſque attemperet ignes,
Aut verò in flammas acuat. Vix retia formæ
Explicat Iſacidûm Latois, mitia reddit
Pectora Sauromatæ. Quot ſpicula frontis ab arcu
Lais caſta vibrat; tot amoris vulnerat hydrum
Flammatis facibus. Quot mellea verba propinat;
Tot Svada illecebras ſpargit, capiúntque, trahúntque
Perculſum Perſam non viſæ thaumata formæ.
Indomitum mulier placat, ſedátque Gradivum.
Ut verò ambroſio ſatientur lumina vultu
Crebriùs, Aſſyrias jubet inter Pallada gazas
Thariadûm claudi; nè quis præcerpere tentet
Rivali dextrâ pretioſæ munera formæ.
Sed quid erat Paphio quod Martem accenderat æſtu,
Allexítque Ducem? Quis credat: tegmina plantæ,
Sandaliíque nitor ducit per vana nepotem
Cypridos, atque cremat nocuis præcordia flammis.
Ergóne turgentem faſtu, cilióque ſeverum
Perſarum Thamyram, aſpernantem jura Tonantis,
Exuviæ pecorum capiant, ac mollis aluta?
Ergóne cui ſupplex totus provolvitur orbis
Ante pedes, ipſúmque ſuis ſubſternit Olympum
Faſcibus, ad mollis ſe ſe veſtigia ſexûs
Abjicit, & domitor mundi captivus adhæret
Pelle cothurnatis pedibus? Vah probra Gradivi!
Hic eſt è vero religatus rupe Prometheus
Caucaſeâ, ac ſcopulis formæ, conſtrictus amoris
Nexibus, haud ullâ poſthac reſolubilis arte.
Hoc habet omnis amor, quem nutrit fœda Dione,
Exili ſe ſe, cêu ſervum mancipat algæ.

Erran-

Erranti capitur collo, vel fronte capillo.
Quid levius? Niveæ plantarum ſervit alutæ.
Quid magis abjectum? Convolvens textilis artus
Irretit nebula Alcides. Quid inanius, oro,
Eſſe poteſt homini, ratio cuî conſtat honeſti?
O mirum imperium Veneris, quod fulmina belli
Edomat, atque ſuo reddit ſubjecta lupato!
Interea Aſſyrio Mavors convivia luxu
Inſtruit, atque decus Chananæum ad ſplendida ducis
Sigmata, & officiis aularum more peractis,
Oſtro diſcumbit Tyrio. Jam Perſica carpit
Fercula, & immensâ Phago non ſaturabilis eſcâ
Alvi diſtendit regnum, non paſſus hiatum
Parthicus Aſtydamas montoſo abdomine ventris.
Quidquid pennigeræ volitat per inane cohortis;
Quas tellus effundit opes; quod ſaltibus errat,
Æquoreáque natat pretii mirabilis orâ,
In geniale epulum cedit. Nec parcitur amplis
Thyrſigeri pateris. Multo ſe proluit auro
Arſacius Bitias: Proceres majoribus urgent,
Ac poſcunt ſe ſe cyathis: decurrit in orbem
Natus lætitiæ crater; quem gemma coronat
Incluſa obrizi pretio, longámque ſalutem
Principis, ac Helenæ potant, ſiccántque culullos
Aſſyriæ Promachi, fortíque amyſtide ducunt
Pocula; queîs ratio cum toto fluctuat ore.
At primus Proceres inter demerſus Jacchi
Flumine, naufragio rationis Marſpiter undat.
Jam varié titubat; confusâ mente, diſertæ
Officium linguæ: nutantia tempora fulcit
Læva manus: concuſſa mero jam crura vacillant,
Immodicóque natat lumen, cerebrúmque Lyæo,
Ac tremor in membris, pallórque per ora vagatur.
Unde mero, ſomnóque gravis, famulantibus armis
Fertur ad Oebalio conſtratum murice lectum,

Tur-

Turgentique thoro cygnis, thalamóque profundè
Mergitur inſanus gurges. Vix membra ſupinat,
Extendítque artus Bacchi languore ſolutos ;
Ad conſanguineum fati, Lachesíſque propinquat
Terminum, in æternam clauſurus lumina noctem.
Clauditur infami quoque caſta virago cubili ;
In thalami ſociam. Ferro, ac compagibus arctis
Firmantur poſtes: clauſtro nè fortè recluſo
Effugium Juditha paret. Sed nulla pudori
Vim deferre queunt ferratæ robora portæ.
Has reſerare valet ſuprema potentia Cæli,
Ac pollens virtute manus. Dum fortè columbæ
Inſontis, caſtæque decus, prædone teneri
Accipitre inceſto reputant ſubjecta tyranno
Agmina : in excelſos, afflatu Numinis, auſus
Ninias Iſacidûm ſe ſe ſolerter adornat,
Innocuas Superis, illibatáſque pudoris
Servatura nives, patriæque datura levamen,
Afflictæque rei finem. Jam temporis urget
Orbita, conſiliíque modus, nóxque alta, locúſque
Mittere in effectum ſuperi decreta Tonantis.
Quare iterum Judith genibus decreſcere flexo
Poplite, & impavidum Cælo depoſcere robur
Effuſis oculo precibus, quò poſſit in actum
Fœmineas, ſed non vetitas impellere technas,
Ac ſervituras patriæ perſolvere fraudes.
Jam mors vicinat Marti. Quem ſævus anhelat
Fundere Thariacum, Sciron dabit ipſe cruorem.
Dum forſan ſtreperos, reſupinus, pectore ſomnos
Victus membra mero proflat, ſtertítque profundum:
Arripit immanem fortiſſima Ninias enſem,
Ad thalami caput appenſum ; qui ſemper in hoſtes
Principis Arſacii vigil eſt. At Sarais omni
Hoſte venit major. Cuî fulgida lampas eburno,
Auratóque appenſa tholo, opportuna miniſtrat

Lumi-

Lumina; quò libret conceptum certiùs ictum,
Unóque in jugulo multorum demetat iras.
Hoc inſtructa probè Chananæis ſtrenua Martis
Fulgure, diſperſas generoſo pectore vires
Colligit in dextræ robur, prenſóque ſiniſtrâ
Vertice, cuî Morphêus cum fatis inſidet atris,
Sublatum dextrâ ferrum cervicibus amplis
Incutit, atque adipale caput de corpore vellit,
Aſſyrióque thoro exceptum, Sidonis amictu
Continuò involvit. Sed nè mora fortè peractum
Incuſet facinus, Phœbúſque revelet operta;
Actutum famulæ, quæ pervigil ante penates
Inſomnem ducit noctem, demeſſum Holophernis
Extradit ferale caput, mandátque fideli
Immitti gremio peræ. Juſſa Abra capeſſit,
Jámque ſuam comitatur heram per caſtra Lyæo
Obruta, præproperíſque aliò ſe paſſibus urget.
Interea exanimum, fœdúmque cruore cadaver
Necdum digeſto, confuſos ſanguinis imbres,
Effundit Baccho, pérque amplos ructat hiatus
Colli purpuream rabiem, tumidúmque profundit
Spiritum, & infernis ſacratur victima regnis.
Huc te nempe tulit genitrix fœcunda malorum
Tempeſtas Bromii. Prolixior humor Jacchi
Præſtinguens animum, lacubus demergit Averni.
Quem Bacchus ſtravit, debetur victima fatis,
Atque Acherontæis juſtè cadit hoſtia ſceptris.
Sed jam Saraidûm decus immortale propinquum
Mœnibus urbis adeſt. Adventûs indice facto,
Continuò admittit, reſeratis poſtibus, Hebri
Niniadem civis. Vicos, ac compita murmur
Famæ excit reditûs. Effunditur ædibus omnis
Conditio populi: patres, juvenéſque, ſenéſque,
Ac trepidæ accurrunt matres, miſſóque pudore,
Virginei ſe ferre chori, tandémque Dynaſtæ

Maje-

Majeſtate graves occurrere, quídque reportet
Præſtolari omnes avidè. Tum fortis Amazon
Funeſtum caput Oebalio de tegmine promit,
Oſtendítque viris, quid fœmina poſſit, & altæ
Munera virtutis, ſi vires præbeat æther.
Hoc viſo capitis portento mira ſtupere
Indigenæ, ludúmque oculis, aut phaſma putare.
Non ſic naturæ vires ſuperantia quiſquam
Thaumata miratur: velut hæc magnalia ſexu
Prodita ab imbelli, plebis perculſa tenebant
Pectora, & attonitos rerum novitate Dynaſtas.
Verùm ubi Phœbæo cognôrunt clariùs aſtro
Arſacii caput Imperii; pars tollere palmas
In ſedes ſuperas, gratéſque referre benignis
Immenſas Divis: pars miras texere laudes
Virtuti Judith. Quid quod provolvere ſe ſe
Ante pedes ſacros, meritos perſolvere honores,
Atque triumphali defigere baſia dextræ,
Omnéſque Iſacidûm cetram, columénque vereri,
Vix ſe Memnoniis Pallantias alma quadrigis
Invexit mundo, piceámque abſterſerat umbram,
Ac oculis lucem retulit: cum civibus ardor
Martius accedit, Perſarum ſternere ferro
Agmina, & arctatos diſcrimine ſolvere cives.
Quare laxatis generoſæ poſtibus urbis,
Omnigenis inſtructi armis, bellíque paratu
Mœnibus erumpunt. Prô! quantis vocibus auras
Impellunt, quantóque ruunt in caſtra furore.
Non ſic torrentis rabies de montibus acta
Præcipitem volvit curſum, Cereríſque cubile,
Omniáque evertit nullâ frenabilis arte:
Cêu ruit Abramides adverſa per arma, per hoſtis
Funera, & immenſam camporum jugere ſtragem
Edit, & ingentes componit cædis acervos.
Hic miles Pharius mirando percitus auſu

Tha-

Thariadûm, vitæque timens, conclamat ad arma,
Atque ſoporatum Bromio victore laborat
Ære ciere Ducem. Stat Marte repellere Verpos.
At cùm nec ſtrepitus, nec belli claſſica longos
Excuterent ſomnos: perfringit ahenea miles
Oſtia; ut ignavum depellat pectore Morphêum.
Dúmque parant thalamo acceſſum; (vah!) triſtis imago
Lumina perſtringit. Truncum, tabóque propinquum
Offendunt trepidi, viduúmque à vertice corpus,
Ac gelidum torpere Ducem, tetrúmque cadaver.
Occupat attonitos funus miſerabile ſenſus;
Exanguis formido ſubit mavórtia quamvis
Pectora, & in pedibus jubet indagare ſalutem:
Nè fortaſſe pari cogantur cedere fato.
Hinc velut amentes, confuſis undique ſignis,
Maturare fugam per aprici jugera campi;
Per montes, valles, per flumina, pérque vepreta
Præcipites ferri, pennas addente pavore;
Quò tutum inveniant, dum tempus adurget, aſylum.
Sed jam nulla ſalus. Fatum per caſtra vagatur.
Palantes ſequitur toto impete Marſpiter Hebri,
Pars ſudibus ſternunt hoſtes; pars miſſile librant
Spiculum in æthereos, hoſti illætabile, campos.
Pars tergo inſiſtens, diſtricto fulminat enſe,
Atque Paratóniæ pubis per corpora ferrum
Exigit: aut jugulos rigido mucrone reſolvit;
Aut aliter tollit, multóque cruore novale
Irrigat; ut riguis ſuccreſcat laurea campis.
Poſtquàm vindicibus Chananæa litaverat armis
Sátque, ſupérque manus: ſpoliis ex hoſte relatis,
Inter laurigeros pubes Hebræa triumphos
Urbis tecta ſubit. Partas hìc Marte ſecundo
Exùvias, inter plaudentis ſigna Gradivi,
Ad ſacras Judith ſuſpendit protinus ædes.
Verùm hæc virtutis ſemper ſtudioſa virago,

Non ſibi, ſed Superis deberi jure relatam
Gloriam, & auguſtos tribui bene gnara, triumphos:
Appendi Arſacidûm Solymæis præcipit aris
Arma, tholóque DEI ſtare immortale trophæum.
Vive triumphato felix Juditha Gradivo,
Atque tui victrix, lauro redimita perenni,
Perge ad ſidereas, niveis ſubvecta quadrigis,
Perge domos; quò te lactenti conſita flore
Semita deducet, nobíſque faventia redde
Numina; ut infernos ſubigamus jugiter hoſtes.
Non niſi propitiis victoria devolat aſtris.

JO-

Joanna Aurelianenſis Galliæ Amazon.

BEllo acerrimo inter Carolum VII. Gallorum, & Henricum V. Anglorum Regem exórto, & tricenis propè annis continuato, finem imponit Joanna, virtute, quàm natalibus clarior. Fortè gregem ovium paſcenti, tempúſque fuſo ducendo fallenti, iterum, atque iterum vox Cælo allabitur: arma pro Carolo ſumat, regnúmque adverſùs Angliam tueatur. Cedit oraculo, Regem adit, mandata Cæli aperit, victoriam pollicetur. Rex primùm dubius eſt animi; tum negotio, à viris religione, & doctrinâ præſtantibus, probè diſcuſſo, armis jubet inſtrui Joannam, & Chiliarchi munere inſignitam, cum turmis in hoſtem ire. Illa Aureliam ſolvit obſidione; aliis ſuper alias cladibus Britannos fundit, pudore affectos, toties à bellatrice puella ſuperari. Huic cum ſua virtus, & fortitudo plurimas lauros impoſuiſſet in terra, cæli Imperator adoream ei in aſtris decernit. Quippe, dum more ſuo, fortem in hoſtes facit eruptionem; cum equo præceps in ſcrobem delapſa, capitur; in vincula conjicitur; inſons ad rogum, cêu venefica, damnatur, in-

terque ignes vivere deſinit, non hominum animos, virtutis admiratione orbem Europæum implens. *Polydorus Virgilius hiſt. Angl. lib.* 13.

NOn mihi Amazonidûm lunatis agmina peltis,
Non fuſa Oenotriis fortiſſima Clœlia terris,
Auſoniæ gentis columen: nec Penthesilæa,
Iliacis ſpes una plagis cantanda probatur;
Sed pia, ſed fortis, ſed victrix virgo Joanna
Nomine; quam famæ tuba toto concinit orbe.
Quàm nî Liligero miſiſſent Numina ſceptro,
Atque laboranti patriæ: ſua fata ſubſiſſent
Lilia, & infami ſe floris gloria tabo
Volveret, in ſannas mundo, ludóſque futura.
Hanc Rhodani Teucam, virtute, armíſque potentem
Dum mea Muſa canet: veſtræ aſpirate Camænæ
Sidera, & inprimis generoſum ſuffice nervum
Virginitatis honos, Martíſque Joanna virago.
Forſan jam ſenis arſerunt prælia luſtris
Francigenos inter populos, magnæque Britannis
Agmina; queis noto quintus de nomine clarus
Præfuit Henricus. Celtarum ſigna præibat
Septimus, ùt faſti referunt, de ſanguine Regum
Carolomanniades, Araris decus, atque Garumnæ.
Non ſic Æacides, non ſic Priameius heros
Conſeruêre manus antiquæ ad mœnia Trojæ:
Cêu Rex Brutiadûm, Ligeríſque Monarcha per arma
Proruit, ac vaſtas populorum funere ſtrages
Edidit in regnis. Erebo emerſiſſe Megæram
Dixeris armatam facibus, ſævámque colubris
Tiſiphonem evolviſſe caput, lethúmque, furorémque,
Ultricéſque deas omnes, Ditíſque miniſtras;
Quæ geminas inter gentes fera bella cierent.
Undique reſtagnant hoſtili ſanguine campi,
Omnia ſunt funus. Britonum ſuper ampla volutant

Cor-

Corpora ſe Franci: Francorum comprimit artus
Funereo corpore gravis, ferróque Britannus.
Quin animas miſcent animis, Lethæa petentes
Flumina; queîs rabidos extinguant fortè furores,
Atque ſoporifero capiant oblivia ſtagno.
Ah quoties ignavus Arar, Moſa, Sequana, Scaldis,
Matrona, cum Ligeri tetro ſtupefacta colore,
Sanguineiſque infuſa vadis, ad nota recurrit
Cærula, & innumeros excuſſit lumine fontes
Tethydi, & æquoreis lacrymarum flumina nymphis;
Cymodoce, & Spio, ac Melite, Panopæiáque virgo
Flevit; dum vidit jactari corpora ponto,
Orbíſque heroas miſceri vilibus undis.
Jámque aliquot luſtris extorres pacis honores,
Non audent niveos terris revocare jugales;
At ſola Imperium cum Marte capeſſit Enyo,
Funeſtáſque vehit per Celtica jugera flammas.
Sic animi perſæpe Ducum, quos Martis arena
Evocat, in vaſtos flammantur corde furores,
Non niſi purpureâ placandos ſanguinis undâ.
Et velut ignis edax conſumens pabula, tandem
Occidit ipſe cinis, buſtum ferale relinquens:
Haud ſecùs adverſæ flagrantes Regibus iræ,
Dum flammas cumulant flammis, pulcherrima regna
In cinerem redigunt. Cùm miſcent bella coronæ
Fortunæ pendente ſtatu, victoria pennis
Inter utraſque volat dubiis, ignara cuinam
Præmia virtuti cedat, faveátque triumphum.
At poſtquàm inclinare videt Mavortis honores
Unius in partem; properatis advolat alis
Sorti ſe jungens dextræ, ſortémque ſiniſtram
Illico declinat. Dum gloria Daphnidos illi
Obviat; iſte cadit ferro, bellíque procellâ
Sanguineas ruit in clades, altérque reſurgit,
Ac ſuper edomito defigit ſigna Gradivo,
Victricéſque legit lauros. Sic preſſa gemebat

Fran-

Francia; quam ſævo convulſit turbine Mavors
Brutiadûm, juſsítque ſuum mordere capiſtrum.
Jámque vacillantem perſenſit Gallia ſortem.
Nutabat jam frontis honos, ſceptrúmque cadebat
E manibus, vaſtâmque fuit minitata ruinam
Inclyta Celtarum tellus, caſúmque parabat:
Nî ſuccollantem miſiſſent Numina dextram.
In conclamatis adſunt bona ſidera rebus.
Non equidem Martis ſimulacra, vel ære refuſa
Pectora Mulciberi, nec Phlegræ ſanguine cretos,
Conſpicuóſque Duces famâ, ac felicibus armis,
Propitium Numen lapſuris deſtinat oris.
Sed (quis non ſtupeat?) ſed vires (copia fandi
Deficit) imbelles mittit, Martémque puellæ,
Brutiadis fatum. Prô! quæ Cælum arma miniſtrat?
Forſan lanigeras paſcit Galatea bidentes
Æquore camporum, ducítque per arva Joanna
Inſons innocuum pecus, & balantia matrum
Agmina per teneras propellit graminis herbas.
Néve manus forſan ſegni torpore jacerent;
Agreſti teretem detorquet pollice fuſum,
Unáque æthereos demulcet carmine campos.
Iſta placent Divis. Verùm ecquid deſtinat æther?
En, inopina tibi ſuperis allabitur oris,
Aërio formata ſono vox cælica, mandans:
Eja age, rumpe moras, armíſque inſtructa tuere
Carolomanniadem; quem turbo Britannicus urget,
Et jam ſulphureæ circumſtant Marte procellæ.
Rumpe moram, abjectâque colu, pro Rege capeſſe
Ferrea tela manu. Celtarum protege terras,
Hoſtiléſque acies de regni finibus arce.
Attonuit trepidam vox æthere lapſa Napæam.
Ecquid, ait, vox iſta notat? Quis bella Joannæ
Imbelli ſvadet? Quis tela capeſſere mandat?
Quid mihi cum ferro, manibus quam ducere ſtamen
Naturæ ordo jubet, fuſóque evolvere penſa?

Non

Non lorica ſtolæ, colui non convenit enſis:
Nec paſtorali virgæ mavortia quadrat
Lancea: fœmineis non ſunt hæc munia dextris.
Inſolito ergo fidem cùm fortè puella negaret
Imperio, & pavidas pergit curare bidentes,
Ac ſolers verſat rhombum, fallendo diei
Tempora: virgineas iterum vox increpat aures,
Ac monitus repetit. Chlamydem jubet illa virilem
Induat actutum, ſtrictóque mucrone Britannos
Irruat in cuneos mulier, regnóque ſalutem,
Ac perturbatæ pacis ferat otia terræ.
Illa gerens morem Superis, mandata faceſſit
Illico, & agreſtem confeſtim exuta lacernam,
Perſonámque viri ſumens, ad regia fertur
Limina, & auguſtas, miſsâ formidine, ſedes
Intrepidâ accedens Svadâ, vel talia fatur.
Carole magnorum permaxima gloria Regum;
Francigenûm quem terra colit, Divûmque favores
Excepêre ſinu. Jubeor tibi nuntia veri
Promere, quæ noſtras demiſit Numen ad aures.
Non fugit auguſtam mentem, quo regna premantur
Pondere bellorum; quæ ſint diſcrimina Martis,
Quíſve ſtatus ſolii. Capitis diadema vacillat,
Ac regimen dextræ rapiet vicina Gradivo
Anglia; ni Superûm tibi gratia tela miniſtret,
Propitiíque Moſæ veniant ad prælia Divi.
Jam Cælum accedit, mittúntque faventia dextram
Numina, non Geticis portantem fulmen ab oris,
Nec genitum Odryſio, ſed Cæli climate Martem.
Fœmina miles adeſt. Hanc non crudelis Enyo,
At melior Bellona ſuo, quæ Lilia nutrit,
Confovit gremio, Mavortíſque imbuit auſu.
Fœmina miles adeſt Superûm virtute ſtupenda;
Quæ valet intrepidâ Britones compeſcere dextrâ,
Adverſáſque acies, Cælo auxiliante, fugare.
Ergo jube Britonas confundat fœmina turmas,

Ac tumidos reprimat faſtus; quêis Celtica ſpernunt
Lilia, & auguſtos properant ſuccindere flores.
Eja age, bella jube. Superûm nè temne favores.
Vix hæc verba nurus, dubio mens fluctuat æſtu
Principis, in varios diviſi pectore ſenſus.
Ac velut irati cùm miſcent prælia venti,
Ambiguum fertur pelagus, fluctúſque reſiſtunt
Fluctibus, exercéntque feras ſuper æquore pugnas;
Haud ſecùs incerto dubii ſe jurgia conſo
Principis oppugnant. His nempe affectibus errat:
An tribuenda fides dictis, vel fortè neganda.
Et quanquàm divino, afflictis rebus, egere
Robore, ſe norat Princeps, ſuperúmque Tonantem
Propitium exoptet: tamen haud inducere mentem
Franco valet, ruris Galateam robore tanto
Præditam; ut invictas poſſit devincere gentes.
Unde ſtrophas reputans, aut natam Colchide ſtrigem;
Ad veterem jubet ire colum, Melibœáque ſenſa
Promere, & Arcadio ſua ferre oracula Pani.
Regia ſenſa videt divino lumine plena
Virgo, majoréſque ferens à Numine vires
Urget opus Martis. Quare mandata revolvens
Ætheris, ac animo perſtans, nova bella repoſcit,
Séque armis authoratam, regníque ſaluti,
A Superis miſſam ſcito ſermone revolvit.
Utque fidem tribuat dictis; hæc munia Cælis
Eſſe ſibi commiſſa refert; quêis Celta quietis
Otia, & haud dubiam poſſit ſperare ſalutem.
Aureliam primùm vaſtâ obſidione Britanni
Uſque coronatam, pulſis procul hoſtibus, ire
Aſſertum libertati ſuprema Tonantis
Jura volunt. Exinde jubent depellere regni
Sedibus infeſtos Britonum Mavorte furores,
Et quidquid ſtrepero fremit hac tellure Gradivo:
Ut tandem ſervile jugum, quod Principis urget
Aureliæ fortem, minitantibus eximat armis;

Ac Carolum ſolo duntaxat nomine Regem,
Auguſtis reddat, Cælo auxiliante, coronis.
Hæc ea ſunt, inquit, quæ rure creata Napæa,
Præcipiente DEO, Rhodani perſolvet in oris.
Nè dubitâ Princeps, victricia ſigna feremus
Numinis auxilio; cuî ſemper lilia curæ,
Quíque jubet regni per me curare ſalutem.
Hæc ubi fata fuit, meliori lumine tactus
Carolomanniades, Cæli portenta vereri,
Ac propiùs veris Galateæ accedere dictis,
Ancipitem removere fidem, ſolióque benignum
Propitiare ſibi Numen, tacitáſque referre,
Ut par eſt, grates. Sed nè quid provida forſan
Sceptra minus rectum ſtatuant, temeróque ferantur
Conſilio; juſtâ Galateam lance probari
Præcipit: an Numen, vel ſtyx hæc auſa miniſtret,
Nil prudens ſancit ſceptrum, ni conſulat æqui
Ordinem; ut in veræ deſcendat momina cauſæ.
Hæc ubi ſollicitâ perpendit Celticus urnâ
Æacus, ac Minos, veríque per omnia luſtrat
Exercétque forum: Cælo didiciſſe magiſtro
Plurima cognoſcit pulchrâ virtute Joannam.
Et verò multâ floret virtute virago.
Virginitatis honos roſeo ſe prodit in ore.
Innocuam vox ipſa probat. Non Daulia cornix,
Architæque ſedent ſacris crepitacula labris:
Non ampullatur; non ſeſquipedalia jactat
Verba, quibus Superûm, tumido ſermone, favores
Explicet in faſtum. Quid fando cætera promam?
Simplicitas oculos, ſibi grata modeſtia vultum
Vendicat: in ciliis pudor expers criminis errat:
Prodigium toto loquitur, promítque Napæa
Corpore, & inſontem ſe virgo vivere vitam
Sátque, ſupérque probat. Non ullas, Arbiter, Orci
Hic latitare ſtrophas, Æœáque carmina nulla
Comperit; at dextram Divûm, viréſque Tonantis

In ſexu fragili claris videt argumentis.
Sic vilem interdum divina Potentia ſortem
Tollit ad eximios, uſus velut edocet, auſus,
Ingentéſque animos tribuit. Quandoque columbâ
Reginas fugat orbe aquilas, roſtróque minaces
Diſſipat accipitres. Per ovilia ſæpe luporum
Debellat rabiem. Leporis formidine, torvas
Marmariæ, Libyæque feras conſternat, agítque
In nemorum latebras, teneræque in voce puellæ
Sæpe gigantæas proſternunt Numina moles.
Teſtor Idumæâ ſuſam de ſtirpe Jahelem:
Teſtor victricem, truncato vertice Martis
Aſſyrii, Judith, Deboras, ac gentis Ediſſæ
Lumen, & innumerum, quod prædicat orbis uterque,
Infirmi ſexûs agmen; cuî maſcula Numen
Pectora, & impavidas tribuerunt ſidera vires.
Ecquis erit, parili, qui jam virtute Joannam
Inſtructam eſſe neget? Cur non ſuperare Britannos,
Ingentéſque queat victrix diſſlare cohortes,
Si jubeat Cælum? Nemo inficiabitur. Ergo
Hæc Galatea poteſt tumidum proſternere robur
Brutiadûm; quod non quamvis mavortia poſſunt
Pectora Francigenûm, nec fors Tyrinthius heros.
Hoc inclinatus rationis pondere Princeps
Liliger, agreſtem jubet arma capeſſere dextram,
Belligeróque inſons veſtiri corpus amictu.
Illico virgineum caput ære nitente refulget
Caſſidis, & tremulæ fluitant in vertice criſtæ,
Auriſero undantes cono. Jam ferrea ſquamis
Pectus veſtis arat, Siculis exculta caminis,
Atque opibus perfuſa Tagi, obrizóque trilici
Incruſtata chlamys. Gemmatâ grandine ſuras
Includit muliebre genus, ſubtegmina crurum
Ærea; tota auro, ferróque induta virago,
In Martis tranſit ſimulacrum, pulchra videri.
Ferreus umbo manum miro fulgore coruſcans

Occu-

Occupat; ut Britonum excipiat ſinè vulnere telum.
At lateri non enſis adeſt, quo fulminet hoſtis
Agmina, quóve metat tumidas Mavorte phalangas.
Unde jubet Princeps, ſtellatum jaſpide fulvâ
Accingi lateri chalybem; quo pectora rumpat
Brutiadûm, & vaſtas agat inter prælia ſtrages
Pentheſilæa Araris. Sed martia virgo machæram
Reſpuit illuſtrem gemmis, aliámque requirit;
Quâ metat immenſas hoſtili jugere meſſes.
Fortè ſepulchrali latitabat marmore, longo
Ætatum ſpatio, ſcabrum rubigine ferrum;
Quo Vaſco quondam generoſo ſanguine cretus,
Uſus erat belli ſocio; dum plurima Franci
Prælia commisère Duces. Hoc, Numinis acta
Impete, virgo petit, ruiturum in fata Britanni,
Efflictímque rogat, laterique accingier urget
Nec mora: corroſum carie rubiginis enſem
Effodiunt veteri tumulo famulantia Regi
Munera, & in lucem revocant; quem tegmina condunt
Bucera; ſed nullo ſervorum robore, nullâ
Arte revellanda. Hunc lævo Mavortis alumna
Aſſociat lateri; quem balteus armiger aptè
Excipit, ac vivos jam rurſum protegit artus.
Vix capulo admovit dextram (portenta!) repentè
Exſolvit corio, facilique manu elicit enſem.
Et cêu Lemniacis ferri decocta caminis
Scoria, ſplendorem recipit, claróque nitore
Emicat: haud aliter, terſâ ferrugine, fulget
Mucro vetus caſtis manibus, lucémque propinat
Horrorémque oculis. Hoc belli inſtructa paratu,
Præficitur pubi Martis, millenáque cenſet
Pectora; quêis Britonas invadat ſtrenua turmas,
Chiliade hac acies rumpet, cuneóſque Gradivi.
At quò bella cadant felici rebus in arctis
Omine, & auſpiciis Superûm; mavortia mandat
Signa ter auguſto decorari nomine JESU.

Subſidio hoc armata DEI, ſanctóque furore
Percita, continuo fertur Mavorte Camilla,
Inque triumphales jam provolat enthea lauros.
Forſan Brutiadæ denſâ incluſêre coronâ,
Obſidióque premunt Aureli mœnia, & urbi
Accedunt propiùs, ſtringúntque, urgéntque tuentes
Oſtia, & arctatos multâ formidine cives
Complent, qui ſe ſe jam dedere fortè parabant:
Et verò hoſtili ceſſiſſent tecta furori;
Auxiliatricem nî virgo martia dextram
Suppetiáſque armis, Cælo mandante, tuliſſet.
Sed quæ bella parat? Quæ Marſpiter ipſe ſtupeſcat.
Protinus illa petit turgentia caſtra Britanni,
Totáque in oppoſitas cum Franco milite turmas
Irruit, ùt torrens auctus glacialibus undis
Per ſata, pérque vias rapitur. Tandémque profuſo
Sanguine Brutiadûm, per tela minantia, pérque
Denſatos Martis cuneos, irrumpit in urbis
Pergama Celtarum Tomyris, civíque ſalutis
Munera depórtat, robúrque, animóſque miniſtrat,
Et jubet inflatos Britonum ridere furores.
Hic pudor adverſas acies, quas certa triumphi
Jam ſpes lactârat, quíque erexêre trophæa
Mente, probrum inceſſit. Nam vinci à Marte puellæ,
Dedecus eſt claræ genti; quam pulchra virorum
Gloria, & eximiæ decorânt præconia famæ.
Quare Brutiadæ ſævas flammantur in iras,
Ultricéſque faces jactant, urbíque minantur
Excidium, certámque volunt inferre ruinam;
Nî perſonatum mox extra pergama Martem
In nova bella parent, ſiſtántque, ùt fama ferebat,
Non jam Threjicio conjunctam ſtirpe Gradivo,
At Ligeris Bellonam. Hæc ſiſtitur. Imò ſuopte
Pondere in arma ruit, lectáque cohorte Garumnæ,
Sæpius in tumidos erumpit mœnibus hoſtes.
O quantas edit ſtrages, ac funera denſat!

Hoc

Hoc ſemper Galatea refert victricia bello
Signa, & devictis felici Marte Britannis,
Cogit ad infamem perterrita caſtra ſalutem,
Obſidióque urbem ſolvit. Sic freta Tonantis
Robore, jam victrix Britonum, per pluria belli
Munia, in oppoſitas Gradivi fulmine turmas
Haud paucis fertur vicibus, Cælíſque trophæa
Erigit, ac Celtis. Hoc pacto victa probroſè
Anglia, in gelidas vertit ſua ſigna paludes,
Atque ſuperfuſis opprobria diluit undis.
Jam nón liligeris Caledon ſe jactat in oris,
Alma quies pacis, niveis jam ſceptra reviſit
Francigenûm bigis. Non vaſtat regna Gradivi
Ira, nec ulla ſtrepunt Rhodano jam claſſica Martis.
Atque ità belligeri concludens oſtia Jani
Hippolyte, decies ſenas cum mœnibus arces
Reſtituit ſolio, totáque vigere Garumnâ,
Ac florere facit tranquillam pacis olivam.
Tantum partheniæ poſſunt cum ſidere dextræ.
Eja triumphales jam virgo ſuſcipe lauros;
Quas tibi non tellus, ſed Cæli porrigit ora.
Jam tibi peltigeræ cedant ſua jura puellæ:
Dum te non vano firmavit robore Numen;
Quo jam lapſurum ſtabilires fœmina regnum.
Sed cuî tot virtus, ac gloria Martis, honores
Daphnidos impoſuit; magnus cæli Induperator
Deſtinat æthereum lauris ſuperaddere ſertum.
Forſitan opprobrio nuper comitante Britannis
Obruta, bellicrepas rurſum conſurgit in iras,
Ac grege Mavortis collecto, animíſque reſumptis,
In nova bella fremit. Stat probrum vindice ferro
Tergere, & ultrices de Franco ſumere pœnas.
Quare in conſpectu Celtarum, multa inopinè
Caſtra locans Caledon, claram ſævâ obſidet urbem
Armorum furiâ, ſubitóque timore coarctat
Aurelî indigenam. Hunc formidine ſolvit Amazon

Galli-

Gallica, & impavidis defendere viribus urbem
Præcipit, Anglorúmque minas depellere telis.
Utque animos daret obſeſſis, erumpere ſæpe
Mœnibus, armatóque globo ſtipata virorum,
Innumeras patrare neces. Prô! quanta cruoris
Flumina liligeris fœdè volvuntur arenis.
Dum ſic Pegaſeo non rarò excurrit in hoſtem
Alite, terribilis genti, funditque Gradivi
Agmina: cornipede ingentem faciente ruinam,
Volvitur in præceps, effuſóſque implicat artus,
Et chlamydem alipedi. Vah! tanti gloria Martis
In probrum recidit. Sed cùm ſe tollere terris
Strata nequit, ſpolium Britoni captiva virago
Cedit, jam ejuſdem riſus, fletúſque Garumnæ.
Nè verò pedibus quærat fortaſſe ſalutem,
Illudátve ſtrophâ Mavortis fortè Britannos:
Continuò cruri pedicas, collóque numellas
Aptant Brutiadæ, & manibus poſt terga revinctis,
More triumphali ducunt per caſtra Joannam.
Et cêu Francigenûm fortunam læta teneret
Anglia, feſtivos circumfert undique plauſus.
Non, debellatis Romanus victor Achivis,
In pariles agitur plauſus, feſtóque triumphat
Jubilo: ut edomito Caledonia Marte puellæ
Geſtit, & exultans animis ſua gaudia promit.
At verò in gemitus, & acerbos Gallia planctus
Solvitur, ac totas lacrymis permittit habenas,
Amiſſúmque dolet non uno teſte levamen.
O quæ fata premunt Ararim! Prô ſortis iniquæ
Alea! Quàm infauſto jam volvitur axe Garumna!
O dolor! O lacrymæ! Deflenda cruore ruina!
Non ità germanum Clymeneïa filia caſum
Flevit; cùm patrios Hyperionis orbe jugales
Inflexit temerè Phaëton: ùt Francia fortem
Proſequitur merito luctu, queſtúque Joannæ.
At mea prociduam lacrymarum fonte Camillam
Muſa

Muſa ſequi renuit. Cur imbres luminis addat
Illi; quæ magno conſurgit in æthera caſu?
Non cadet hæc virtus Superûm fundamine nixa,
Nec valet hanc ullus proſternere turbo furoris,
Nulláque de ſtygiis Alecto excita cavernis,
Tænariúſque labor poterit pietatis avitæ,
Virtutíſque movere gradu. Mens neſcia flecti,
Propoſitíque tenax in recti culmine ſtabit.
At quid Brutiadæ? Tenebroſo carceris antro
Innocuam claudunt, multóque ſatellite cingunt
Oſtia; nè rigidis excedat ſubdola clauſtris,
Atque ſuas repetat ſedes, ſumptóque vigore
Priſtino, in exoſos ſe fortiùs urgeat Anglos.
Interea regni Proceres, Patrúmque ſenatus
Cogitur; ut vitæ ſeriem, commiſſáque diſcat
Crimina, caſtigétque dolos, ac damna Britannis
Illata, & meritas ſumat de virgine pœnas.
Excutit innocuam perversâ lance puellam
Cognitor injuſtus. Quin fingit crimina Minos,
Circæa de ſtirpe ſatam, vel Colchide fuſam
Autumat, & ſtygiis devotam fœdere ſceptris
Aſſerit, atque malas malus Æacus opprobrat artes.
Ecquid agit virgo tot iniquis ſepta chelydris;
Quos amor, ac ſtudium Themidos non ampliùs urget,
Præventos odii flammâ? Quæ verba reponit
Corruptæ legum trutinæ, ſibi conſcia vitæ
Jugiter inſontis? Quâ ſe tutabitur arte?
Si linguam virtute premat, rea criminis eſſe
Obtrectante foro dicetur pura virago.
Si probet innocuam facundo chromate vitam:
Surgent haud pauci teſtes; quos gratia Regis
Occupat, & vafrâ clamabunt arte nocentem;
Theſalicum objicient carmen, Ditíſque miniſtram
Omnes unanimi balatrones voce crepabunt.
At nè probra fides Latii, néve inclyta virtus
Dedecus accipiat, pro ſe vel talia fatur.

Bru-

Brutiadûm lecti Proceres, quêis credita Cælum
Jura fori tribuit; quos æqui Judicis urna,
Arbitriúmque decet. Veſtrum mea facta tribunal
Intrepido ſubeunt vultu. Si notio veri
Excutienda venit; nullius criminis eſſe
Me ſcitote ream. Nihil in me rector Averni
Juris habet: nec nos Ææis artibus, ulla
Imbuit aut Circe, vel Colchide prodita Baucis.
Nam quæ prima bibi materno dogmata lacte,
Jugiter illa ſequar, vitam deferre parata
Aſtris, ſi jubeant: chalybis per fulmina, pérque
Flammivomos abitura rogos. Sed forſan avetis,
Aſtreâ dictante, mei pernôſſe vigoris
Cauſam, Juſtitiæ myſtæ? Non ludo Pelaſgâ
Arte, DEUM teſtor. Vires mihi Martis, ab alto
Gratia ſuffecit Divûm, juſsítque tueri
Jam propè caſurum Regis de vertice ſertum.
Atque, ut nympha fuit divino Numine plena,
Conſciáque arcani Superûm, vatéſque futuri:
Plurima fatidico pronuntiat ore Sibylla;
Quæ regnum, quæ præſentes funeſta manerent
Fata, aperit, trepidáque implet formidine juris
Arbitrum, & in varios verſat Prætoria ſenſus.
Et quamquàm innocuam nemo non jure puellam
Cenſeat, ac Cælis miſſam, quæ ſceptra Garumnæ
Erigeret, ruptúmque Moſæ ſarciret honorem:
Attamen aut Ebori metuens, quod fortè virago
Eriperet Britoni: aut formidans Principis iras
Quæſitor reprobus; nigrum præfigere theta
Inſonti ſtatuit, fœdæque addicere morti.
Jus crebrò Regi, non legi addicitur. Æquum
Gratia pervertit ſolii, vel dona metalli.
Quare ſed feralem jubet illico Præſes iniquus
Ire pyram, nymphámque ſuas exſolvere pœnas.
Ducitur: aut potiùs raptatur criminis inſons,
Infuláque imprimitur capiti; quæ plurima probri
Nomi-

Nomina ſculpta gerit, totâ applaudente Britanni,
Sæpius edomitâ. Patrum, matrúmque coronâ
Cingitur, atque acri laceratur dente cavilli
Virginitatis honos; quam labes nulla Diones
Commaculat. Tandem funeſtæ ſiſtitur aræ,
Victima Juſtitiæ magno caſura Tonanti.
Hæc probra invicto contemnit robore virgo.
Et quo virtutem Mavortis protulit auſu;
Hoc ſannas tolerat. Non probris probra refundit;
Nec petit ultrices ab juſto ſidere pœnas.
Maxima virtutis laus eſt, deponere ſævum
Vindictæ genium, nec ab aſtris poſcere juſtam
Quantumvis Nemeſim; quæ crimen plectat iniquum.
Jámque pyram aſcendit (prô Muſa timore labaſcit!)
Urbe ſitam mediâ, nullo pallore profeſſa
Corde latêre metum. Conſcendit, & oſcula mille
In Cruce Soteri libat, lacrymáſque profundit,
Quas Cæli protrudit amor, Latiámque fatetur
Salvificámque Fidem. Sed nè Galatea cieret
Spectanti luctum populo; ſi fortè diſertam
Funderet ore Hyblam; Quæſitor præcipit altas
Subdere continuò flammas. Has illico dextra
Admovet; & vaſtos per tædas ſuſcitat ignes
Undique; qui rapidis amplexibus omnia ſtringunt,
Corripiúntque artus, nigróque volumine cingunt.
Ah citò funde tuas Moſa, Sequana, Matrona lymphas.
Huc Rhodani celerent, Araris, Ligeríſque fluenta.
O non ſegneſcat Scaldis, torpénſque Garumna
Ferre recuſet opem. Veſtris citò Najades urnis
Frangite Mulciberum. Sic gloria veſtra perennis
Liligero ſtabit regno, placidíſque natabit
Pacis oliva vadis. Aſt irrita vota profundo.
Flammea Vulcani rabies in buſta reſolvit,
Ac cineres corpus. Sed nullâ labe notatus
Criminis, in ſuperas ſe tollit ſpiritus oras,
Et velut Aſſyriis redolenti pulvere nidis

Ales conſurgit Pharius: ſic caſta virago,
E cinere, æthereos ſe candida librat in orbes,
Emeritæ virtuti æquum captura tributum.
Corpore conſumpto flammis, (mirabile dictu!)
Dum tortor verſat fortaſſe rutabula buſto:
Ecce tibi vegetum, vivénſque, & non violatum
Mulciberi ore, elucet cor. Id concita prêndit
Dextera carnificis, populóque interritus ante
Lumina proponit, tuſsitque hanc pectore vocem:
Inſontem letho dedimus. Nec vana locutum,
Supremum fertur Latii firmâſſe tribunal,
Atque alii expertem culpæ aſſeruêre Joannam.
Vive triumphato ter felix fœmina mundo
Laurigeros inter Proceres, Martíſque beati
Agmina, & hoſtiles, Cælo aſpirante, furores
Comprime, longævámque fave per ſæcula pacem.

BELLA
Amazonum Bohemicarum.

AB obitu Lybuſſæ Principis, quæ ditiones Bohemiæ non ſinè laude prudentiæ gubernârat; Wlaſta, aliæque majoris notæ virgines, ludibrio ſe expoſitas videntes apud viros, jam capite virili plaudentes, iniquo animo ferunt jacta identidem in ſe probra. Hæc ut vindiciis dilueret Wlaſta; tempore opportuno, ſocias ad montem virore lætum, animi relaxandi gratiâ, deducit, factáque ad eas prolixâ oratione, anſam ultionis adverſùs viros ſubminiſtrat, regníque obtinendi cupidine accendit. Puellæ in ſeditionem ſuopte genio pronæ in Wlaſtæ verba jurant, eáque Duce opimum prædium, & à re familiari inſtructiſſimum, armis obruunt, loci Dynaſtâ cum numeroſa familia immaniter contrucidato. Hoc inſolens facinus accipiens Dux Bohemorum Przemislaus, internuntium ad Wlaſtam ablegat, eámque ad opiparas de more gentis epulas invitat, auſus ejus temerarios ad officium revocaturus. At ferox Amazon opprobrium factura Principi, naribus, & labris mutilum remittit Oratorem. Factum hoc immane, legíque gentium repugnans non inpu-

ne tranſiturum Wlaſtæ Dux ſignificat. At illa nuntium riſu, & cavillis excipit. Ut verò Principem, totámque regionem ſuo adjiceret dominatui, novum molimen comminiſcitur. Colligit de rure, ac compitis deditas liberiori vitæ puellas, earúmque operâ in prærupto monte caſtrum erigit munitiſſimum; ex quo frequentes faciens excurſiones, magnam edit ſtragem Bohemorum. Hanc truculentam puellarum tyrannidem domiturus Princeps, verba ad populum facit, expoſito rei præſentis diſcrimine, ſed in caſſum. Cùm verò alias ſuper alias cædes accumulant furiæ; civis jam extrema metuens, ſupplex Ducem accedit, & ſuppetias adverſùs inteſtinam hoſtem orat. Reponit Dux, brevì adfore tempus ultionem de crudeli audacia ſumendi. At moræ impatientes Bohemi, ipſi ſibi caput belli deligunt; caſtrum obſidio cingunt; ſed funeſto eventu: plerique enim ab erumpentibus Bacchis ſunt interfecti. Sævitiem Amazonum indies magis graſſantem fracturus per aſtum Przemiſlaus; petit à Wlaſta unam aliquam à conſiliis mittat; quâ cum, jam curis, & ſenio confectus, de ceſſione juris ſui tranſigat. Wlaſta ambitione tumida, ablegat quinquaginta validiores puellas, regni inſignia de manu Principis ſuſcepturas. Lauto eas accipit convivio Princeps, nihílque minùs quàm fraudem opi-

opinantes, per evocatos è latibulis armatos, jubet enecari. Cladem hanc iniquiſſimo ferens animo Wlaſta; ultionē noctu, diúque machinatur. Fortè Ctiradus rerum uſu præditus, ad componendas, geminos inter Dynaſtas, de rure controverſias, peregre à Duce ablegatur. Devenit in rei cognitionem per exploratrices ſuas Wlaſta, continuóque militares expedit copias, dato eis negotio, Ctiradum, & viæ comites interemptos irent. Morem gerunt è veſtigio puellæ, aſtúque virum nobilem, & ſocios circumveniunt. Erat de eorum cenſu Ṣarca nomine, admodùm liberali facie, ſed animo maligno, & ad omne ſcelus comparato. Hanc in nemore manibus, ac pedibus vinctam deponunt, additâ ei ponè tubulâ venatoriâ, & vaſculo promulſide pleno. Ipſæ haud procul in inſidiis deliteſcunt. Interea Ctiradus nemus ſubiens, conſpicatur illigatam vinculis miræ pulchritudinis puellam. Accedit, malíque cauſam ſcitatur. Illa in prædatrices manus infelicitatem ſuam ſcitè detorquens, fidem à viro impetrat nexibus eam exſolvente. Sarca in grati animi ſignificationem, Aſſertori ſuo medicatum propinat vaſculum, aliàs progenitori ſuo, ùt confingit, deferendum. Dein tubulam, dilaudato ejus ſono, porrigit Ctirado; qui eam ſpiritu, ac voce animans, latentes evocat inſidias;

à quibus viæ comites internecioni dantur ; Ctiradus verò conſtrictus vinculis, ad caſtrum puellarum ignominiosè raptatur. Die poſtero Wlaſta radiis rotæ implecti jubet virum antiquæ nobilitatis, funeſtum datura ſpectaculum Przemislao. Ingemuit ſuper miſerando Ctiradi fato Princeps, convocatíſque in ultionem Bohemiæ armis, caſtrum obſidione coronat, à quo, fraudis uſus conſilio, ſemel atque iterum repulſam ſimulatè patitur. Amazones formidine Bohemos duci autumantes, eruptionem ſinè ordine faciunt, eóſque diro furore inſequuntur. At illi converſi ad arma, acre prælium cum ſequiori ſexu committunt, Wlaſtámque, ac ſocias ad unam omnes vitâ exturbant, nihil de Amazonibus, nisì funeſtam memoriam relinquentes. *Æneas Sylvius, & Hagekus ad annum 736. & ſequentes.*

Peltigeras graviore canet Muſa ære puellas
Thermodontiacis pariles ; aut fortè relatis
Non uno, cêu fama refert, Mavorte triumphis,
Majores ipſis, quas Pentheſilæa catervis
Duxit ad impavidam Bellonæ ſæpe palæſtram.
Has dabit in numeros Andino chromate clima
Cechiæ, in heroas non ſegnis patria mentes,
Atque Lacænarum genitrix, mundóque probabit
Gradivi genus Hercyniis quoque creſcere ſylvis.
Quare age Calliope, ſcitáſque in bella Camillas
Albicolûm conclude metro, quod Cyrrha miniſtrat;
Atque Aganippæis propinat Phœbus ab undis.
Ut verò heroo procedas ritè cothurno ;

Expete ab intrepidis nervos, animúmque Lacænis.
Forſan naturæ perſolvit jure tributum
(Ut nullis unquam ſunt fata benigna coronis)
Gloria Cechiacæ gentis, columénque Lybuſſa,
In Themidos jurata forum, Aſtreæque ſacerdos,
Cuíque ſuum tribuens. At poſtquàm lege ſeverâ
Atropos, & Lacheſis, Clotúſque acceſſit avitis
Majorum tumulis, eboríſque reliquit honores,
Ac conſignavit, tabulâ teſtante, marito
Regnorum faſces, cidarímque, oſtrúmque Ducale
Rurſus ad illuſtrem miſiſſet jure virorum
Sortem; quæ primas ſibi vendicat ordine partes:
Cùm facies rerum mutari, Albíque novari
Omnia, & in veterem ſe ſe traducere formam
Ordo gubernandi. Jam major ſurgere Cechis
Fama viris, laudíſque decus, meritíque theatra
Nominis, ac celſi conſurgere pegmata honoris.
At verò in ſexum imbellem jam vilior ire
Gloria, & egregiæ præconia cedere famæ.
Quin miſeræ repedare vices, titulíque trophæa
Concidere in probrum, nullis delebile forſan
Luſtris, æternâ, fato vertente, ruinâ
Nominis, ac decoris, cuî fœmina ſemper adhæret.
Hoc ubi non uno pervidit lumine turgens
Æolis, Evmenidúmque ſoror, Ditíſque Camilla
Wlaſta, nurus Cechi, genus alto ſanguine ducens:
In mœſtos agitur ſenſus, ac triſte ſub imo
Pectore vulnus alit. Nemo illi adferre malagma
Arte Machaoniâ valeat, niſi laude perungat
Ulcera ludibrii, fomentáque mittat honoris;
Queis læſæ per probra ſibi redduntur, & ævum
Producunt Phœdræ. Quare opportuna requirens
Pharmaca conſoſſæ Cechûm Paſipheïa famæ:
Per variam mentem conſum, curáſque volutat,
Diſquirítque animo, quâ ſe ratione priori
Gloriæ, & emeritæ cum multa virgine forti

Reſtituat, ſoliíque ſibi deſponſet honores
Altera Dux Albis. Non tali fluctuat æſtu,
Hippotadis valido Tethys concuſſa tridente,
Volvens ambiguas ultrò, citróque procellas:
Quales ſe dubio jactant in pectoris alto
Curarum fluctus, partéſque rotantur in omnes,
Haud certi quò fata ferant, quo littore tutam
Defigant proram. Jam ſpes ſe portubus ampli,
Aſpirante Noto meliori, ſiſtit honoris.
At timor oppoſitis ſpem ludit, & abjicit armis,
Demergítque ſpei mœſto vota anxia fundo,
Enervátque animi robur. Sed rurſus in altum
Spes caput attollit, fidúmque prehendere tentat
Aggerem, & in veterem famæ connititur oram
Porrigere excelſam mentem; quò preſſa reſurgat
Altiùs, ùt victrix ſua brachia ſublevat arbos.
At formido ſpei rurſum obviat, atque profundo
Deprimit elatas tumido cum vertice criſtas,
Ac conclamato maleſvados abjicit auſus
Æquore; ne cordis ſurgat molimen in altum
Gloriæ, & optato figat ſua carbaſa portu.
Ecquid agat trepido toties deluſa labore
Impavido ſpes nixa animo, quo margine dentem
Anchoræ, & appoſitâ puppim defigat arenâ?
Hìc nervos adhibere juvat, quos nulla poteſtas
Unquam auferre ſpei valeat, nec ſæva tyrannis,
Sceptráque convellant. Spes ſemper in ardua tendit,
Atque obices rumpit, quos ponunt jura timoris.
Audendum eſt aliquid. Spes ſæpe triumphat ab hoſte.
Intrepidas factis animas fortuna coronat.
Forſan tempus erat, cum Cechis redditus oris
Titan, formoſum veris revocaverat annum,
Atque Lycaoniam juſſit repedare ſub Arcton
Imperium brumæ, gelidóque recondere canum
Axe caput, rigidáſque Evri decedere pennas,
Omniáque Æoliæ dilabi jura catervæ.

Unde

Unde animam aſpirare novam, vitámque referre
Hercyniæ omniparens Phœbus: jam pingere vernis
Chloridos arva genis; gremio jam educere terræ
Germina; jam viridi nudatum nuper amictu
Inveſtire ſolum, & diffuſas arbore frondes
Luxurioſâ ornare comâ. Jam mittit ab alto,
Aut potiùs vivis argentea ſidera pratis
Evocat, & mirè terram, Florámque venuſtat,
Illicium pariturum oculis, cunctíſque daturam
Senſibus illecebram. Quid quod jam mitius auræ
Ingenium accedit: tepidis jam flatibus arva
Demulcet Zephyrus, tellurique afflat honores,
Quáque ſuo fertur, pennâ rorante, volatu,
Omnia condecorat miro, illuſtrátque colorum
Schemate, & omnigenam de terra prolicit herbam.
Coccineo ſudore roſas, meliore Diones
Imbuit, atque alios hortorum pingit alumnos;
Quos memorare vetat.ſtudium in ſua vota Camænæ
Jam feſtinantis, bellíque theatra canentis.
Hoc indulgentis cæli, terræque favore
Phaſias Hercyniæ in conceptos utitur aſtus.
Quare ut prægnantis molimen cordis adornet,
Ejuſdem mentis ſocias, parilíſque farinæ
Evocat in nutum faciles, morémque gerentes
Illicet ad lætos invitat ruris honores.
Hìc ubi ſat mentem pavit, luménque Bohema
Evryale, in celſum deducit Oreada clivum.
At quid frondoſo, celſóque cacumine montis
Cechica Thyas agit? Quod lætior aſſolet ætas.
Exercet feſtas Latois more choreas,
Conjungénſque manus manibus, cêu gratia nectit
Gratiæ, & invidiam Dryadi motura, procaces
Alternat plantâ ſtrepitus; veſtigia crebrò
Pendula ſuſpendit, pellítque, quatítque ſonorum
Calce ſolum, ac numeros exæquans ſaltibus omnes,
Plaudit, & Ogygias vincit trieteride nymphas.

Verùm ubi jam Phrynem laſſam notat eſſe choreis
Wlaſta: jubet mollem ſe parthenis omnis in herbam
Abjiciat, viridíque quiem de ceſpite captet.
Hæc verò ſtatuæ ritu ſe ſola ſuperbè
Erigit, & ſolidâ firmans ſtatione coloſſum
Corporis, Evboicæ propè ſuppar carmine vati,
Talibus affatur Marobudûm Thyada verbis.
Eja Diis perchara cohors, perchara Deabus
Parthenis, ad lætum collis te vota tulêre
Verticem; ut exultans animo tua gaudia promas;
Quæ coram patriæ barbata effundere gente
Pulchra vetat ratio, ſuppar, majorque virorùm
Excelsâ mentis trutinâ. Vos ipſa Sophiæ
Munera Caſtaliis potârunt ſæpius undis,
Neſtórque eloquii perfudit flumine; plures
Cenſeat ut Muſas orbis, Cechíſque creari
Montibus Aonides nórit. Non ſola Pelaſgûm
Natio Pieriis gaudet, plaudítque Camænis.
Cùm veſtram hæc ſublimis alat Tritonia mentem,
Artéque Palladiâ longo ſinat intervallo
Poſt ſe Grajugenûm Pimpleïdes; nónne videre
De clara mentis vobis conceditur arce:
Quæ nos infeſtent ſævi molimina fati?
Jam regno ceſſit Princeps, matérque Lybuſſa
Moldavidûm, ac (eheu!) ſpes libertatis adempta
Albicolûm nuribus: tumulata eſt ſortis, & amplæ
Conditio famæ; quæ nos de jure manebat
A letho Dominæ. Jam quæ ſententia ſcito
Vertice conſurgit? Quid conſi lemmata dictant:
Quò rurſum veteri nos libertatis honori
Illico reddamur, patriæque capeſſat habenas
Noſtra gubernandi ratio? Quid Pallade fœtum
Pectus in optatam ſvadet deducere metam?
Non vos cæca animi vexat caligo, futuri
Neſcia: præſentem cernit ſapientia ſortem.
Nec fugit illuſtrem mentem, quæ fata ſuperſint,

Quá-

Quâvę Praemiſlaus rabie, jam munere turgens
Principis ardeſcat; quo irarum ferveat æſtu
Maſſagetûm de ſtirpe ſatus, noſtrîque pudendum
Dedecus, ac crimen regni. Jam deſpicit altam
Parthenii decoris laudem: jam ſæva minatur
Funera, & Hercyniam verſat crudeliùs urnam,
Haud meritus qui ſceptra gerat poſt fata Lybuſſæ
Immitis Cechûm Sciron. Hæc notio vobis
A ſuperis quondam venit certiſſima regnis,
Prodroma tot rerum, tot, tantorúmque malorum;
Quæ Phalaris noſtrâ jam latè ſpargit in ora.
Quare jam veſtrum eſt, fidum deducere conſum
Pectore, quid rerum præſens efflagitet ordo:
Ut libertatis nos rurſum mulceat aura,
Ac melior regno facies accedat, & orbe
Fama ferat noſtrum, quod Amazon quærit, honorem.
Si tamen hæc vobis ſors eſſe ferenda videtur:
Nos quoque ferre juvat, parilíque accedere ſorti.
Si tamen eſt veſtræ potior ſententia menti,
Ac libertatis, quod diximus antè, referre
Aurea jura libet nuribus; decreta probare
Cogimur, ùt par eſt, doctíſque accedere votis.
Vix ea verba dedit, cùm ſe ſe protinus infert
Altera, & erectâ viridi de ceſpite mole
Corporis, obtutúque gravi, cêu filia Glauci,
Se circumſpiciens, totámque emenſa coronam
Lumine magnifico, pulchro ſermone reponit
Talia, quæ eloquio muliebris Svada miniſtrat.
Wlaſta Deûm ſoboles, Cecharum gloria, noſtri
Immortale decus generis. Quæ fando dediſti,
Auſoniam ſuperans facundo munere linguam;
Parthenis hæc devota tibi, fidâ aure recepit.
Nîl aliud quæris, nec quicquam mente volutas
Tempeſtivâ aliud, quam libertatis honoræ
Gloriam, & ablatam confeſtim reddere famam
Cechiæ Amazonibus. Laudem tua facta merentur;

Quêis

Queîs ſervile jugum cervice, probrúmque laboras
Demere ; quò noſtræ ſuccreſcat adorea ſorti
Priſtina, libertáſque ſuo ſe flore reviſens,
Rurſum ſe videat vernare, Albíſque triumphet
Climate, ùt elapſo, cêu nôſtis, floruit ævo.
Non tua vota cadent fruſtrando fine, ſpeíque
Irrita ſucceſſu, ſi conſus fortè probatur ;
Quem mihi Divorum, velut autumo, gratia dictat.
Nónne Przemiſlaus viduatus Principe nuper
Conjuge, quæ regni primas de jure tenebat,
Claríque Albicolùm Proceres, omníſque juventæ
Nobilioris honos, ſacræ connubia tædæ
Ardent, jámque thori depoſcunt fœdus inire:
Quò ſua legitimis quondam patrimonia natis
Legali extradant tabulâ, regníque ſaluti
Sufficiant pariles, Cechorum fulcra, nepotes?
Hæc jam vota viros Primates, atque ſupremum
Principis auguſtal curâ prudente remordent.
Quare nè ſocias thalami ſub Sole calentes
Fortè legant alio, jungántque ſibi Amalaſunthas
Dedecus in noſtrum: præſentis flagitat ordo
Temporis, atque ſtatus noſter; quò nuntia mittas
Protinus ad ſolium, de lege jugale paciſcens
Vinculum, & illuſtrem poſcas cum Principe ſortem
Jungere, & Hercyniis jus unà ſcribere terris.
Hæc eadem regni Summati pronuba mittam
Nuntia, & in votis Hymenæi jura ſedere
E famulo ſermone dabo. Jam pondera conſi
Accipe. Partheniæ ſi dextram jungere dextræ
Haud renuant: nobis ſpes libertatis avitæ
Emicat, ac veteres, converſâ ſorte, favores
Divorum redeunt. Et ſic veſtigia famæ
Occipient revocare pedem, celeríque redibit
Gloria noſtra gradu. Si verò vota morentur,
Ac tumido ſpernant faſtu, frontíſque ſuperbo
Nuntia rejiciant cilio, ſocialia tædæ

Jura

Jura aſpernantes: Cechis Themis æqua Camillis
Juſtam ſufficiet cauſam; quâ lege valebunt
Inſimulare reos probri, meritóque furore
Impugnarè viros, ac ferro jura tueri.
Hæc ubi nympha dedit, geminatos edere plauſus
Wlaſta, queis latè vicinis incola teſquis,
Altâ rupe ſedens, reſponſat vocis imago.
Indè altum laudare animum, consíque probare
Ordinem, & à ſupero deductum numine ſenſum.
Hæc quoque Amazoniæ reſponſa placere coronæ
Fatidico inſpirata Deo, mentémque ſtupere
Palladio effuſam gremio, laudúmque trophæa
Erigere in linguæ circo, ſuppárque Minervæ
Dilaudare caput; manibus, pedibúſque ſequelam
Ferre ſalutari conſo. Quis jubila verbis
Explicet à ſenſu, quem Baſſaris enthea fudit?
Non ità Cadmeæ plaudunt per compita matres
Cornibus afflatæ Bromii: cêu Mœnades Albis
Ingenti celebrant lætiſſima gaudia plauſu.
Jámque ſibi veteres rurſum gratantur honores,
Ac fauſtas remeare vices lætatur Amazon
Turgida, & excelſæ nova ſurgere pegmata famæ.
Quare delectas propriâ de ſorte puellas
Ablegare juvat; quas mellea copia fandi
Pieriis æquare choris, aut vincere poſſet
Neſtora, & Oenotriam. Præpoſtera nuntia mittunt
Digna minùs nuribus: ſolenni jungere tædâ
Cechiacis ſe velle viris, quod patrius ordo
Flagitat, ac parilis depoſcit gloria ſtirpis,
In decimum quondam, ac ultrà ventura nepotem.
Nec mora: jam Bude-ſlavka volat; cuî gloria regni
Nomina clara dedit: nec non Uſemilla decoris
Moribus, ac pulchro vultûs ſpectata nitore.
Huîc ſociam ſe ſe jungit Petiſyla, Gradivi
Digna choro, bellóque ferox, ac neſcia vinci.
Accedit validis nuquam non fiſa lacertis

Krav-

Kravka', Lybuſſiacæ non infima gloria terræ.
Hæc ubi bis geminæ præluſtris Mœrides aulæ
Ad notos venêre lares, atque atria tangunt
Principis; Auguſtal pro libertate Bohema
Illius accedunt ævi. Hic Bude-slavka modeſto
Munere, partheniòque thronum de more veretur
Luminibus terræ fixis, atque Attica Svadæ
Mella in labra citans, Hippocrenéſque diſertum
Nectar in eloquium diffundens, talia fari.
Invicte Albicolûm Rector. Tibi Wlaſta ſalutem
Plurimam, & eximiæ de Cecho climate nympæ
Nuntia transmittunt; quêis téque, tuóſque verentur,
Officiíſque colunt, quæ ſubdita jura repoſcunt,
Ac ratio noſtri ſexûs. Si fortè tribunal
Principis, infirmam demandat ſolvere linguam
Parthenis: hæc noſtro tibi munere pulchra referri
Nuntia Wlaſta jubet. Quod virginitatis honoræ
Immortale decus, quæ gratia fulgeat ore
Tyndaridos Cechæ, nullis ceſſura Deabus,
Quíque pudoris honos in noſtra ſorte triumphet,
Non fugit Hercyniæ ſceptrum. Quid cetera verbis
Proſequar; His virtus, cêu charis dona Camillis
Porrigit, ac noſtro claras denuntiat orbe.
Mens erecta ſedet generosâ pectoris arce,
Sæva novercantis fati, fortíſque malignæ
Prælia deſpiciens, nullo diſcrimine Martis
Percellenda unquam. Virtus interrita, prima eſt
Gloria Amazonidûm. Non curat mollia virtus.
Nec quiſquam dubitet potiorem Marte vigere
Pectoribus conſum, cum primo lacte Sophiæ
Infuſum ſtudiis; qui rectè dictet agenda,
Quæ belli, pacíſque vices, omníſque requirit
Communis rerum ſeries. Prudentia poſcit,
Nè quid agas, quod jura vetant, Themidóſque tribunal
Sancitis prohibet. Quid quod nos ſæpe reviſat,
Olim pulſa aliis Aſtrea æquiſſima terris,

Ac

Ac doceat recti normam, juſtique tenorem
Flectere, cêu par eſt: non res librare crumenæ
Aurato ſtrepitu, nec avito pendere cauſas
Sanguine; ſed juſtâ lites moderarier urnâ.
Novit & hæc Manto, quam poſcant publica curam
Commoda; quid virtus mereatur, quódve repoſcant
Pœnarum delicta genus; quid denique Cechûm
Jura petant, regno, nobis, ac omnibus æqua.
At quid ego incaſſum refero præconia laudum,
Quæ ſolio, vulgóque patent? Quem præterit altus
Integritatis honos? Quis relligionis amorem,
Atque Deûm cultus à noſtra ſorte requirat?
Quis? nemo ſanè. Sed quorſum, fortè petetur,
Materiem agglomero laudum? Si nôſſe ſtatera
Principis exoptat: non hæc turgentia promunt
Cornua, & elatæ ſurgentes vertice criſtæ;
At rerum communis amor; quem patrius ordo
Exigit à nobis. Omnes curare ſalutem,
Atque bonum patriæ legali jure tenemur.
Utque mea ad ſolium reverenti munere paucis
Nuntia deponam: mittit ſocialia tædæ
Fœdera, Wlaſta tuæ ſemper devota tiaræ:
Ut ſolii conſors, cêu quondam clara Lybuſſa,
Allevet Imperii pondus, partémque laboris
Forſan Atlantæis imponat fida lacertis.
Hæc ſi vota placent regni opportuna ſaluti;
Wlaſtam reſponſi merito digneris honore
Invicte Albicolûm Princeps; quò nuntia rectâ
Procedant ſerie. Vix hoc demulſerat aures
Principis eloquio, ſeſamóque, Hybláque fluente;
Cùm ſe ſe in ſpeciem ſimulacri fingere Lais
Cechiæ, & immoto vultu reſponſa morari.
Non ſic in rupes abiit Sipyleïa mater.
At quid agit Princeps? Quæ Pyrrhæ verba reponit?
Nulla. Sed accito Conſi melioris alumno,
Prudenti indagat ſtudio; quæ dicta referre

De-

Debeat, importunæ Alci; quêis ludere technis
Has Ithaci neptes; quâ vincere Thayda fraude.
Tandem poſt multas ultrò, citróque recoctas
Conſilii, arbitriíque fabas, hæc nuntia reddit
Suſpenſæ Cechûm Icaridi, referenda ſuperbæ
Mœonidi, atque aliis, quas nutrit Moldava Veis.
Poſtquàm, inquit, nobis fuerit, regníque ſaluti
Viſum, ac Summati, nexu ſociare jugali
Wlaſtam conſortem ſolii, ſceptróque voluntas
Sederit è placitis Hymenæi jura ſubire:
Nec potior ſe ſe tulerit, majórque decôre,
Virtutúmque choro: poterit ſperare maritæ
Vinculum, & in noſtros rectè aſpirare favores.
Dixerat, & multâ Procerum comitante catervâ,
Juſſit ad extremum deducere Chyona limen
Aulæ, ac officii ſimulato more vereri.
Hæc reſponſa meret Glyceris, quæ prima thalaſſum
Inſtruit, atque faces Hymenæo prima miniſtrat.
Sed quid agit Rhodope Cechûm? Quid vera Phrynondæ
Neptis? Pernici, poſtquàm vitare ſequentem
Argi oculum potuit, curſu transmittere campos
Illicet, ac furiâ comitante per arva volare.
Non ſic Volſcorum per rura meare Camilla:
Non Ladas Macedûm, non ſic Scheneïa virgo
Effuſo celerare gradu: vel Perſeos ales
Æthereis ſic ferri oris: cèu otior Evris
Cecha Atalanta volat, conceptam tangere metam
Approperans; quò verba Ducis deponat ad aures
Wlaſtæ, percupido reſponſum corde morantis.
Vix in præcelſum retulit veſtigia clivum
Evchias, ægre animam ducens, ſpiránſque, throníque
Reddita verba refert, totâ pendente coronâ
Phœbadûm ab eloquio Bude-slavkæ: Wlaſta furoris
Accendi flammis; ultrices volvere curas
Pectore, Tiſiphonéſque iras in corda citare,
Ac fremere horrendùm. Jam buxeus ora colorat
Pallor,

Pallor, & expulſo deformat ſanguine malas.
Jam ſe rurſus agunt, revocante furore, rubentes
In ſcenam vultûs ignes, alternáque miſcent
Prælia, & in niveo ſua ducunt bella theatro.
Omnia agit rabies. Dentes ſtridore crepantes
Exerit, infrendétque minis: per labra nigrantes
Evolvunt ſe ſe ſpumanti gurgite fluctus:
Flammas lumen alit jaculantes tela furoris:
Planus frontis honos caperatum ſurgit in arcum:
Pulchra capillorum ſeries, nexúſque comarum
Surgens in cyrrhi ſuggeſtum, atrocibus horret
Setarum jaculis. Prò qualia monſtra furoris!
Nè memorem Diras animi, totóque vagantes
Pectore Baſſarides, ſubdentes ignibus ignes,
Atque novercales augentes jugiter iras
In Ducis interitum. Qualis viduata Libyſtis
Bellua graſſatur catulis, pérque arva furoris
Oeſtro tacta fremit, fertúrque per obvia ſævo
Dente minax, quærítque ſuum implacabilis hoſtem:
Sic furit ad raptum, quem jam captârat honorem
Moldavidûm Alecto. Nec ſe lymphatus Erinnys
Ardor jam potuit mentis ſtatione tenere
Ampliùs, ac ſtrictâ duci rationis habenâ:
Quin ſe ſe in clarum confeſtim lucis apricum
Funderet, ac ſtreperis per rupta ſilentia verbis
Proderet, & fœtâ linguæ de nube vibraret
Fulmina, & irarum tonitru. Non temperat iris
Fœmina, conceptóſque nequit retinere furores.
Sed quid agit Sthenyo furiarum quarta? Quod iræ
Præſefert tandem ſpecimen? Quæ tela furoris
Jactat, & indomiti dat pectoris argumentum?
Hæc ad parthenias verborum fulgura turmas.
Ite ferite, necate, abſumite, tollite ferro
Tollite, quidquid alit barbatæ gentis, & hædi
Progenie effudit, capróque affine noverca
Cechiadûm tellus. Jugulate, ac perdite: nulli

Parcite, ſive regat caulam, sêu dirigat aulam.
Ite, ferite, necate, cruore abſtergite labem
Nominis, & raptam mucrone reducite famam.
Dixerat, aut potiùs furiis agitantibus, ignes
Impulit in voces. Vix enthea verba profudit
Cadmias Albicolûm: celerem cùm protinus alto
Culmine præcipitare gradum veſana furore
Agmina, & in patrias veſtigia flectere ſedes.
Ac velut Ogygiæ ducentes orgia nymphæ
Thebanæque nurus celebrantes feſta Lyæo
Jubila, diſcerptum vaſtos ſparsêre per agros
Penthea, temptorem Bromii, argutóque cavilli
Dente laceſſentem trieterica jura Mimallis:
Haud fecùs hæc læſam reputantes nominis umbram
Mænades, in ſolium, ſtimulante furore, cruentos
Exacuunt ungues, laniare, necare paratæ
Adverſum famæ decori, votíſque tumorem
Principis inviſi. Nunquam non fœmina damnum
Inſtruit, à probri vel paulùm labe notata.
At qualem tacitis Achelois turgida tectis
Deſignat conſum? Quid acerbo corde volutat?
Quámve ſtropham cudit? Quæ verſat fata virorum?
Impia, quæ attonitas percellunt jure Camænas.
Fortè Motolinus Cechæ non ultima terræ
Gloria, dives opum, felici floruit ævo
In paucis ebori charus, populóque verendus.
Hic tutas habitare domos munimine clauſas
Verus Pygmalion delegit, vallis amænæ
Incola; quam placidi fœcundâ aſpergine rivi
In pulchram multo proventu animare ſolebant
Pomonæ patriam, dulcéſque educere fruges.
Hæc quoque lanigeræ ſedes lætiſſima turmæ,
Hædorúmque gregi viridem ſubmittere paſtum
Florenti cythiſo: nec non armenta citare
Bucera, & irriguam pratis vernantibus herbam.
Quid referam obrizi non paucos æris acervos,

Atque

Atque fatiſcentes numeroſis cenſibus arcas,
Innumeráſque alias, quas pleno copia cornu
Effudit gazas? Tum quippe opulentia Cechûm
Mygdoniis par ire plagis, Latióque valebat,
Vincereque immenſos, quos jactat Iberia cenſus,
Nec memorare libet Cereris penuaria, & amplas
Autumni, atque æſtatis opes; quas prodiga tellus,
Ac nunquam ſegnes Panos peperêre labores,
Hac Cræſi patriâ provixit plura beatus
Luſtra Motolinus, vix gnarus, ſæpe favores
Sortis, in oppoſitos tandem migrare furores.
Nulli ſors eadem ſemper. Quod fauſtior adfert
Phoſphorus, id, fatis urgentibus, Heſperus aufert.
Atque hæc Albicolûm Lucullus noxia ſenſit
Munera fortunæ. Nam dum formidine caſſum
Deducit vitæ ſpatium, rebúſque futuris
Proſpicit, & multas ſibi creſcere ſperat ariſtas:
Interea illius ſorti fatalis Enyo
Invigilat, Wlaſtæque furor ſe nocte, diéque
Apparat, in certam Cechûm egreſſura ruinam,
Atque Motolini cædem. Jam prima paratur
Ultio, quam Cecho de Principe ſumere pergit.
Utque animi latebras, furiis urgentibus, orbi
Tandem producat: ſublimia denuò ſcandit
Montium, Avernali turbâ comitante ſororum,
(Ecquid enim nisi ſumma petat ſublata tumore
Æolis) in nocuum, totâ ſtridente coronâ
Jam variis inſtructâ armis, quæ miſit Erinnys,
Deſcenſura animi conſum. Vix area montis,
Chloridos, ac Dryadum nymphæum, Gorgona Cechûm
Accipit; has Wlaſtæ rabies effundere voces.
Invictæ Albicolum Teleſillæ, ac prima Nariſcæ
Gloria telluris, noſtríſque æquanda Deabus
Agmina, Cumææque haud impar turma Sibyllæ.
Non vos, quas alto perfudit lumine Phœbi
Gratia, crudelis fugiunt incommoda fati;

Quæ noſtram exercent ſortem. Jam vivimus (eheu!)
Materies ſannæ, ac infames nominis umbræ,
Opprobrium Hercyniis, ac fœdum dedecus oris,
Abjectæque nurus. Quis nobis munera præſtat
Obſequii, ac meritum tribuit vectigal honoris?
Ecquis nos placido dignatur lumine? Quis non
Devehit in noſtrum plauſtra infamantia ſexum?
Nónne hæc ultrices animos, ac fulmina dextræ
Jure æquo mereant? Quid adhuc torpemus inertes,
Vindictæque faces pigris exſtinguimus undis?
Ergóne barbigeros porrò tolerare tumores
Gloria noſtra velit, nullo reditura ſequentûm
Curriculo ætatum, nî ferri extorſerit ardor?
Ergóne tot noſtris patimur ſuccreſcere damnis
Hædini generis regnum, genióque virorum
Jugiter urgemur ſcitas ſubmittere mentes?
An non excluſæ dominatûs jure, vagamur
Fabula, & immenſo ludibria cedimus orbi?
Ecquid agis generoſa phalanx? Num ſegnia forſan
Otia mente ſedent, Cechóque expellier arvo
Deligis, atque aliis fœdè contemnier oris?
Nónne tuum cuperes, ſi par tibi fortè poteſtas
Adforet, armatis proſternere viribus hoſtem,
Ac famæ revocare decus? Sed multa poteſtas,
Et potior fortaſſe viris tibi porrigit arma;
Quêis raptam valeas ferro tibi reddere famam;
Ergo eſt armatis ſternendus viribus hoſtis,
Nominis, ac famæ Scyron. Nec plura locuta
Mœnas, fulmineam denudans tegmine ſicam,
Irruere in certum parat, acta furoribus, hoſtem.
Hoc ubi jam paribus ſuccenſæ pectora flammis
Irarum obſervant ſociæ: diſtringere teli
Infeſtam pariter rabiem; per inane rotare
Ancipitem, Solis tactam fulgore machæram;
Deſignare neces, jubeat ſi Wlaſta, virorum,
Ac mille exoſis portendere funera Cechis.

Haud

Haud ægre in rabidas conſurgit fœmina Diras;
Prævia ſi quiſquam deducat ſigna furoris.
Tempus erat, feſſum quo jam Pyroënta profundis
Heſperiæ demerſit aquis, bene luminis author
Munere defunctus Titan, ac noctis opacum
Ad terras rediit, tetrâ ferrugine, regnum,
Omniáque involvit tenebris. Cùm noctis amicæ
Conſilio, umbrarúmque fide, cæcíque furoris
Præſidio uſa nurus, cêu Thyas, talia fari.
Eja agite, ordiri jam prælia prima decebit,
Veſtræ, non error ludit, primordia famæ.
Sumite Bellonæ robur, fidáſque Gradivo
Ferte manus, nervóſque animo, dextræque furorem
Indite, & ignavos procul ire jubete pavores.
Ipſa ego Dux belli. Martis diſcrimen adibo
Prima: ſequi lubeat, quò gloria nominis urget.
Nec mora: præcipiti curſu ſe ferre Lacænæ
Montibus, Harpalicémque ſequi mucrone minantem
Funera, & exitium Cechis, ſupremáque fati
Tempora; quò vitæ reddantur munera famæ.
Quales Hippotadis, laxato carceris antro,
Bacchantur fratres, pérque obvia quæque furenti
Turbine graſſantur, pro libertate ruentes
In maria, in terras, ínque ipſas ætheris oras:
Haud ſecùs Evmenides Cechæ, per plana, per altos
Hercyniæ colles, per Floræ regna, citatum
Præcipitant, urgéntque gradum, fremitúque, miníſque
Omnia complentes. At quò lymphata furore
Turba ruit? Quam jam ſibi deſtinat enthea metam?
Jam propè meta patet. Dum quippe illuſtria tangit
Rura Motolini; jubet illico rauca furoris
Chromata compeſcant, ſtreperíſque ſilentia dicant
Motibus armorum. Morem gerit effera quamvìs
Ocypete, atque premit vocem, chalybíſque fragorem.
Tum ſe ſe tacito, ſociâ comitante catervâ,
Wlaſta urgere gradu, celebríſque ſubire mapalis
 Oſtia,

Oſtia, quæ patulis ſtabant propè territa valvis.
Hic jubet armorum crepitus, vocíſque ſonoros
Attolli fremitus, ac per magalia latè
Belliſonos crepitare modos, mandræque timorem
Incutere, ac Dominum, famulóſque in bella citare.
Prô mala fata parat! Mœſtum ſubit atria lethum.
Fortè Motolinus leni jam membra ſopori
Compoſuit, mollíque thoro defuncta labore
Corpora ſubmiſit, nullâ formidine belli
Anxius; ùt regno tum pacis jura vigebant.
Verùm ubi fœmineæ vocis fragor impulit aures:
Deſtituit Dominum Morphêus, oculíſque papaver
Submovet, ac vigiles ſurgunt in pectora curæ,
Infeſtántque animum. Quare relevare ſiniſtrum
Protinus in cubitum trepido jam obſeſſa ſtupore
Tempora vallis herus; ſurrectâ certiùs aure
Excipere inſanos fremitus, hoſtémque putare
E temero ſtrepitu, intempeſtivóque fragore.
Indè levans ſe ſe ſtrato, conſurgit in iras
Injiciens humeris chlamydem, fidámque miniſtri
Præproperè ſuccla mat opem. Venientibus arma
Porrigit, atque animos addens, arcere furores
Præcipit actutum ſubjectis ædibus hoſtis,
Jámque pedem exportat laribus, ſervúmque fideli
Munere ſtipatus, nocturnas pellere certus
Autolyci furias. At, prô! quæ Martis imago
Lumina perſtringit? Quid cernit? Triſtè micantem
Conſpicit armorum rabiem, ſævíſque frementes
Dentibus irarum, ſubmiſſas Phœbades Orci
Sedibus, in cladem. Vix ſe ſe Martis arenâ
Siſtit, in adverſam gladio minitante catervam
Irruiturus amor vitæ; quem proxima iniquo
Ordine fata petunt: cùm ſe ſe plurima Aëllo
Obvia ferre viro, ferrúmque opponere ferro,
Ac conferre manus. Nec ſegnis martius heros
Omnibus àccitis (pudor eſt hic cedere) dextræ

Viri-

Viribus, in temeros ardentiùs irruit auſus
Magnanimo niſu, jámque hanc, jámque abjicit illam
Cadmiadem terræ. Non ſic Agamemnona quondam
Certantem oppoſitis ſtupuit clariſſima turmis
Attica: non Latios ſic admirata Metellos
Auſonia hoſtiles campis agitare cohortes:
Atque Motolinus Cechas Mavorte Camillas
Haud trepido invadit ferro. Verùm inclyta virtus
Pluribus haud ſuppar, tandem ſuccumbere multis
Cogitur, ac ævum rigidis extradere fatis.
Quippe ubi jam feſſas longo certamine vires
Obſervat truculenta nurus: pleno impete Wlaſta
Irruit, atque aliæ furiali Marte puellæ,
Inſontémque necant. Hæc mittit in ilia ferrum:
Iſta evibratum ſubter præcordia telum
Occulit: illa latus capulo tenus inſilit: omnes
Exturbare animam, ſtygiiſque immittere regnis.
Nec ſe barbaries ſolùm in lugubria miſit
Fata Motolini; ſed quidquid in ædibus auras
Vitales carpit, fatis extradit iniqua
Tiſiphone Cechûm. Vah ſæva, cruenta tyrannis!
Poſtquàm nil reliquum laribus, quod dextera ferro
Immani meteret, de viva ſorte maneret
Sacrandum Diti: malè partas occupat ædes,
Ac feſtos ducit, ſociâ plaudente, triumphos.
Non ità deviĉtâ Gradivi plauſit arenâ
Argolica Hippolyte, decus immortale Pelaſgûm:
Non ſic Arſacio Tomyris metuenda tyranno
Geſtiit: aut Latio Teuca imperioſa Quiriti:
Vel toti horribilis formido Ninias orbi:
Cêu jam proſtratis aliquâ de parte Bohemis,
Thyades exultant, plures jam fortè triumphos
Peĉtore adornantes, lauróſque, ac Martis honores.
Sic quandoque nefas ſævum muliebre trophæa
Erigit, atque ſuo feſtivè crimine plaudit.
Hoc ſcelus haud unquam Marobudo climate viſum,

 Fu-

Fuſúmque à molli Pholoë, cùm ſanguine manans
Fama tulit folio: primùm admiratio mentem
Principis invadit; tum multo horrore paventem
Attonat, & tremulos timor anxius occupat artus,
Fortè, eadem à vafro ſexu ſibi fata timentes,
Inſtánſque exitium. Quid enim non fœmina tentet,
Cuî pronum tribuit natura in quælibet auſa
Pectus, & inſtruxit genus iſtud mille nocendi
Artibus, atque ſtrophis? Si vis, ac æqua poteſtas
Accedat conſo, tacito quem pectore cudit;
Nil intentatum Phryne maleſvada relinquit,
Per ſcelus omne ruens. Quare ſe verſat in omnes
Conſilii partes Princeps: quî molliat iras,
Ac nocuos placet ſceptro, populóque furores.
Non ſemper pathico violentia frangitur œſtro,
Ac ferri rabie. Plùs ſæpe urbanior uſus,
Quàm ſæva aſperitas, vel concitus efficit ardor.
Majores flammas interdum ſuſcitat iræ
Flamma, ac inſanas inſana ira evocat iras.
Sed quid agit folium? Quæ conſi lemmata ſumit?
Quêis nimiùm ardentes furiarum attemperet ignes,
Subjectáſque throno reddat, legíque Bohemæ,
Evmenides regni. Quare pro more recepto,
Quem cultæ obſervant aulæ, perſpecta miniſtri
Munia non paucis vario in diſcrimine luſtris,
Ad debellatos truculento Marte penates
Illico delegat. Quò verò nuntia recto
Ordine procedant: verbis à Neſtore fuſis,
Invitare jubet cum toto ſyrmate Wlaſtam,
Ad lautas de more epulas, ſtructúmque paratu
Baſilico luxum; quo fervet ſigma Nariſci
Principis, Auſonio non impar fortè Quiriti.
Nuntius edomitas ſe protinus urget ad ædes,
Alite Pegaſeo vectus, celerátque per arva,
Et Dryadum ſedes. At nè per ſegnia mentem
Otia deducat; ſtudioſis Pallada labris

Advoçat, Oenotriæque favos, quóſque ipſa miniſtrat
Patria Svada modos, quêis rurſum reddat amicam,
Aut ſatiùs morem ſolio de jure ſequentem
Svadelâ referat Wlaſtam, pacíque vacantem.
At quæ labra parat ſermonis perlita melle,
Fortè brevi probro Rhamnuſis pinget iniqua.
Vix ſpectata fides, Evantúm contigit aulam;
Demiſſo penetrale ſubit (nam copia fandi
Ultrò datur) ſtudio. Wlaſtam (prô infamia gentis!)
Poplite lunato veneratur; pronus adorat
Junonem tumidam Albicolûm, multámque ſalutem
A ſolio defert, pulchróque nitore colorans
Verba, Przemislai, Wlaſtæ denuntiat arrham
Gratiæ, & omnigenum, quem mittunt ſceptra, favorem.
Vix bibit exoſi, furioſâ, Principis, aure
Nomen: continuò demandat naribus, atque
Labris, (vah probrum!) nec non mutilarier aure
Spectatam perſæpe fidem, ſolióque probatam.
O! fœdum facinus! quod vix ſpectare virile
Suſtineat lumen. Qui poſſit Muſa tueri?
Sic deformatum monſtroſo ſchemate, rurſus
Ad ſceptrum ablegat, totâ applaudente phalange
Effera Amazonidum, factúmque, ſcelúſque probante.
Perge cruentato Theſêus fidiſſime vultu;
Perge, rubor toto diffuſus corpore, nec non
Triptolemi regno, fidei monimenta relinquit,
Subſcribítque fidem; quam non aboleverit ævum,
Ulláque poſteritas. Dum forſan rura pererrat
Naribus orbatus, monſtróque ſimillimus: agris
Pan fugit, atque Pales, nymphæque horrore cruenti
Tactæ prodigii, ſe poſt carecta recondunt.
Ut verò plenos dumis, atque ilice ſeptos
Decurrit ſaltus: Satyrorum turba cachinnos
Tollere, conſpecto ſinè naſi tubere ſervo,
Atque ſuum quamvìs ſimum, fœdéque repandum
Prêndere cum plauſu, multáque extollere laude.

At poſtquam ad ſolium veſtigia mœſta reflectit;
Attonitus novitate rei, ſceleríſque ſtupore
Percitus Hercyniæ Princeps, triſtíque dolore
Obrutus, in varios deducit pectora ſenſus,
Ultricéſque animo de tanto crimine pœnas
Sumere decernit. Nulli eſt obnoxia culpæ
Ultio, quâ læſum diadema tuetur honorem.
Quare de vili confeſtim ſorte miniſtram
Acclerare jubet, Wlaſtæque hæc nuntia ferre.
Hoc juri adverſum facinus de lege vetari
Gentium, & opprobrium fidei, ſervóque creatum
Cedere in opprobrium Domini. Meritum eſſe piâclum,
Quod Nemeſis quondam plectat, Themidóſque ſtatera,
Penſandúmque malo eſſe malum, quod læſit honorem
Principis, atque aulæ reddit, civíque pudendum.
Rectè equidem Princeps. Injuria quippe Monarchæ
Inflicta, ac labes probri, vel vindice ferro,
Aut flammis abolenda venit. Sic jura repoſcunt.
Sit clemens Rector, ſævus quandoque Machaon.
Quæ molli renuunt ſanari vulnera regni
Pharmaco, ab irato referant medicamina ferro.
Nec vacat à culpæ mulier, pœnæque reatu,
Seditionis amans, fideíque, thronóque rebellis.
At jam legitimi vilis galatea faceſſit
Juſſa Ducis, celeríque gradu, velut altera Jaſis,
Cognita Amazonidum, trepidæ formidinis expers,
Tecta ſubit, ſolíique minas, mandatáque latè
Explicat, ac Wlaſtam complere timore laborans,
Exequitur munus. Sed Pentheſilæa nec uno
Dignari verbo minitantia verba Bohemi
Principis; at ſolùm naſo ſuſpendere ſceptrum,
Atque Przemislai ſalſis mandata cachinnis
Excipere, ac Cecham fœdè aſpernarier aulam.
Jam Galatea redi. Sunt nuntia ritè peracta;
Sed quæ dedecoris duntaxat lucra reportant.
Ex hoc opprobrio ſibi major viſa tumoris

Folle

Folle inflata nurus; quæ vanæ neſcio famæ
Mente theatra ſtruit. Reginam fingit in arce
Pectoris, ipſiúſque ſoror, conſórſque Tonantis
Turgida procedit. Quid quod noctéſque, diéſque
Pervigiles ducit, conſúmque per omnia verſat:
Quî valeat proprio felicia regna lupato
Subjicere, atque viris leges dictare, ſuóque
Ipſum adeò Albicolûm Rectorem ſubdere juri.
At necdum accedit par in fera vota facultas;
Quæ malè conceptam valeat contingere metam.
Magna petit vano conamine caſſa potenti
Robore: nam finis media opportuna requirit.
Quare delectas mittit per compita turmas,
Ac notos regni vicos, multóque oneratas
Gemmarum, ac auri pretio, conſcribere mandans,
Atque autorari ſignis; quas Cechia nutrit
Robore prævalidas Hecales, ruríſque labore
Duratas Glyceres, aliáſque in jurgia ſemper
Ardentes Tomyres; vel quas innata remordet
Gloria Cechiadûm Phædras. Cita juſſa capeſſunt
Agmina, peltigeræque volant per rura puellæ,
Quæque ſuum munus factura è mente Celænûs.
Iſtæ ſe rapiunt, quà ſpectat Cechia Phœbum,
Matutæque domum; celeri ſe ſe impete raptant
Illæ, quà Heſperias Titan proſpectat ad undas;
Hæc ad Parrhaſias ſignis volitantibus oras
Impellunt greſſus: aliæ ſe ferre ſub Auſtri
Sidera; queis medio magè flagrat Cynthius axe,
Omnéſque in munus properant, quò juſſa Bohemæ
Principis actutum faciant. Nec perdit Amazon
Latiùs excurrentem operam, juſſóque laboris
Momine fruſtratur. Reſpondent omnia votis.
Quippe lacertoſas non uno rure puellas
Colligit obrizi tractas fulgore, ſinentes
Sarcula, cum raſtris. Aliæ, quas jugiter ardens
Imperium divexat heræ, exercétque flagrorum

Gran-

Grando, ac tempeſtas; queis ſemper verbere livent
Terga; novercali ſe poſſe tyrannide gaudent
Solvere, libertam manibus, pedibúſque ſequentes,
Agglomerant ſe ſe labaris. Huc convolat omnis
Deterior ſexus; cui chara licentia luxum
Svadet, & in pejus ducit proclivior uſus.
Denique quidquid amat libertæ jura, mereri
Sub Wlaſtæ ſignis, auctoraríque laborat
Excutiens ſervile jugum. Jam quælibet auſus
Neſcio quos animo ſtatuir, fortiſſima jactans
Prælia, & invictam præſefert turgida mentem.
Has auctoratas Marti, frenóque ſolutas
Moldavidûm Tevcas, ducit diffuſa per oras
Candace in obſequium Wlaſtæ, permira daturas
Prodigia in cladem populi, Cechíque Monarchæ
Dedecus immenſum. Jámque omni ex parte Lacænis
Æmula turba volat, Wlaſtam defendere certa.
Non ſic ad nutus Regis mellita volucris
Advolat, ac toto fervens examine, torquet
Spicula, in adverſos fuci ruitura furores:
Ut nova peltatæ properant in jura catervæ,
Reginæ morem geſturæ, quidquid amæno
Juſſerit imperio; modò ſit liberta, ſuúmque
Vivere in arbitrium valeat; quod fœmina ſemper
Optat, & optabit. Poſtquàm numeroſa tribunal
Accedit muliebre phalanx: cùm Wlaſta ſerenum
Induere obtutum, clarúmque in lumina Phœbum
Ducere; tergeminas fronti, cilióque ſorores
Addere, & auguſto vultum illuſtrare favore.
Thaumantin roſeo mundum arridere putares
Ore; vel auricomum Titana aſpergere toto
Lucis honore ſolum. Tandem ſe proripit alto
Harpalice ſolio; charas complectitur ulnis
Ambabus ſocias, diſpertit mille per omnes
Baſia, & ambroſio nullam non ore ſalutat.
Subdita tot luſtris tandem ceſſiſſe lacertis

Pon-

Pondera gratatur. Jam libera jura daturam
In ſe ſe Princeps recipit, ſpondétque favoris
Munera, & illuſtrem poſt rerum nubila ſortem.
Hic tenet attonitas Reginæ gratia Phrynes,
Suſpenſáſque amplus favor, atque benigna novellæ
Principis officii ratio; quam nemo virorum
Hucuſque obtulerat. Quid enim non poſſit amoris
Ilicium à ſolio? Quare muſſare catervæ,
Geſtu, oculíſque loqui; manibus complodere; tandem
Feſtivos efferre ſonos, ac edere plauſus
Lætaríque ſtatu fauſto, Dominámque vereri,
Cuî ancillantur melioris jura favoris.
Dum videt obſequio faciles, fideíque tenaces
Sceptro adſtare nurus, promptáſque in vota cohortes:
Compellare illas Hyblæo Cadmias ore;
Scitari quamvis placidè, quâ clareat arte;
Quóve ævum ſtudio lubeat deducere; quáve
Se ratione velit fidam, gnavámque probare
Principi, in augmentum ſolii, jactíque perennis
Regni incrementum. Nec ſegnior ulla, fateri,
Quod primo cum lacte bibit; quod rure, domóque
Condidicit, propriámque exponere quælibet artem.
Ac ſic in votum factas, ſed tramite longo,
Atque moræ ſpatio laſſas curare phalanges
Corpora demandat, lautæque accumbere cœnæ.
Interea Phœbas ſubiens penetrale, futuris
Proſpicit in commune ſtudens, ac omne malorum,
Quod ſe ferre queat diſcrimen, mentis in æde
Diſcutit, ac trutinat; quî adverſas frangere vires,
Atque viros valeat rigido frenare capiſtro.
Pallade jam fœtum videas turgere cerebrum
Principis elatæ. Tumido quod corde futurum
Concepit facinus, poſt temporis intervallum,
Perbreve, in apricam ſtatuet deducere lucem.
Quippe diu nunquam poſſunt arcana latere
Fœmineo concluſa ſinu, quin lumen Olympi

Actu-

Aſtutum videant. Citiùs ſe flammeus anthrax
Ore tenet licèt invito; quàm fœmina juret
Harpocrati, & cuſum premat alto pectore conſum.
At quæ Phœbæum ſpectabit machina vultum ?
Vix nova lux mundo rediit, clementiùs orbem
Arridente genâ Titanos: neſcia mentem
Jam celare ferox Alecto; protinus alto
Præcipit imperio: Dominam glomerata ſequantur
Agmina peltigerûm, laterique tenaciter adſint,
Inſtructæ vario armorum, fideique paratu,
Sêu facturæ operas, ſive adverſantia Martis
Tela repulſuræ. Tali munimine ſepta,
Scandit Atlantæum, pulſantémque æthera montem,
Ac rigidum ſcopulis. His inſidet alta, virénſque
Dictynnæ ſedes, ac dictat jura comanti
Sylvarum populo ; quem ferri nulla totondit
Hactenus aſperitas. Subter ſe murmure rauco
Moldava devolvit, validáque crepidine fractus,
Cogitur in varios invitus ſerpere flexus.
Poſtquam Phædra tenet ferientem vertice montem
Sidera ; Reginæ, majeſtatiſque ſeverum
Aſſumit cilium. Tum ſummo jure cohorti
Imperitans, varium diſpertit munus in omnes,
Aggreſſura novum molimen corde recuſum
Non uno Phœbi ſpatio, Phœbéſque ſilente
Curriculo expenſum. Jubet ergo robora quaſdam
Cædere, & aëream ferro ſuccindere pinum,
Atque aliam crebris veterem ſuccumbere ſylvam
Ictibus, in molem. Quêis verò crebrior uſus
Obduxit callum, duratis ſæpe laboris
Pondere; præruptas demandat frangere rupes,
Aſſurrecturas jam jam in minitantia Cælis
Mœnia, & Albicolis. Nonnullis præcepit aptam
Materiem calci ſcrupoſo quærere colle,
Cæmentíque genus; quo rupes nexa fideli
Ordine conſiſtat. Poſtquàm ſua munia gnavè

Quæ-

Quælibet exequitur: Regina imitata Philonis
Ac Cteſiphontæas, doctáſque Menecratis artes:
Fundamenta locat muri, quêis fabrica celſi
Aſſurgat caſtri: firmi munimina valli
Ducit, condendíque parat ritè omnia ſepti.
Nec deſunt operæ, trullis, omníque paratu
Ædili inſtructæ; quæ rupes rupibus addant,
Cæmentóque ligent, lentóque bitumine ſtringant
Æternaturam, niſi deſint ſidera, molem.
Necdum unum exactis complevit menſibus annum
Orbita Titanos; cum moles edita colli
Inſidet, atque ipſam faſtigia tollit in æthram,
Irriſura omnes, quos Mavors adferet auſus.
Atque hoc parthenio vocitat de nomine, caſtrum
Virginis, à ſola conſtructum Parthenis arte.
Ante fores ſepti longa excurrebat in amplam
Area planitiem, ferventi in bella cohorti
Hippodromi orcheſtram, circúmque datura Gradivo;
In quo peltigeræ vigeant nova prælia turmæ,
Atque palæſtritûm ludi; quos poſſit Enyo,
Rivalíque oculo Tritonia virgo ſtupere.
Hìc ſe Pegaſeo quævis jactare caballo,
Atque per artifices Adraſtos Ariona gyros
Flectere, Mavortíſque feros cohibere jugales,
Xantúmque Æacidos: laxis volitare lupatis
Alipedum, ac celeres curſu prævertere cervos.
Jam pavidas ſimulare fugas: jam vertere greſſum
Cornipede, ac pulchri ſimulacra ciere Gradivi.
Wlaſta agmen ducit. Cuneis ſe quæque coactis
Jungit, in Odryſios, Dominâ præeunte, furores
Irruitura lubens. Nec ſegnes ducere pernix
Wlaſta moras. Orditur prima umbratile bellum.
Jam definitam ſatagit contingere metam
Pellæo haud impar juveni: protrudere pectus
Paulùm inclinatum; tantiſper flectere pronè
Hippolyte turrita caput, crebrúmque volanti

Sub.

Subdere calcar equo, rectóque, ùt linea ducit,
Ordine, in oppoſitam ſe, more ruentis ab axe
Fulminis in terras, ocyſſima ferre palæſtram.
Jam quoque Threjiciis depromere tela pharetris,
Ac habiles ſinuare arcus, ferróque volante
Inſtruere, atque ipſas non uno vulnere nubes
Rumpere, & in fictas coryti grandine turmas
Lethiferos vibrare ictus, calamíque furores
A fronte, à tergo, partéſque urgere per omnes
Prodroma fatorum perimendis ſpicula Cechis.
Uſque adeò aſſiduâ ſe ſe exercere palæſtrâ
Martis Amazonides, tantóque labore Gradivum
In proprios aptare uſus, pro more prioris
Temporis, ut nullam bellandi cominùs, atque
Eminùs artem ignorârint. Jam cedito vatum
Fabula, peltatis plùs æquo jure puellis
Attribuens; veras dum Cechus protulit axis,
Thermodontiacis potiores Marte, puellas.
Sic bellè inſtructas jugi Mavorte Lacænas
Mittit in exoſos non rarò ſæva Nariſcos
Wlaſta, ac innumeras edit per compita ſtrages.
Quin crebrò exuviis plaudens ex hoſte relatis,
Laurigeris remeat Cechi ad Capitolia ſignis,
Imparibus Mavorte viris, ſempérque ſubactis,
Gentis in opprobrium. Jam ſe non Mempheos oræ,
Atque Semiramiæ jactent ventoſiùs aulæ,
Imperiúmque colo tribuant, regnúmque ſubeſſe
Verticulo plaudant. Nam Cehica clarior orbi
Ninias effulget, ſceptríque capeſſit habenas,
Non amor, at Cecho ſolùm terrórque, timórque.
Poſtquam devictis non uno Marte Bohemis,
Jam firmum inſano capiti diadema ſedere
Wlaſta putat, totâ ſibi ſuffragante coronâ
Parthenii cœtûs: aliud commenta favoris
Augendi magìs, atque magìs, ſtudiíque perennis
In ſe argumentum. Geniali ſigmate lautis

Inſtru-

Inſtructo feſtivè epulis, luxúque Bohêmo
Nobili, in obſequium faciles, ſempérque paratas
Excipit Æeteṣ, pulchróque veretur honore.
Non equidem huc Ganges, Eóſque, aut Perſia mittit,
Vel Sybarita dapes; non hic Trinacria plaudit:
Non peregrina vehunt huc littora, quidquid orexim
Irritare poteſt; ſed quod fœcunda ſuomet
Educit gremio tellus, vel tecta Dianæ
Suppeditant, patriúmque volat per inane, miniſtrat,
Sympoſium Wlaſtæ. Miſſus ſtant ordine longo
Cechiadûm ritu poſiti, invitántque ſororum
Agmina, Amazonidûm deſervitura palato.
Non hìc parthenio libantur fercula more:
Non hìc ſceptra pudor, ſed ſola licentia regnum
Obtinet: ùt multas inter gurguſtia primi
Edocuêre uſus, aut vilior imbuit ædes;
Latrantem placare famem, genióque Celæno
Indulgere ſuo. Sed quæ carcheſia ſiccat
Phaſias, aut quali ſera proluit ora Falerno?
Non placet è Rheni fœcundo colle Lyæus:
Maſſica diſſipiunt: non ridet ſuccus Iberi
Palmatis, aut natus clivo Mareotide Bacchus.
Nulla peregrinæ veniunt huc Cæcuba terræ.
Sola recocta Ceres pingui demerſa fluento
Recreat, in validos abitura viraginis artus.
Zithi dona ſitim relevant, addúntque Lacænis
Cornua, veſanóſque cient per ſigma tumultus.
Tum nova adumbrato confingunt bella Gradivo,
Educúntque acies; miſcent fera prælia, fundunt
Undique ſanguineos concepto vulnere, rivos,
Decernúntque neces animo, inviſóque ruinam
Apparat haud dubiè Thyas temulenta Nariſco.
Nec minùs ampullas jactat trux Wlaſta tumoris,
Fœdáque in exoſos ructat ſarcaſmata Cechos,
Atque omnes animo perimit. Tum buccinat ore
Grandia, & omnigenam ſe nôſſe tenaciter artem

Prædicat, atque ipſam ſibi docto jure Sophiam
Cedere, & Argolicos ſapienti munere vates,
Cecropiúmque decus. Quidquid vel Thuſcus Aruſpex
Interpres Divûm, aut venturi conſcius ævi
Theſtorides callet, vel rerum præſcia Manto:
Hæc ſe nôſſe refert, ac pluria, numine Delphos
Sæpe afflata nurus. Se quippe aſvêſſe Deorum
Afflatu memorat: sêu quos nemoroſa verentur
Limina; sêu curvo prærupta cacumina montis
Poplite dignantur; vel quales Moldava pronis
Fluminibus recolit, tellúſque Bohema celebrat
Indigetes Divos. Quid quod ſe Pœonis arte
Jactat; Apollineæ parilem medicamine dextræ,
Atque Machaoniis jam proxima funera ſuccis
In certum revocare ævum, virtute potenti
Herbarum ſe poſſe refert, omnémque gravatis
Corporibus prohibere luem. Nec deficit illam
Phœmonoës carmen, primo cum lacte receptum
Pectore: Theſalicam Circæis artibus oram,
Colchidáque evincit, Marſis certare parata
Viribus, ac Pſyllis, Nêutris, Choatræque venenis
Suppar, mortifero nocitura quibuslibet auſu.
Non hic Canidiæ fatales Pïeris artes
Decantare velit: nè forſan Theſala tractans
Toxica deficiat, lethúmque per ilia ducat.
Unum duntaxat referat ſtrigis argumentum.
Poſtquàm magnificis veſana ſuperbia finem
Impoſuit verbis: medicata nocentibus herbis
Cymbia, lymphatæ circum omnia ſigmata turbæ
Porrigit Albicolûm Micale. Quæ fortè venenûm
Nectareo miſtum ſucco, Neſsíque cruore
Incantata hauſit carcheſia; combibit unà
Ingentes odii flammas: cane pejus, & angue
Patrem inſectatur, fratríſque in fata furorem
Concipit, ac odio ſequitur genus omne virorum,
Nunquam, venturo poſthac placabilis ævo.

Mul-

Mulcibero citiùs conjunges Tethyos undas :
Antè fidem ratibus promittet Syrtis, & ipſe
Delius Heſperiis rutilum caput efferet oris :
Quàm rurſus veterem cognatis reddat amorem,
Ac fidei monimenta viris Hermundura Mœnas.
Non ſic Etheocles Polynicem ſceptra petentem,
Aut Atrêus ſequitur ſtimulante furore Thyeſtem:
Orchomus haud ità Leucothoàm, vel mater Agave
Penthea ſic furiis vexat: ceu Phaſias Albis
Infremit, in vaſtas, irâ ducente, ruinas
Excelſæ ſtirpis patriæ. Dum fervet Erinnys
In ſævas animata neces, ac fata virorum
Ultima, Circæo per technas ebria phyltro :
Immenſus ſe ſe perculſas clamor ad auras
Tollere Baccharum; Reginæ multa vovere
Sæcula, Tithoníque annos, Pyliíque ſenectam,
Nec non laurigeros de barbato hoſte triumphos,
Jámque ſuam ſpondere manum, viréſque, animóſque
Adverſùs rabidas vel diri Biſtonis iras,
Mavortíſque globos. Iret, quò gloria famæ
Duceret, atque novi diadema vocaret honoris.
Vix ſua Cechiacæ ſacrârunt munera Phœdræ;
Confeſtim pleno Martis ruere agmine, ſepti
Recluſis foribus; percurrere compita; ferro
Conſecrare viros, rabidóque dicare furori,
Vaſtámque Albicolûm per campos fundere ſtragem,
Plures in chalybem acturæ, ſi fata tuliſſent
Necdum extrema viris. Remeabit gloria Cechis.
Hæc ubi non vanis rumoribus accipit aula
Principis, afflictíſque ſtudet ſuccurrere rebus,
Ac tantis obicem, remorámque opponere regni
Cladibus, edicto ſancit: ſe protinus omnes
Subjecti ſceptro Proceres, quóſque ordo tribuni
Præfecit populis, Rectoris ad atria ſiſtant,
Excepturi æquam Cechorum à Principe mentem.
Illico plebs aderit ſolio, regníque Toparchæ.

 Inte-

Interea Princeps, conſo moderante ſtateram,
Exigit, ac ſecum trutinat, quid commoda regni,
Ac patriæ depoſcat amor: quo jura tueri
Ordine fas jubeat. Quare illico climate Cecho
Pellere fœmineum Martem; furiáſque laborat,
Atque ſuam, populíque ſtudet curare ſalutem.
Primus nempe labor capitis, munúſque requirit
Principis, à propriis arcere incommoda membris,
Tutaríque ſuos. Non plaudat Principis alto
Nomine, qui ſe duntaxat, non publica curat.
Dúmque per ancipites verſat præcordia ſenſus;
Turma citata ruit: Proceres ad regia ſe ſe
Limina deportant, facturi juſſa Monarchæ.
Ac cêu Myrmidones ad notos farris acervos,
Anguſto celerant per prata virentia calle:
Haud ſecùs Hercyniæ cives, regníque Dynaſtæ
Tecta Ducis, ſoliúmque petunt. Vix fuſa per aulæ
Limina Cechorum Princeps videt agmina; verbis
Talibus affatur, quæ provida cura miniſtrat.
Magnanimi Proceres Albis, noſtróque fideles
Indigenæ ſceptro. Non vos latet enthea Wlaſtæ
Sævities; quâ regna premit, freníſque ſoluta
Quidlibet audendi ſociarum dira poteſtas,
In noſtras armata neces. Non vana timoris
Oppugnat ſolium ratio, quam cura Regentis
Exhibet hic vobis: jactatum caſibus iri
Sanguineis Cechum; nî providus ordo tiaræ,
Atque laboris onus, quod veſtris jure lacertis
Incubat, à patriis moveat diſcrimina terris.
Quam ſortem fuſo multorum hucuſque cruore
Vidimus; hanc pariter nobis immitia regno
Fata parant. Noſtris cervicibus imminet hoſtis.
Id patrii docuêre Dii. Non fallit imago
Noctis, quàm Morphêus divinior obtulit aulæ,
Dum placidam captare quiem, mollíque locare
Membra thoro domitrix curarum ſvadet, & umbris
Impe-

Imperium noctis Cechorum ſubjicit axem :
Hanc non Cimmerius, ſed ab ipſo ſidere miſſus
Objecit menti Morphêus, pinxítve figuram.
Expreſſam unius ſpeciem, quæ ſceptra laceſſit,
Phaſmate non ludente animum, conſpeximus ante.
Regales adſtare thoros, torvóque tuentem
Lumine, & irato minitantem funera vultu,
Atque propinantem nobis cratera cruoris
Flumine ſtagnantem. Vix hæc ludibria noctis
Accepit Procerum cœtus, plebiſque myrica :
Toto (vah quid agunt ?) commoti ſplene, cachinnos
Tollere, & oblatam per ludum Morpheos umbram
Deridere omnes. Prô ! quæ veſania gentem
Ducit in opprobrium ſolii ? Commenta putantur
Sæpius à genio veri dictata Monarchis.
Nec mora : quà licuit, ſe Principis ædibus omnes
Proripiunt, riſus inter, ſceptríque cavillos,
Atque ſuas repetunt vario cum murmure ſedes,
Regem aſpernantes, nec non fatalia regno
Somnia, & imbellem, cui præſit fœmina, Martem.
Quàm metuo, nè ſe riſus commutet in amplam
Materiem luctûs, lacrymíſque opprobria penſet.
Non ſemper vanis deludere Morphea ſomnis
Rerum uſus docuit. Non rarò prodroma veri
Omina deſignat, vatúmque in munera tranſit.
Quam noctis ſimulacra parent objecta Regenti
Fatorum ſeriem, dabit inſtans temporis ordo ;
Quo cœptam augebit furialis Wlaſta ruinam.
Quippe ubi ſe cives redimitos pacis olivâ
Haud cauti reputant, ac ſpernunt mollia Phrynes
Prælia, & explodunt vani moliminis arma,
Atque ſibi ducunt (quò cæca ſuperbia ducit ?)
Dedecori, imbellem ferro devincere ſexum :
Interea magis, atque magis ſævire furentes
Moldavidûm Evmenides ; Cechos extinguere letho,
Atque virûm immenſas per campos ſpargere ſtrages,

Ac Dryadum replere domos perſæpe cruento
Funere, & opprobrio. Jam ferrea jura ſororum,
Fatáque Cechiacis graſſantur ſæviùs oris.
O quot vernantes primævo flore juventæ
Ferratas ſensêre manus! Quot ſtirpis avitæ
Surculi, & heroum ſanguis fatalibus umbris
Additi, & innocuam cum ſanguine fundere vitam
Debuerant, rigidiſque ævum deponere Parcis.
Idque per haud unam, quam ſtruxit fœmina technam.
Quid quod jam mulier Cecho devincta jugali
Fœdere, in exitium conſortis fata parare
Crebriùs, atque virum vel Marſo auferre aconito,
Atracióque necare ſcypho: vel ſtrata ſopore
Corpora Tœnariis ſicâ transmittere regnis,
Nocte tegente nefas. Cùm verò Cynthius orbi
Puniceos invexit equos; ſe criminis acti
Conſcia in haud dubium conferre Mimallis aſylum,
Atque ſub indomitis Wlaſtæ, Ditiſque merere
Signis, in cædes ſolùm authorata virorum.
Jámque auſu temero nullâ ſe lege teneri
Affirmat Glycere, probriſque, miniſque laceſſit
Jura viri, ridens ſtrictum, excutiénſque lupatum.
Si quiſquam infidam multavit verbere Mœrin;
Victima fatorum cecidit, thalamúmque cruoris
Flumine conſperſit. Jam nullus lædere verbi
Jurgio Avernalem furiam; ſed byſſina ſolùm
Verba dare, ac molli popyſmate Cechiæ Erinnym
Flectere, ſubjectúmque (pudor!) ſe ferre maritæ:
Nè vel per chalybem, vel Colcho miſta veneno
Pocula, in extremam deducat tempora ſortem.
Jam nulla Evrydice, nulla Hypſicratea Bohemum
Clima colit: nulla Alceſtis, vel Laodamia,
Evadnéque ſuum devincit amore maritum.
Sed Procris Cephalo, Periandro fata propinat
Lyſis, & in cædes Lucilla Bohema reſurgit.
Huc regni deduxit amor. Què verò capeſſant

Scep-

Sceptrum, funeſtant crudeli Belides enſe
Devotos fidei thalamos, perdúntque, necántque,
Atque Clytemneſtræ revocant fera ſæcula neptes;
Aut matres alias, quas barbarus edidit orbis.
Unde viri cladem veriti, deducere noctes
In luſtris nemorum, cum brutis vivere vitam
Malle, & fulmineis aprorum dentibus, atque
Indomita urſorum rabie, ſpecubúſque ferarum;
Quàm ſe fœmineis laniandos tradere dextris.
At cùm nec denſis ſylvarum degere ſcenis
Sat tutè liceat, crebro excurrente Gradivo
Wlaſtiadûm, ac tacitas ſæpe excutiente latebras
Pamphagi odorantis ritu, civéſque furori
Sacranti chalybis: plenos formidine lucos
Deſerere extemplò, veteréſque reviſere ſedes.
Verùm cùm propriis rurſum obviat Atropos atra
Ædibus, & certum minitatur barbara lethum;
Indigenæ, quamvis comitante pudore, tribunal
Principis accedunt. Hìc curvo poplite mœſtam
Exponunt rerum ſeriem, multóque rogatu
Suppetias orant adverſùs bella Nariſcis
Noxia, & innumeras, quas edunt undique ſtrages.
Accipit hæc Princeps, tacitúmque in pectore riſum
Prudenti ratione premens, vel talia fari.
Quò ſe veſtra ferunt juſto libramine vota,
Jam dudum poterant felicem cernere metam
Regno opportunam. Potuit ſcintilla Gradivi
In tenui exortu frangi, penitúſque necari;
Nè ſe ſe in vaſtos Martis diſpergeret ignes.
Non ſe plena ſinunt Vulcani jura domari
In latos effuſa rogos. Nemo illico ſternit
Mulciberi furias. Nullus mavortia fundit
Agmina confeſtim. Jam Wlaſtæ ſceptra videatur
Jura favere Deûm patriæ, fortíſque favores.
At nos fata jubent præſentes ferre labores,
Ærumnáſque pati; quas cæli deſtinat ordo.

 Fortè

Fortè brevì noſtras Rhamnuſis gratia ſedes
In votum repetet, Bacchâſque expellere regno
Decernent Superi, Cechiſque reducere pacem.
Interea ſortem juvat exſpectare faventem.
Dixerat. At civi minùs hæc ſententia Regis
Accidit in votum. Nec conſi clara meretur
Argumenta levis populus; qui ſceptra cachinnis
Excipit, atque ſuâ tantùm ſe lege gubernat.
Nuper de ſano Regis vigilantia fudit
Pectore, proficuum regno, plebiſque ſaluti
Conſilii ſenſum. Sed fœdum dedecus indè,
Ac ſannas retulit. Jam plebs ſibi conſulat ipſa
Arbitrio permiſſa ſuo. Diſcrimina rerum
Tantiſper ſubeat; dum res extrema Bohemos
Demiſſo cogat ſtudio, lacrymáque potentis
Implorare throni verum, præſénſque juvamen.
Sed quid agit civis? Rurſum aſpernarier aulam,
Ac inopem ingenio, craſſóque ſub aëre natum
Dicere, & invalidum ſceptro, belliſque Monarcham.
Quare conſilio Procerum, plebiſque coacto,
Samo slavum Martis pullum, ſibi Cechia fidens
Præficere armatæ pubi; decernere bellum
In nocuam regno peſtem; circumdare ſeptum
Milite, & infeſtas terris arcere puellas
Omnes conſtituunt, ferróque avertere Bacchas.
Nec latet Evchides, vigiles in ſenſa virorum
Molimen belli. Diffuſæ quippe per oras
Cechiæ, & illuſtres Procerum, Regiſque penates,
Erectæ in technas Pholoës, neptéſque Phrynondæ,
Explorare omnes ſenſus, tectáſque virorum
In Martem fabricas, Wlaſtæque ad caſtra referre
Illico, & hoſtilem confeſtim prodere molem.
Tempus erat, quo poſt Brumæ, Boreæque rigores
Edomitos, Phœbus roſeam ſuper axe Bohemo
Explicuit rurſum frontem. Jam Cynthius almo
Ore fovet Cechos, figénſque calentia terris

Baſia,

Baſia, & egelidos complexus lumine campos,
Ad vitam revocare novam tellure ſepulta
Germina, & exanguem per prata virentia Floram
Ducere, ſquallorémque novo detergere vultu,
Ac pulchræ rurſum deformem reddere formæ.
Chloride jam terris, cæli, Solíſque favore
Redditâ, in ardentem ſe Cechus ferre Gradivum
Samo ſlavo ductore parat, Martíſque furore
Percitus, inſtructúſque armorum viribus, arci
Eleïdum tacitis ſe ſe admovet illico ſignis,
Haud dubiam laurum ſibi ſpondens. Unde futuro
Caſtra locat bello. Sed dudum conſcia rerum
Wlaſta, jubet fidas per cognita ſigna catervas
Continuò acciri, Martíſque capeſſere munus.
Sic accerſitæ, tacitè ſe ſe ocyùs omnes
Siſtere ad obſequium, facturæ juſſa Bohemæ
Principis ad nutus. Has poſtquàm clariùs ipſo
Arriſit Phœbo Harpalyce, dêin talia fatur.
Eja virago Diis, patriíſque æquanda Deabus
Gloria, quam regni ſociam, fidámque ſororem
Affectu ſolido amplector, Martíſque profuſam
Sanguine deveneror. Sed quæ jam bella paramus?
Ut video, veſtros formido nulla colorat
Pallenti buxo vultus. Vos cerno paratas
Viribus impavidis tot clari nominis hoſtes
Velle domare omnes, & Averni mergere ſtagnis,
Barbigerúmque abolere genus. Jam tempora lambit
Immortale decus. Celebris victoria nobis
Haud dubiis (nec enim jam fallimur) advolat alis.
Hoc ſcitote velim, quod famæ prodroma nobis
Fata canunt: necdum Titan deſcendet ad undas
Heſperi, & illuſtrem claro ſpectabit honorem.
Lumine; quem nobis virtus, ac æthera ſpondent.
Necdum, ùt propitiis acceſſit notio Divis,
Effluet iſta dies; cùm Marte ſuprema capeſſam
Imperia, Hercyniíſque omnes dominabimur oris.

Quare ſepoſito (quid opus ſtimulare?) timore,
Belligeras aptate manus, nervóſque furoris
Sumite cum ferri rabie, nullíque virorum
Parcite; ſive Patris, sêu pulchro nomine fratris
Gaudeat; aut alio titulo clareſcat amici,
Infeſtos reputate canes, peſtéſque domari
Jam dudum meritas, dignáſque occumbere ferro.
Jam ſe ſe nobis revocandi nominis anſa,
Arripienda citra dubium formidinis offert,
Quò noſtra æternis ſcribatur gloria faſtis.
Eja agite, & dignas virtute aſſumite mentes.
Vix finem dictis imponit Wlaſta: ſorores,
Dicere Tiſiphones decuit, thoraca trilicem
Injicere æriſono chalybis ſubtegmine fultum,
Corytóſque leves humeris, lunatáque nervi
Cornua, librandis deſervitura ſagittis;
Falcatum lateri fulmen ſuſpendere ferri;
Communire cetrâ lævam, dextráque minacem
Contorquere haſtam, bibituram hoſtile cruoris
Flumen, barbigeri quod fundent illico capri.
Ac ſic armatæ ſcandunt ſuper alta frementis
Tergora quadrupedis, vultúque, oculíſque loquuntur
Heroum facinus; ferro per inane rotato
Immanes jactant ſtrages, atque omne virorum
Exſtirpare genus ſtatuunt. Dum laudis amore
Ardentes in bella nurus, Cechúmque ruinas
Efferа Wlaſta notat: ſupremi provida ſumit
Munia Gradivi, armatas viſura phalanges,
Atque omnem Martis perluſtratura paratum.
Quare compoſitas numeris, cuneíſque catervas
Viſere Wlaſta pedes; ſumptâ Junonis obire
Majeſtate acies in proxima bella frementes,
Omniáque excelſo ſcrutari lumine Martis
Agmina, & armatos inveſtigare manîplos:
An ritè in fauſtum valeant deſcendere campum.
Cùm verò clypeis, haſtis, jaculis, pharetríſque,

Ac

Ac panopliâ, quam poſcit Marſpiter, omnes
Inſtructas, bellique avidas obſervat Enyo
Cechica, in hoſtiles jam jam irruitura phalanges,
Illico demandat: Bellonæ caſſide, cuſâ
Mulciberi haud pridem liparâ nudum integat omnis
Martia turba caput; quò vertice miſſile telum
Arceat, & rigidis mucronibus ære reſiſtat,
Fatorúmque minis. Vix hæc, & plura profudit
Enthea Wlaſta: ſuum pariter cervice tumentem
Scandit equum, trepidas ferientem hinnitibus auras.
Cornipedem fortè Oenomai, Xantúmve putares
Argivum; aut Balium Zephyri de ſtirpe creatum,
Certantémque Evro alipedem, non murice tectum
Oebalio, aut baccarum Eoâ grandine ſcitâ
Arte ſuperfuſum; ſed multo pondere ferri,
Ac chalybe indutum, jam martia ſigna morantem.
Hujus terga premens, vario libramine molem
Corporis exagitat; turgentes luminis orbes
Circumquaque rotat, frontémque in nubila ducens,
Atque ſuſpercilium tollens, geſtúque ſeveram
Fingens Bellonam, ſpirat Mavortis honores.
Qualis Bucephalo vectus, Pelethronia quondam
Æmathius Princeps terrore impleverat arva:
Talis Pegaſeo ſe jactat Wlaſta caballo
Horror Moldavidûm. Tum dextram mittit in altum
Æthera, & aſvetam bellis, Cechóque cruentam
Sanguine, depoſcit famulante à ſorte machæram,
Arreptóque enſis capulo, per inane minacem
Sæpe rotat gladium, ventoſo gutture bella,
Bella horrenda crepans. Nec ſævas Thiades Albis
Anguſto ſepti unius, clauſtríque teneri
Circo porrò ferens, recluſis poſtibus arcis
Evolat, ac Martis procedens ordine, complet
Jugera camporum, Panos trepidante novali,
Ac ſubter gravido ſua fata gemente caballo.
Dum videt Hercyniæ populus gymnaſtica campo

Agmina Amazonidûm, ardentéſque in bella cohortes,
Ac vaſtos ſtrictis horrere haſtilibus agros,
Æréque fulgentes cetras, & tegmina ferro
Horrida cornipedum: gelidâ formidine tactus,
Attonito ſimilis torpet. Sed major ab harpe,
Et Creſſis forſan pharetris, Scythiæque timendis
Arcubus, ac ferro, quod dextera ventilat, horror
Omnibus accedit. Malè Cechis ominor armis.
Non venit in Martis palmam formido, Gradivi
Exarmans robur. Res belli, immune timoris
Pectus avet. Trepidis non ſtat victoria ſignis.
Perculſos terrore viros, dum Wlaſta furore
Ebria, & hoſtilis ſitiens fera turma cruoris
Eminùs obſervat: collectâ protinùs irâ,
Turbinis in morem, ſuperíque cadentis ab axe
Fulminis, in pavidos pleno ruere impete Cechos;
Perturbare acies; trepidas miſcere phalanges,
Palantéſque agris fœdè confundere cives.
Nec ſatis: averſos jaculorum grandine terris
Abjicere; adverſis capulo tenùs abdere ferrum
Pectoribus; multos chalybis mucrone minores
Reddere; nonnullos per tortum haſtile levare
Quadrupede, infamíque ſolo deponere, fatum
Mordentes herbâ. Prô! quot manibus, pedibúſque
Truncare immani rabie, Cechúmque cruorem
Spargere per regnum Cereris, ſtragéſque, necéſque
Edere, & innumeros Erebo tranſmittere manes.
Wlaſta ferox, primi deducens ſigna Gradivi,
Pernici curſu alipedis Mavortis alumnum
Samo ſlavum impavidè accedit. Vah fata propinquant!
Atque adeò chalybis valido diverberat ictu
Terribilem criſtis galeam, ferróque rigentem:
Ut ſubitò in geminam reſoluto vertice partem
Iverit excelſi capitis decus, atque liquenti
Effuſo cerebro Cechum fœdaverit agrum.
Indè in confertos, Getulæ tigridis inſtar,

Irrum-

Irrumpit cuneos, larámque ferocibus armis
Semitam, ab immenſa Thyas facit effera clade.
Hujus ad exemplum, glomerato Marte ſequuntur
Immanes telo ſociæ, vaſtáſque cruento
Funere diffundunt ſtrages, fratréſque, patréſque,
Atque ſibi junctos ab avita ſtirpe propinquos,
Obvia cêu fortuna tulit, diſcrimine nullo
In crudas pellunt mortes. O ſæva nocendi
Ambitio! O demens rabies! immanior ipſis
Armeniæ luſtris. Nunquam ruit hirta Libyſtis
Bellua in agnatum tam ſævo dente cruorem;
At ſolers arcet, prohibétque à trigide tigris
Indomitos aliàs rictus. Et præditus alto
Lumine mentis homo, ferro ſævire laboret
In parilis cladem generis? Pró crimen iniquum,
Plectendúmque Erebi pœnis! Sed caſſa furori
Verba damus. Nunquam patulas favet entheus ardor,
Ac rabies veſana aures. Quo tramite cœpit
Graſſari impatiens freni, legúmque capiſtri;
Hoc definitam molitur tangere metam.
Atque hoc correptæ Cechorum Phœbades œſtro,
In trepidas magis, atque magis ſe ferre catervas
Albicolûm, & rigido campis proſternere ferro.
Talis in Argolicas ad Trojæ pergama turmas
Pentheſilæa ruit, Scythico comitante Gradivo.
Tales expertus bello Trœzenius heros
Inclytus, atque ſuo plures in ſanguine merſi;
Quos extinxerunt lunatis agmina peltis.
Talia ſenſerunt non rarò fata Nariſci,
Opprobrio comitante viros. Hoc Marte virilem
Aſſumpſit mulier genium; ſed corda virorum
Fœmineam haud veriti (pudor eſt!) aſumere mentem.
Poſtquàm jam ſaturas hoſtili ſanguine dextras
Wlaſta videt, nullámque virûm ſupereſſe furori
Victimam: in excelſi remeat Capitolia ſepti,
Ac ſtreperos edit plauſus, reboante per auras

Mur-

Murmure, & inſanis exſternat ſidera linguis.
Quæ verò dederit victrici præmia turmæ,
Quóſque auro fuſos torques injecerit armis,
Donáque Amazonidûm Princeps, vix ulla referre
Calliope valeat. Nec gazis Muſa tenetur,
Lucullíque opibus. Bello ſe Caſtalis aptat
Cechiadûm, nocuúmque canit triſti ore Gradivum.
Hunc ubi lugubris poſt funera mille Nariſci
Fama tulit vero Regi: ſub pectore mœſtum
Vulnus alit, regni curis ingentibus æger,
Delibrátque animi trutinâ, pérque omnia conſi
Lemmata ſe variè ducit; quî vindice ferro
Plectere Amazonios valeat de legibus auſus,
Albicolúmque vetare neces. Hoc Principis ordo
Flagitat, Aſtreæque tenor, qui jura Monarchæ
Dirigit, atque jubet terris arcere malorum
Germina, in exitium miſeri creſcentia vulgi.
Nec jam Cecha Themis conſulta à Principe rebus
Deſit in extremis. Quin talia ſuggerit aulæ,
Quæ ſolium poſſit licitis producere technis,
Hac autem vafrâ deludit Mœnades arte.
Nuntia continuò tumidam delegat ad aulam
Wlaſtæ, quæ promant, è voto Principis eſſe:
Unam à conſiliis mittat; cuî copia fandi
Cum ſolio detur, ſolíque arcana pateſcant,
Invictæ referenda Duci. Jam techna Bohemi
Principis à longo præcognita temporis uſu,
Tantiſper Wlaſtæ faſtus, elatáque franget
Cornua turritæ Cybeles. Sic Marte docebit
Martem alium, fraudíſque ſtrophas à fraude domari
Poſſe pari, ingenióque etiam pollere Phrynondæ,
Atque Ithaci virtute viros. Vix ocyor Evris
Devolat, aut ſatiùs conſcendit mœnia faſtu
Turgida, & Hercynii depromit vota Monarchæ
Nuntius: in Wlaſtam toto ſe ferre tumore
Spiritus elatæ mentis, criſtáſque ſuperbè

Tollere, & hos ſenſus turgenti ſubdere cordi.
Jam ſe ſe noſtro ſubmittunt ſceptra lupato,
Atque iſtos jacet ante pedes diadema pudendi
Principis, ac noſtrum caput ambit ſcandere ſertum;
Sub cujus circo populus, regnúmque quieſcat.
Quare confeſtim geminas de Principe conſo
Ablegat ſocias, Clymbognam nempe ſagaci
Præſtantem arbitrio, nec non de Pallade cretam
Dobromilæ mentem; quæ ſceptri arcana doloſo
Excipiant animo, Regíſque, aulæque petita
Exactâ cauſæ trutinâ, veríque ſtaterâ
Gnaviter expendant. Hecales mandata capeſſunt
Illico Reginæ, rapidóque per arva volatu
Quadrupede accelerante viam, ſe limine ſiſtunt
Principis, arcanam bibituræ protinus aulam.
His ſe ſe aſtutum ſimulato munere ferre
Obvius Albicolûm Rector, pulchróque vereri
Officio Tevcas, placidóque affarier ore,
Atque in ſecretos blandè invitare penates,
Arcanæ mentis teſtes. Nec partibus aulæ
Humanis deſunt neptes Junonis, ad omnes
Se componentes ſpecioſó munere leges;
Quas ratio petit aularum. Sic ſæpe Phrynondæ
Artibus, ac technis Ithaci certatur utrinque,
Pulchróque officii fuco circumvenit alter
Alterum, & inſidiis fallacibus implicat hoſtem.
Atque hoc ingenio fraudis capit inſcia rerum
Pectora Moldavidûm Princeps, ac talibus aſtum
Involvit laqueis. Deducit ad intima conſi
Limina Wlaſtiadas: ſecretos arte Sinonis
Exponit querulè ſenſus, ac talia fatur,
Cechiadûm gemmæ, regni decus, atque corona.
Jam me defeſſum, tardúmque ſenilibus annis
Cernitis: ùt mentum loquitur (quod dextra prehendit
Lentior) errantéſque probant jam ſatque ſuperque
In vultu rugæ, caníſque aſperſa pruinis

Tem-

Tempora demonſtrant. Iam me quoque deficit uſus
Tractare Hercynias, cêu æquum poſcit, habenas.
Nec ferre indomitum populi, ſceptróque rebelle
Ingenium porrò valeo. Nam jura Regentûm
Depoſcunt validos, cum firmâ mente, lacertos.
Eſt equidem nobis conceſſus numine Divûm
Legitimus regnorum hæres, ex aſſe futurus
Albicolûm Princeps. At necdum contigit ævum,
Ac pariles oneri vires; queîs ferre Monarchæ
Pondus, Atlantæis metuendum forſitan armis,
Ut par eſt, valeat. Quare hæc ſententia Cechum
Occupat Auguſtal: regnorum extradere faſces
Robuſto Wlaſtæ imperio, vegetóque regendi
Muneri, & haud dubiæ fidei concredere charum
Pignus, dum Hercyniis ſuppar adoleſcat habenis.
Nos privata decent, veterémque reviſere ſortem
Fata jubent, vilíque animam deponere mandrâ.
Quare agite Albicolûm gemmæ, multámque ſalutem
Dicite ab afflicto Cechûm diademate, veſtræ
Principi, & in vetulis hoc unum exponite votis,
Sollicitóque ſenis verſari pectore: noſtros
Quò ſubeat Regina lares, regníque tribunal,
Ac charam Patri ſobolem, cidarímque Ducalem
De manibus tremulis capiat, præſénſque capeſſat
Imperii faſces. Hæc ficto pectore Princeps.
Atque hoc fucato verborum ſchemate, & aſtu
Circumventa nurus, multas perſolvere grates
Nomine Reginæ, pronáque ſalute vereri
Cechiadem, dictóque vale, cêu aulica poſcunt
Munia, præcipiti ſe ferre per arva volatu
Pegaſi, ad elatum lætiſſima nuntia caſtrum.
At dum Wlaſtiades, plauſu comitante, ſuperbas
Accedunt Tomyris ſedes, ac vota Nariſci
Principis exponunt: major ſubit ilia Wlaſtæ,
Tantâ ſorte, tumor. Iam ſummos tangere cælos
Viſa ſibi oblato (fraus quippe latebat) honore:

In ſolii conſum facilis, ſuprema capeſſit
Munera Regnantis; quæ dudum mente parabat,
Atque avidis cupiit Cechúm Titania votis.
Sed nè quod temerè ſapiens ſibi Cechica Colchis
Fortè malum accerſat, renuit ſe ſiſtere coram
Hercyniæ ſceptro. Metuit, nè forſan inurat
Nomini honorato labem: vel certa ſub iſto
Schemate perdendæ lateant diſcrimina vitæ.
Quare bis geminas de primo Marte ſorores,
Sanguinis, ac vitæ nunquam non prodiga mittit
Pectora; queis alias jungit Mavortis alumnas,
Quinque puta decades; quæ regia juſſa capeſſant,
Ac claros regni faſces, natúmque Bohemi
Principis, & firmum valido munimine caſtrum
De manibus ſolii capiant, júſque omne Regentis
Ad ſe ſe actutum referant. Nec defuit ulla
Peltigerûm imperio Wlaſtæ; ſed protinus omnes
Indutæ chalybem, ferríque nitore micantes,
Alipedem inſcendunt, pérque arva volante feruntur
Cornipede, ac laxis metam contingere frenis
Evmenidúm in morem, ſtimulante tumore, laborant.
Jam non fraudis amor, verùm alta ſuperbia greſſum
Dirigit, in certas nunquam non prona ruinas.
In ſua fata ruunt. Fraus quippe offenſa tumenti
Plùs æquo Glyceri, ſequitur jam caſtra virorum,
Atque ſuas promit turgentem in Phœbada technas.
Hoc vafro Princeps bellè formatus ab aſtu,
Bis quinquagenos numeroſâ valle latêre
Præcipit Albicolas, in martia juſſa futuros,
Inſtructos telis, animíſque calentibus irâ;
Qui ferri ſcalpro, ſequiori corde cruorem
Plùs æquo ardentem educant, ac ſana reponant
Conſilia in tumidam non uno nomine Phœdram.
Sic juvat interdum veſanos plectere faſtus.
Quem non deterrent ſedatæ dogmata Svadæ
A cœptis ſcelerum, diſtrictus corrigat enſis.

 Unde

Unde Lybuſſiacas attemperat enſe Lacænas
Per ſcelus omne vagas Princeps. Sic jure Machaon
Regnorum indomitos ſubjecti comprimit auſus.
Hanc ſibi fatalem minùs arbitrata venire
Sortem poſſe nurus, veſano folle tumeſcens,
Atque ſibi clari deſpondens nominis arrhas;
Principis ingreditur caſtrum. Vix limina tangit
Inſolito turgens faſtu: ſe plurimus ordo
Effundit regni Procerum, dictóque ſalutis
Munere, in auguſtas deducit Thyada ſedes.
Ipſe Przemilaus Cechûm Phorcynidas aulæ
Prævenit officiis, fictóque veretur honore,
Cêu lapſas cœlo Oebalides, ac ſigmate lauto
Excipit. Haud ipſam poſſet majore paratu
Dapſili Olympiacam Jovis acceptare maritam,
Hercynias viſentem oras. Quæ Cechica tellus
Fœcundo promit gremio; quæ teſqua ferarum,
Latoíſque domus gratâ feritate miniſtrat;
Quod raris volitat pennis; quod Moldava vaſtus
Squamigerâ de gente vehit, ſtatione locatur
Nobili, Amazonio ceſſurum ritè palato.
Cælata è patrio carcheſia porrigit auro
Gnava manus famuli. Dux præbibit ipſe ſalutes
Mille coronato per grandia cymbia Baccho,
Et totidem Wlaſtæ vovet aurea ſæcula claro
Cechiadûm ſolio; Bromii quot nobilis humor
Se jactat ſtillis. Nec ſe certamine vinci
Ulla Thyonæo patitur, cyathóque Mimallis;
At fortes in bella viros, quos dona Lyæi
In dulcem, liquidúmque citant quandoque Gradivum,
Evantes multùm exſuperant. Dum fortè lepôre
Permiſcent vario feſtivum ſigma, ſaléſque
Haud ſatis urbanos ſpargunt, hilaríque licenter
Indulgent genio: jubet illico Martis alumnos
Acciri Princeps nemorosâ valle morantes,
Commiſsóque ſibi defungi munere belli

Stre-

Strenuè, & elatas ferro ſacrare catervas.
Jam ſe fata citant reſeratis poſtibus aulæ,
Sympoſiúmque petunt, ſtygio miſſura tyranno
Pabula, & infernis convivia Cechica menſis,
Nec Phlegetonteæ cadit ulla acceptior aulæ
Victima; quàm multo longè antè adipata tumore.
Necdum baſilicis aularum more remotis
Imperio ſceptri menſis, irrumpere pleno
Turbine, laxatis foribus, ferrata Gradivi
Dextera, & attonitas inopino Marte puellas
Bellicâ adoriri rabie, juſtóque furore
Obruere Æætes. Prô quantas edere ſtrages
Irati Albicolæ Cechis; diſcrimine nullo
Faſtoſas jugulare nurus; perfundere ſigma
Sanguineis fœdè rivis, omnéſque necare
Præſentes Vejas, Erebóque dicare ſuperbos
Manes, ac quinquagenas ſacrare Tonanti
Inferno Phœdras. At nè contagia forſan,
Atque lues capiat victrices Principis ædes:
Imperat actutum perfuſas imbre cruoris,
Ac vitâ caſſas, in rura infauſta catervas
Abjici, & aëreis extradi pabula turmis;
Aut lanianda feris tribui; vel dente moloſſi
Diſcerpenda dari. Sic quæ ſuper ipſa tumebat
Sidera Titanis, cupiítque elatior ipſis
Ire viris, meritum ſentit jam ingloria caſum,
Atque facit de ſe Cecho ludibria vulgo.
Sublimes nimiùm mentes plerumque ruina
Excipit, & facilis vertigo ſternit ab alto
Gloriæ in extremam, populis ridentibus, algam,
Plùs æquo elatas animorum in ſidera turres.
Hanc ubi fatalem cæſarum mæſta ſororum
Fama tulit cladem Wlaſtæ, jam ſigna moranti
Regia, & oblatos regnorum à Principe faſces:
Protinus in rabidum lymphatâ mente furorem
Surgit, & irarum laxis permittit habenis

Præcipitem in diras animum, mentíſque lupatum
Excutiens, ſolo regitur veſana furore.
Bacchatur toto cêu Mænas percita caſtro,
Omnéſque irarum fluctus evolvit Erinnys
Cechica, & Evchiades ſuperans furialibus auſis;
Uſque adeò tetrum turbato corpore monſtrum
Exhibet, exoſúmque oculis, ut Muſa referre
Horreat horrorem. Mallet formidine quamvìs
Obruta, in Hircanam convertere lumina tigrem
Lymphatam rabie, direptíſque ubere natis
Extremis ardentem iris, pérque arva volantem;
Ac prædatrices ulturam immaniter auſus:
Quàm œſtro correptam vel primo lumine Wlaſtam
Tangere, & irarum ſpumis, quas ſpargit ab ore,
Parthenios maculare pedes. At bile tumeſcens,
Ac flammis Thyas, quò ſævos dirigit æſtus?
Quóve modo gravidos avet exonerare furores?
Vindicias clamat, caſtrum omne fragoribus implens,
Vindicias poſcit. Rhamnuſis numen in iras
Evocat, indigetéſque Deos fera Wlaſta, Deáſque
Albicolûm ſatagit vindictæ accendere flammis.
Quid quod Tartareas citat in ſua vota ſorores,
Totúmque in pœnas Acheronta movere laborat,
Ac Phlegeronteam rabiem, quæ crimina ſceptri
Hercyniæ plectat. Tum flammea volvit in altum
Lumina; quæ refugis ſtant horrida forſitan aſtris,
Sollicitátque Jovem: feriat delicta triſulcis
Ignibus, atque omnes jaculetur ab æthere flammas
In caput authoris, tot, tantorúmque malorum
Cæde patratorum. Si jam foret æqua facultas,
In chaos antiquum vellet revocare Bohemi
Gloriam, & in nihilum nihili convertere totam
Cechiadûm gentem. Sed caſſæ viribus iræ
Haud quidquam efficiunt. Nîl ſolo ducta furore
Ultio, in optatam potis eſt deducere metam.
Depoſcit vindicta moras. Exeſſe furorem.

Præ-

Præcipe tantiſper: meliorem pectora conſum
Sepoſitis capiunt iris. At Mœnados œſtrum
Siſtere quis valeat? Nullas rationis habenas
Admittit furor, haud patiens moderarier ipſâ
Svadelæ illecebrâ. Citiùs ſe Tethyos ira
Frangit, & imperio Neptuni ſæva quieſcunt
Cærula, in æquoreos licèt exſurgentia montes:
Quàm furor excitus vindictæ flamine, frangi,
Sedaríque queat Latialis munere linguæ.
Sed nec materies ultrici deficit iræ;
Quam præſens rabidæ defert occaſio Wlaſtæ.
Fortè inter geminos Cechi de ſtirpe Toparchas,
Agrorum fines, ac paſcua jura creârunt
Prælia, in haud dubium confeſtim abitura cruorem
Permulti capitis; nî provida cura Monarchæ
Componat validas ſapienti munere partes,
In bellum ardentes. Quare delegat acuto
Limatum arbitrio Sophiæ, Cechæque peritum
Apprimè legis doctâ gravitate Ctiradum,
A conſo ſolii primum; qui jurgia recto
Ordine componat. Sed nè quod juris iniqui
Obveniat crimen, demandat: notio cauſæ
In juſtam veniat trutinam, librétque ſeverus
Albicolûm Minos, utriuſque fruteta Dynaſtæ,
Atque æquâ Panos diviſâ parte, reducat
In veteres pacis fines, pacatáque reddat
Jugera Triptolemi. Sed cùm vicinia fraude
Martia Amazonidûm, ferróque obſeſſa teneret
Omnia: nè vitæ forſan diſcrimen iniret
Proficuus ſolio conſuſi natúſque ſaluti
Publicæ Ariſtides Cechûm: bis dena virorum
Arma per hoſtiles comitari Locrida fines
Præcipit; ut tutum valeat percurrere callem,
Fungíque officio juris. Sed protinus aulæ
Accipit arbitrium Phorcys per fraudis alumnas,
Atque ſubornatas in ſceptri arcana puellas,

 Vici-

Vicinas ſolio. Quare ſuccenſa furoris
Ignibus, ac veteres revocans in viſcera flammas
Præteritúmque ultura nefas; quò corde flagrantes
Sanguine Cechiadûm tantiſper ſopiat ignes :
Dat quinguagenis mandata ſuprema Lacænis,
Martis in orcheſtram promptis; ut ſive Sinonis
Artibus, aut validâ armorum virtute, Ctiradum
(Quem capitali odio ſemper cane pejus, & angue
Inſectata fuit) capiant; ferróve trucident
Immani feritate virum; qui jugiter adſtat
A fido Regi conſo. Nec ſegnia ducunt
Otia Wlaſtiades; at ſumptis protinus armis,
Bellerophontæis volitant per rura caballis,
Inſidiáſque ſtruunt in noto calle Dianæ
Pervio, & umbroſis, armatæ in funera, ſcenis,
Occurſum Conſi ſocio cum Marte morantur.
Has inter miro ſpectabilis una decôre,
Cechæ prodigium formæ; cuî cederet ipſa
Tyndaris, atque omnes Latii, Danaúmque puellæ.
Nativa in niveas currebat purpura malas,
Certabàtque roſis candor. Conchylia labris
Oebalio meliora oſtro, coccòque ſedebant.
Lumina Phœbæo fulgebant clariùs aſtro.
Frontis honos vincebat ebur. Fulgore nitebant
Diffuſæ per colla comæ, cyrrhíſque parabant
Retia; queîs oculos, animóſque implectere poſſit.
Hæc Cechas inter longè pulcherrima nymphas,
Ac rarâ ingenii pollens virtute Corinna
Albicolûm, talem commenta in funera technam.
Saltus erat nemorum, nullo violatus ab ævo
Hactenus, à ſenio curvus, non pervius ulli
Titanos radio, ſed ſoli ſubditus umbræ,
Horroríque datus, quémque alta ſilentia latè
Inter Hamadryadûm cœtus diſperſa colebant.
Hac denſâ luci, vacuáque Hyperione ſede
Hercyniæ Mœrin, formæ ſplendore nitentem

Wla-

Wlaſtiades ſolam ſtatuunt. Sic fraude miniſtrâ
In bellum accedunt, quod præſens Marſpiter urget.
Quò verò certam videat techna abdita lucem;
In verno Oabalidem manibus, pedibúſque revinctam
Ceſpite deponunt. Suſpendunt tergore fuſam
Ære tubam, ſolitis nemorum venatibus aptam,
Ponè locant plenam dulci promulſide tinam.
Tum ſe ſe in latebras ſylvæ, penitóſque receſſus
Conjiciunt, ſvadente dolo, fremitúſque ſonoros
Cornipedum impediunt Circæo carmine, & altos
Quadrupedum hinnitus; quò cœptæ machina technæ
Certiùs optatam valeat contingere metam.
Interea ad lucum depreſsâ valle ſedentem
Cum ſocia ſe ferre manu commiſſa Ctirado
Munia, non ullam properi metuentia fati
Dictynnæ regno ſortem Dum limina, vectus
Alipede, invadit nemorum, formidinis expers:
En tibi ponè viam, raræ miracula formæ
Improvisè oculis veniunt, mentémque ſtupore,
Lumináque afficiunt. Siſtit. Latonia forſan
Hercyniis reputat jam degere numina luſtris;
Aut aliquam è Dryadum cenſu hìc fixiſſe penates.
Verùm ubi conſpicuam ſolerti lumine Divam
Percurrit, manibúſque videt, pedibúſque revinctam,
Largíſque infuſam lacrymis, atque aure fideli
Accipit haud paucos gemitus; quos ducit ab alto
Andromache verſuta ſinu, mœſtóque ululatu
Replet frondoſas Niobe fallacior aulas;
Ut queat in lacrymas ſaltus, ac ſaxa movere:
Tangitur à miſero, commotus pectore, planctu,
In flentem facilis Clymenem, afflictæque paratus
Ferre Ctiradus opem. Quare ſe concitus urget
Quadrupede ad Phrynem, ſociâ comitante catervâ,
Ac percontatur ſpecioſam corpore nympham:
Eccur ſylveſtri jaceat tellure ferarum
Victima? Quiſve artus laqueis, nexúque tenaci

 Strin-

Strinxerit, & ſolam Silenum abjecerit ungui ?
Hæc inter gemitus, abruptáque ſæpe doloris
Pondere verba refert. Multùm dilecte Tonanti,
Ac primum regni columen, Cechúmque Dynaſtes
Inclyte. Téne fugit, quæ, quantáque patret Amazon
Crimina, in Hercyniis graſſans crudeliter oris?
Ah! ſi te noſtri tangit miſeratio, nodum
Expedi, in afflictos dominantem immaniter artus,
Et totam rerum ſeriem; ſi copia fandi
Fortè datur, plenè referam; quò notio veri
Ex toto liqueat, miſerandæque alea ſortis.
Hoc triſti, at pulchro venienti è corpore motus
Sermone Albicolùm magnas: demittere ſe ſe
Quadrupede actutum; rigido diſſolvere nexu
Laida, & exempto libertæ reddere vinclo.
Illa, ceu vitæ poſt ſævum reddita fatum,
Exultare animo, geſtúque, ùt caſſa timore
Fallax Arſinoës, tandémque hæc verba profari.
Chare Diis heros. Hìc cernis ſtirpis avitæ
Gemmulam, & illuſtri profuſam ſanguine natam.
Fortè Mnohoslavi necdum tibi mente receſſit
Gloria; quem tribuit mihi patrem gloria Divûm.
Hujus in arbitrium nunquam non gnava, ſequebar
Imperium, ſtudium juſſa exercere Dianæ,
Sectaríque feras nemoroſâ hac ſede vagantes:
Ut ſatis iſta probat figendis prodroma cervis
Buccina, dependens tergo. Sed fata meipſam,
Cùm minùs occurſant animo, fecère rapinam.
Quippe ubi majorum veſtigia nota ferarum
Inſequor, adnitens tacitis excire latebris
Quæſitam jaculis prædam, per ſumma, per ima
Saltûs, ac dumos errans: in devia quæque
Concita delabor, nondum ſat gnara viarum,
Ducórque in varios, ſic fortè volente Deorum
Ordine, ſylvarum tractus, jam neſcia certum
Ad patrem reditum, ſemoto calle morantem.

Quis

Quis ſatis affatu referat, quæ cura parentem
Uſſerit, amiſſam revocandi ad propria natam;
Parthenios genitor quò tutaretur honores?
Dúmque per ambiguum remeans feror anxia lucum:
En tibi (proh horror!) ſequitur non una volante
Jumento Ocypete, ſceleratæ mentis Amazon,
Evmenis Hercyniæ ſatiùs fortaſſe vocanda;
Quæ, freno injectâ, furiali turbine, dextrâ,
Alipedem ſiſtit, meque iſtis implicat arctè
Nexibus inſontem, trepidâ formidine quaſſam,
Ac penè exanimem. Rurſum timor occupat artus,
Dum venit ante oculos mentis crudelis imago.
Haud ità circumſtant raptam de rure bidentem
Immani feritate lupi, flammantia circùm
Lumina torquentes, acuúntque in pabula rictus,
Jam jam invaſuri truculentis dentibus, atque
Unguibus innocuam, pulſis cuſtodibus, agnam:
Cêu in nos rabidæ fremuêre atrociùs iræ
Evrybatûm, inſontem ferro, lethóque daturæ;
Ní graviora ipſo decrêſſent vincula fato.
Quare confeſtim revocato ad mœnia caſtri
Tramite, captivam ducunt, raptántque, trahúntque
In lethum, aut ſociam, cælo prohibente, Camillam.
Cùm verò hanc riguam contingunt effera vallem
Agmina, crudelem mihi ſæpe minantia mortem:
Eminùs audiri fremitus, latéque ſonantes
Cornipedum hinnitus, ſpirantes Martis amorem,
Bellíque orcheſtram. Siſtunt, vocémque prementes,
Accipiunt ſonitum. Sed ubi jam cominùs Alces
Quadrupedum vox alta ferit, jámque arma ſtrepenti
Ære venire notant: ſubito perculſa pavore
Turma Lybuſſiadûm, Patrem accelerare tuendæ
Haud vanè reputans natæ: me protinus alto
Excutit alipedis dorſo, properámque capeſſit
Icta timore fugam; rapidis velocior Evris
Avolat, ad tutum relegens veſtigia ſeptum.

Hæc verſuta Ithaci neptis. Cui talia reddit
Arte vafrâ captus, fideíque tenacior heros.
Quem memoras Patrem, multo mihi cognitus uſu
Semper erat, noſtræ non ultima gloria gentis.
Novimus apprimè, quâ ducat origine longam
Majorum ſeriem, clarâ virtute, fidéque
Inclytam, & Hercyniæ percharam jugiter aulæ.
Et cùm te tanti patris, velut ipſa fateris,
Agnoſcam haud dubiè pignus: te protinus ædi
Reſtituam patriæ; nè quiſquam floris honorem
Parthenii, pulchro (non fallimus) ore rigentem
Incæſto temerare queat Cythereïdos auſu.
Quare age, ſepoſitâ formidine, virginis almum
Fide decus noſtro (quem porrigit ipſe) caballo,
Illicet in patrios ducenda virago penates.
Dixerat. At fallax Pholoës gratanter honorem
Accipit, ac patriis promittit ſedibus omnes
Officii grati numeros, pulchróque precatu
Obſecrat humanum, facilémque in vota Ctiradum:
Tantillam faveat (quis deneget iſta?) quietem,
Dum fractas reparet tanto à diſcrimine vires.
Annuit optatis heros. Hic perfida Colchis,
Ac nurus Æætis, confeſtim ponè jacentem
Hydromeli pateram, Circæo murmure plenè
Ebriam, & Atracio ſpumantia cymbia ſucco
Arripit, ac inquit: teretem hanc promulſidis orcam
Detuleram in ſaltum, confirmatura parentis
Jam fractas ſenio vires. Verùm aſtra Ctirado,
Ac ſociis temetum mirâ dulcedine fœtum,
Per famulam deferre jubent; ut dona favoris
Præbita penſentur. Quo dicto, præbibit ipſa,
Aut potiùs libat fatalia pocula Circe.
Tum cyathum officio, quod Parthenis exigit ordo,
Porrigit heroi. Nec muſtea diſplicet obba,
Fortè ſiti preſſo jam longo calle Ctirado.
Accipit urbanè, ductóque fideliter hauſtu,

Annu-

Annutu capitis non uno laudat amyſtin,
Atque pharetratæ concedit cymbia turmæ,
Omnibus ad guſtum. Sed (prô!) fatale Ctirado
Oenophorum, ac ſociis! Etenim condita Choatrum
Artibus, ac Pſyllum tabo carcheſia, vires,
Ac nervos adimunt Marti; nè fulmina belli
Poſſit in adverſas bellè vibrare catervas.
Dum mulſo indulget miles, laudátque, probátque
Submiſſum à Superis temetum, nectárque Deorum:
Verſutis manibus verſat fabricata Corynthο
Æra, tubæ cornu: aut bellum inductura ferarum
Luſtris: aut nomen decantatura Ctirado
Famæ immortalis; cujus virtute pudoris
Lilia ſervavit, certóque exempta perîclo
Deperdendi ævi. Sed cùm ſe robore caſſam
Accendendo æri, dolet aſtu plena Phrynondæ
Filia, & inſigni celebraret laude canoros
Ære crepante ſonos, vafras ſe vertit in artes,
Captúmque officii nòn unâ ſorte Ctiradum
Obſecrat, ut gratam nullis non auribus, ori
Admoveat tubulam, ſonitu, dulcíque canore
Certantem argento. Quod flagitat, obtinet arte
Grajâ inſtructa nurus. Quid enim non fœmina poſſit,
Pro qua, vel Svadâ meliùs pulchra ora loquuntur.
Accipit oblatum munus, non fraude Pelasgâ
Se ludi reputans, poſitâ gravitate Ctiradus,
Partheniόque ſatis voto facturus, ahenum
Voce animat cornu longè, latéque ſonorum,
Atque ſibi, & ſociis citat ultima fata, latebris
Condita ſylvarum. Sonitum vix accipit æris
Cogniti, ab umbroſis confeſtim erumpere ſcenis
Marte improviſo Cechûm furialis Enyo,
Adductóque habili nervo, nîl tale paventem,
Obruere horrendâ jaculorum grandine, pubem
Innocuam Martis. Quos verò miſſile telum
Præterit, hos ſævis mutilare immaniter armis,

Ac ſic bis ſenum ſaltu deponere Cechum.
Hæc ubi perculſus rerum novitate Ctiradus
Attonito ſimilis cernit, dextráque tueri
Armipotente parat plenam diſcrimine ſortem:
Haud ferrum verſare poteſt, frangente Gradivi
Robur Theſaliæ cyatho; quem miſcuit Albis
Phaſias, aut Circe. Quare indagare ſalutem
In pedibus magnas. At concita turba coronat
Mavortis circo trepidantem fata, ligátque
Infami licio, quem nullo crimina nexu
Implicuêre reum ſceleris. Sic, quidquid amicè
In cauſam promat, manibus, pedibúſque revinctum
Raptant captivum, falſo accedente cavillo,
Atque iræ flammis, quas Baſſaris enthea ſpargit,
Mille neces minitans, ac vulnera mille Ctirado;
Qui toties niſus fuerat refringere conſo
Gloriam Amazonidûm. Sed non molimen inultum
Wlaſta ſinet, clamant omnes, opprobria diris
Penſatura probris. Quid adhæc ſpectabilis amplo
Munere Cechiadûm Minos? Quæ verba reponit?
Harpocrati ſua verba ſacrat, cauſámque tuetur
Admoto linguæ freno. Nam lemma Sophorum
Edocet: iratis non verba reponere verbis.
Fœminea haud patitur Mænas reſponſa, furore
Ebria: quin unum per mille opprobria penſet
Probrum; dum rabido tandem ſermone triumphet.
At jam præcelſum tenet inter jubila caſtrum,
Atque triumphali procedit ad atria Thyas
Ordine; queis dudum victricia ſigna moratur,
Wlaſta tumens ſolio, reſpiránſque ore furores.
Quales oblato prædæ libamine, plauſus
Harpalyce Cechûm dederit, quæ fando referre
Muſa iterum valeat? Jam fortè attemperat iras
Obtenta Hercynio Mavortis gloria luco,
Atque redux Daphnis, quæ rurſum crevit in aula
Dictynnæ, & pulchrâ ſerpit per tempora lauro?

Haud-

Haudquaquam: Ultrices ſuccendit pectore flammas,
Illico viſuras lucem; nî Phœbus in oras
Tarteſſi pronus, ſocias poſt terga tenebras
Duceret, ac regnum Phœbe, noctíque faveret.
Sed quod ſera negant defuncto tempora Phœbo,
Poſterus invito fortaſſis lumine Titan
Cernere cogetur. Raro nox ſana miniſtrat
Conſilia, at denſis cudit funeſta tenebris.
Nocte fatæ Eymenides feraliaquæque miniſtrant.
Vix in Moldavicam ſe Cynthius extulit oram,
Puniceis invectus equis, caligine noctis
In ſtygias remeante plagas: cùm nocte profuſa
Tiſiphone, umbrarúmque ſoror, concepta tenebris
Ardet in apricam molimina trudere lucem,
Præcipit actutum rabido dictante furore,
Ac genio ultrici, clarum virtute Ctiradum
Implecti radiis (prô Muſa horrore rigeſcit!)
Ilicis, infamem ductæ (vah crimen!) in orbem,
Ac verum Cechis ſpectandum Ixiona terris
Præbere Albicolûm Juno, ſic fortè flagrantes
Extinctura faces. Quò verò pœna per ipſum
Principis ire latus valeat: jubet illicet alto
Suggeſtu terræ, quem lambit Moldava, corpus
Erigi, in oppoſitam proſpectans Principis aulam,
Opprobrium factura Duci. Sed pœna ſequetur
Ultricem nemeſin juris moderamine caſſam.
Hoc elata dolo Martis, crudelis Aello
Cechiæ, in immites nunquam non apparat auſus
Indomitas animi furias, multóſque malignis
Artibus è Procerum cætu, vulgíque myrica
Conſecrat infami Libitinæ, plura datura
Funera, ſi plures offerrent fata Nariſcos.
Ac ſic plùs æquo rebus ſublata ſecundis,
Æternaturos ſibi turgens ſpondet honores
Æolis Albicolûm ſolio; cui poſtera ſemper
Accedat mulier, ſapienti lege gubernans

Her-

Hercyniæ terras. Hinc magnæ ſumere nomen
Principis, ac totâ vulgari nomen in ora
Præcipit, officiúmque ſibi deferre Bohemum
Indigenam, ùt rectus ſubjecti flagitat ordo.
Ut verò nôrint cives, quâ lege deinceps
Decurrant ævi ſpatium: ſancita referri
Demandat tabulis, totâ ditione Nariſcâ
Illico vulgandis. Ac primùm lege ſeverâ
Omnem interdicit, ſub pœna ſanguinis, uſum
Armorum, alipedúmque vetat conſcendere ſellam;
At ſolos tractare boum, ruríſque labores
Imperat Albicolis. Si verò Martia regno
Fulmina vicinent, tempeſtatéſque Gradivi
Præcipiti rabie Marobudûm limina tangant:
Se Mavorte parem, ſociáſque in bella catervas
Aſſerit, infeſtum domituras protinus hoſtem.
Infames alias regno, populóque pudendas
Præſcribit leges; quas lege coërcita caſti
Muneris, Aoniis prohibetur dicere clivis
Calliope, atque aliæ renuunt memorare Camœnæ.
Hæc ubi veſano decreta effuſa tumore
Accepêre viri, juſtâ formidine tacti,
Subjectas metuunt cervices ferre lupato
Fœminæ, & immiti moderandas tradere ſceptro.
Sed cum prævalidas jam caſtro degere vires,
Atque ſuo cernit potiorem Marte venire
Wlaſtiadûm Martem, partes ſe verſat in omnes
Ancipiti conſo Cechus, quærítque medelam
Adverſæ ſorti, tam triſtia fata minanti.
Sed cùm nulla patet vitandis obvia fatis
Semita; nec mentis lumen per fana Dynaſtas
Duceret; unanimi conſenſu limina pulſant
Principis, auxilium præſens fortaſſe daturi
Afflictis populi rebus. Nî dextra Monarchæ
Jam conclamatæ ſtudeat ſuccurrere ſorti:
Albicolas infame jugum, probrúmque manebit,

Æter-

Æternaturis ſors nunquam abolebile luſtris.
Quare ut Cecropiæ per Floræ regna meliſſæ
Turmatim ſparſæ, fragrantia dona legentes,
Si fortè obſcurum deportent nubila Phœbum;
Continuò repetunt ſua cerea caſtra, domóſque:
Haud ſecùs Hercyniæ cives, nimboſa videntes
Aſtra procelloſæ ſortis, fœdámque minari
Tempeſtatem Albi, jam prægnans grandine caſtrum,
Fulminéque irarum; quod parturit horrida juſſis
Wlaſta: Przemislai, demiſſo munere, tecta
Continuò ſubeunt, rebúſque levamen in arctis
Supplicibus poſcunt votis, conſóque deinceps
Morem geſturos ſe Principis, atque tenaces
Promittunt fidei mentes: modò protegat Albim
Adverſùs furias immania jura tonantes.
Accipit hæc Cechûm Princeps, ac talia reddit.
Æquum eſt in veſtrum ſolio deſcendere votum,
Macti animo Civis. Jam vertitur alea ſortis,
Et proni ſceptro Superi, populóque faventes
Haud dubiè redeunt. Nam ceu arcana Tonantis,
Fatorúmque docent leges, & conſcia rerum
Numina: jam nimio turgentia pectora faſtu,
Irato juſti deſpectant lumine Divi,
Exitiúmque parant tumidis ſuper æthera Bacchis.
Faſtum ultrix ſequitur Rhamnuſis vindice flagro,
At quid verba damus? Res eſt jam Marte paranda.
Continuò ad veſtros cives remeate penates,
Ferróque inſtructi, quod martius exigit ordo,
Ac præſens belli ratio, cum Sole cadente
Ad noſtros repedate lares. Hæc juſſa Monarchæ,
Aut potiùs ſanum rebus præſentibus, alti
Conſilii ſenſum, gratanter ſubdita plebes
Accipit, & ſubitò relegens ad propria greſſum
Limina, Mavortis ſtudio ſe comparat; arma
Corripit, ac veteri pulsâ rubigine, ferri
Mucronem exacuit. Jam rumpet pectora faſtu

Tur-

Turgida, & inſanam franget, fundétque Mimallim.
Vix bene in Heſperias Hyperionis orbita terras
Appulit: en fervet pleno Ducis area Marte,
Imperiúmque avidis exſpectant Cechica votis
Agmina, in adverſam ruitura immaniùs arcem.
Dum forſan mediam cæcâ caligine metam
Regnum noctis habet, tacitúſque per omnia ſerpit
Morphêus, & placidum dant alta ſilentia ſomnum:
Portitor inſtructas armorum fulmine turmas
Excipit undivagâ, ſceptro præeunte, carinâ.
Ac conto ſubigit lymphas; queis corniger amplâ
Majeſtate præeſt, jam notus Moldava terris,
Siſtítque oppoſitâ Mavortem Cechiæ arenâ!
Interea tacitis vallari pergama ſignis
Præcipit Albicolûm Princeps, ac caſtra locari,
Obſidióque gravi vaſtum circumdare ſeptum.
Vix ſe ſe æthereis conjux Tithonia campis
Infert; cùm Cechus præcelſam mœnibus arcem
Cominùs accedit, ſolidóſque revellere muros
Arjête non uno tentat, ferróque laborat
Vertere turritas moles, latámque parare
Semitam, in excelſum ſigna illaturus, & iras
Gradivi, caſtrum. Sed non hæc fabrica Martis
Wlaſtiadas latuit vigiles noctúque, diúque
In belli technas, quas poſſit cudere Mavors.
Quare non ſegnes pro ſparta ſtare virili
Robore Amazonides; arcere à mœnibus hoſtem,
Ingentes librare trabes, nocuáque ferire
Grandine ſaxorum, Cechóſque repellere ſepto.
Eminùs iſta videns Marobudûm Rector, amœnâ
Occultus nemorum ſcenâ, fugientia firmat
Agmina Mavortis, ridenti hæc ore profatus.
Pone metus pubes. Hæc ſunt prœludia belli.
Sic noſtri volucre Dii. Sic providus ordo
Fatorum ſtatuit. Nobis victoria cœlis
Advolat, & tumidas Daphnis fugit inclyta Phœdras.

Vix unam emenſus jam Titan altior horam:
Magnanimos in bella viros jubet illico caſtrum
Urgere armorum ſtudio, muróſque ferire,
Oſtiáque impavido niſu, rurſúſque pudendam
Per technas ſimulare fugam, pedibúſque ſalutem
Quærere, viſuros, quam tandem fata pararent
Baſſaridi tumidæ metam. Sancita capeſſunt
Albicolæ, admotáque iterum teſtudine quaſſant
Mœnia, balliſtáſque vibrant, nec non catapultis
Oppugnant ſeptum, portáſque à cardine tentant
Vellere, & in celſum tandem ſurrepere caſtrum.
At belli fabricam falſo irridere cachinno
Wlaſtias; ingentes muris devolvere rupes;
Ardentes librare faces, ſulphúrque, picémque
Spargere, ferventíque caput perfundere lymphâ,
Atque aliis removere armis à mœnibus hoſtem.
Hic verò Albicolæ, cêu Martis fulmina ferre
Ampliùs haud valeant, fictâ formidine, turpi
Se mandare fugæ, teſtari voce pavorem,
Atque triumphalem Bacchis concedere palmam.
Quare confeſtim, cêu quæſiturus aſylum
Miles, in umbroſum ſe protinus abdere ſaltum.
Hac ſe victricem, jam majori ebria faſtu,
Martis in orcheſtra cernens, gaudénſque Celæno,
Nec plauſu ſe ſe capiens, conſurgit in auſus
Majores. Jam ſtat menti, peſſumdare totam
Cechiadûm gentem, victámque extradere Diti.
Unde in præcipitem, ſempérque in bella paratum
Cornipedem ſcandit. Quæ prælia Phorcys adornat!
Horrida. Sublicium jubet illico ad oſtia pontem
Fidis demitti manibus; quò plena furore
Evolet, ac ferro fugitivos protinus hoſtes
Involet, immenſámque edat per funera ſtragem.
Nec mora: cêu tigris Getulis prodita teſquis,
Erumpit ſepti foribus, comitante catervâ
Evryalum; non quò, ratio, Martíſque citarent

Leges, at rabidus bacchantem duceret ardor.
Reginæ exemplo totum ſe effundere caſtrum
Immani feritate parat. Sed penſilis arcto
Calle coarctatus remoratur Baſſarides pons:
Nè ſe ſe primis actutum jungere ſignis
E lege armorum valeant. At Wlaſta furore
Enthea, per ſolitas diviſam Mœnada turmas
Pro belli ratione putans, ſtipata ſororum
Exili, parváque manu, furialibus auſis
Impetit Albicolûm Martem. Verùm obviat armis
Strenuus, atque animis, ſceptro moderante Gradivum,
Hercyniæ civis, rabidúmque attemperat æſtum
Pentheſilææ Albis, quam fata extrema morantur.
At poſtquam ſociæ veniunt ad ſigna Lacænæ,
Atque ſtatas formant acies; majore furoris
Turbine in adverſas Bacchæ ſe ferre catervas,
Et cuneos Martis ferro perrumpere tentant.
Sed nîl proficiunt. Miſſo jam quippe timore,
Atque leoninum ſumentes pectore robur
Moldavidæ, intrepido Veis Mavorte reſiſtunt.
Nec cœptâ ſtatione viri, nec ſtrenua cedit
Phœbas; at intrepidus fervet Mavortis utrimque
Ardor, & ambigui veniunt certamina belli.
Sæpius adverſis concurrunt fortiter armis.
Enſes miſcentur vibratis enſibus. Haſtam
Excipit haſta truci pertundens pectora ferro.
Hinc, atque indè volant lethalia tela veneno
Illita, fatali perimentes felle Gradivi
Agmina: jámque virum ſternunt; jam fata propinant
Fœminæ, & effuſo complent Phlegetonta cruore.
Uſque adeò dubiâ pugnatur Martis utrimque
Aleâ; ut ancipiti jam Daphnis fluctuet æſtu;
Cui demum inclinet victrices Martis honores.
Tandem ſepteni generosâ ſtirpe creati
Adveniunt Cechi, technâ comitante, dolóque,
Atque petunt primas, Wlaſtæ munimina, turmas,

Vulneréque immani feriunt, ac perleve pondus
Abjiciunt terræ. Læti ſucceſſibus iſtis,
Ingentes ſumunt animos, Wlaſtæque propinquant
Haud dubio in fatum telo, ferróque rigente
Uſque adeò validâ, juvenum quis neſcio, dextrâ
Percutit; ut circùm chalybis diviſerit alto
Vertice ſurgentem, non parvo vulnere rumpens
Cervicem faſtûs ſedem. Jam fortè tumoris
Effluet inſanus cum rivo ſanguinis humor.
Acceptâ capitis plagâ, ſe Martis in auſus
Majori rabie, tota enthea Thyas adornat,
Atque incantato de Circes unguine ferro,
Quinos fundit humi clarâ de ſtirpe Nariſcos.
Sexto eadem jam fata parat; ni objecta ſalutem
Ærea parma daret, capitis tutamen aheno
Tergore; ſed geminas diffiſſa à robore ferri
Ingenti niſu partes, quod Wlaſta vibrârat.
Hanc temeram Harpalyces rabiem, per funera pubes
Ulturus, rabido Mavortis percitus œſtro,
Alipedem properè ſtimulans, ſe concitus urget
In fatum Wlaſtæ. Vix Mœnada contigit, irâ
Ardeſcens Cechus; librato pondere ferri
Viribus impavidis, manantem ſanguine tundit
Verticem, & inſanum caput alto vulnere lædit
Atque uno in jugulo multorum demetit iras.
Hæc ubi fata vident reliquæ, Martíque virorum
Jam fortunatam Divorum numine ſortem,
Victricémque venire Deam, Superúmque favores:
Vertere terga fugæ, celeríque ad pergama ferri
Quadrupede, atque ſuam caſtro indagare ſalutem.
Sed fugit, ut pereat, jam dudum funere digna
Sæva, feróxque nurus. Jam quippe ſedentia ferro
Fata ſequi, ac Bacchis meritam deferre ruinam.
Dùm videt horriſono jam vicinare furore
Hercyniæ Martem: trepidâ formidine Thyas
Obruta, in enixas effundere pectora voces;

Illecebris mulcere viros, promittere ſervum
Depoſita feritate jugum, noxæque precari
Admiſſæ veniam, lacrymiſque orare maritos,
Nè pulchras fœdent muliebri ſanguine dextras.
At nemo miſeris (nec enim meruêre) moveri
Planctibus, ac lacrymis; verùm omnes perdere Regis
Imperio Mycales. Nec viſa Lycaonis eſſe
Sævities, nocuas regnis abſumere peſtes.
Quare omnes meritâ jugulare tyrannide Cechus,
Et Phrynes avidis extradere pabula corvis,
Manéſque ad ſtygias confeſtim mittere ſedes.
Hactenus à ternis umbrarum limina Diris
Horrida, Apollineæ ſemper ſtupuêre Camænæ:
Jam plures numerat Phlegeton, horrétque miniſtras
Evmenides Ditis, fatalia quæque parantes.
O nunquam in Cechas redeant hæ Mœnades oras!

A. M. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
MAG 2023384

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google